B IX.

43
4 F
18

ADPROBATIONES.

VOlumen XVIII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ per annos digeſtæ, variiſque obſervationibus illuſtratæ a V. Cl. Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii Rom. Presbytero, nihil, quantum equidem adſequi legendo potui, quod Catholicæ fidei, boniſque moribus adverſetur inveni; quare typis editum vulgari poterit.

Romæ Nonas Martii 1789.

Joſeph Canonicus Reggi
Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus.

JUbente Reverendiſſimo Patre Thoma Mamachio S. Palatii Apoſtolici Magiſtro legi, & Decimumoctavum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ volumen a Cl. P. Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii Presbytero conſcriptum, idemque de eo, ac de præcedentibus judicium fero.

Joſeph Theoli S. Theologiæ Doctor.

IMPRI-

45 4 F 18

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Fr. Xav. Passari Archiep. Larissen. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Maria Mamachi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI annus 850. Leonis 4. Papæ 4. Lotharii Imp. 12. Michaelis Imp. 9.

Jesu Chr. an. 850. Ludovicus 2. ab Leone Papa Imper. creatus.

AB solemni Ludovici secundi inauguratione ab Leone Papa facta, decimumoctavum hoc historiæ nostræ volumen, initium sumat. Quem etenim Lotharius pater anno proximo Imperii consortem dixerat, hoc anno Romam missum, ab Leone Papa coronari curavit, secundum propterea dictum, ut ab altero, seu Ludovico pio distinguatur. *Lotharius filium suum Ludovicum Romam mittit, qui a Leone Papa honorifice susceptus, & in Imperatorem unctus est*, ait Annalista Bertinianus; hæc autem a ceteris scriptoribus, atque ab ipso Anastasio, vel alio auctore vitæ Leonis quarti, silentio obruta fuisse miratur merito Muratorius, Bertiniano nihilominus annalistæ auctori coevo fides negari vix potest, ac immerito Regiam cum Imperiali potestatem Ludovico anno 844. collatam fuisse ab Sigonio, & Baronio tradi idem auctor animadvertit, die porro secunda Decembris labentis anni id contigisse Pagius ex variis diplomatibus probare nititur, at cum variæ plerumque sint diplomatum chronologicæ notæ, vix certi quid-

49.E.18

JESU CHR. AN. 850.

piam ex iis erui posse censet Muratorius. In eo sane fallitur Pagius, dum Cæsarienſis monasterii chartam referens ad Benacum lacum in ditione Veneta situm illud addit, cum omnibus constet, ad Piscariam fluvium in Brutiorum regione Regni Neapolitani celeberrimum monasterium extitisse.

Synodus Ticin. celebratur.

2. Disciplinæ ecclesiasticæ restaurandæ caussa, Ticinensis synodus hoc anno celebrata est, in qua canones viginti quinque editi sunt. *Anno Incarnat. Dominicæ* 850. *indict.* 14. *Lotharii, ac Ludovici Aug.* 30. *& primo*, 30, scilicet Lotharii, primo Ludovici, ex quo a patre Imperio sociatus anno proximo fuerat. *In urbe Regia Ticino facta synodus, cui præsederunt Angilbertus Mediolanensis Archiepiscopus, Theodemanus Aquilejensis Patriarcha, & Joseph venerabilis Episcopus, & Archicapellanus totius ecclesiæ &c.* Angilbertum porro, seu Angelbertum Mediolanensi ecclesiæ hoc anno præfuisse scimus ex catalogo Episcoporum Mediolanensium a Mabillonio tomo primo Musei Italici part. 2. & ab Papebrochio ante tomum 7. Maii edito. Post præfationem sequuntur canones 25. in ea synodo vulgati, quorum sex primi ad Episcoporum munera & officia pertinentes statuunt, ut sic conversentur, ut non solum a criminibus, sed etiam a suspicionibus sint liberi, ut frugali mensa, modesto habitu utantur, atque a venationibus, superfluoque cultu abstineant, ut jugi meditatione sacras scrutentur scripturas, easque clericis, populoque sibi concredito exponant, ac ut Presbyteros ad munera sua explenda compellant, virginum corruptores, raptoresque vel aliorum criminum reos debita pœna plectendos jubent canones 9. 10. 11. Ecclesiarum, Xenodochiorumque incolumitati 14. 15. 16. & 17. consulitur. Ceteri tandem ab 18. ad ultimum de vita clericorum, varioſque abusus inter clericos, monachos, vel rusticos homines frequentes tollendos emendandosque esse jubent, ut ibidem videre est.

Lupi Ferrar. Abbatis liber de tribus quæstionibus.

3. Cum quæstio de Sanctorum prædestinatione ad gloriam, ac reproborum ad pœnam excitata inter Hincmarum, & Gotheſcalcum in dies augeretur, Lupus Ferrariensis Abbas a Carolo Rege interrogatus, quid de ea sentiret de tribus quæstionibus hoc anno librum edidit, ideſt, de Prædestinatione, de libero arbitrio, & de Redemptione sanguinis Christi, ac scribendi hanc occasionem habuisse in præfatio-

JESU CHR. AN. 850.

fatione adnotat. Cum anno ab Incarnatione 849. *comperissem primum in Italia, deinde in Gallia, si non concuti fidem, turbari certe quorumdam intentione, quod de libero arbitrio, & de Prædestinatione bonorum, & malorum, ac de sanguinis Domini taxatione, vulgo quædam inaudita jactarentur, harum rerum, qui per se non possent, optavi ut per me fierent certiores.* In prima quæstione, statuit habere homines ex Adam liberum arbitrium, non ad bonum, & ad malum quale ipse a Conditore, *accepit, sed quale ipse sponte in ima vergens elegit, & peccando commeruit*, hoc est, ad malum liberum, ad bonum autem, si tamen id nobis divino munere, *Deum constituisse, ut videlicet genus humanum sua sponte corruptum, nec totum propter misericordiam damnaretur, nec totum propter justitiam salvaretur*: ac etiam eosdem rectos origine conditos, voluntate autem propria vitiatos, sic statuisse, ut *quos non liberat clementia, sic puniret judicio, ut non ipse, verum ipsi convincantur sua damnationis auctores.*

Quo sensu dicatur Christum pro omnibus mortuum.

4. In tertia quæstione Christum pro omnibus hominibus mortuum fuisse, eodem sensu asserit, quo Deum velle omnes homines salvos fieri supra exposuerat. *Divinorum eloquiorum*, inquit, *auctoritas intelligenter expensa*, pro omnibus Dei filium gustasse mortem sic accipi posse insinuat, quemadmodum Deum velle omnes fieri salvos. Ut enim salvos fieri vult omnes quicumque salvantur. *Ita redimit omnes quicumque redimuntur, non autem salvantur omnes, nec vero redimuntur. Non itaque vult salvari alios omnes, aut redimi nisi qui redimuntur atque salvantur.* Et paullo post probabiliter dici posse addit mortuum pro omnibus Christum qui ejus fidei sacramenta suscipiunt.

De duplici prædestinatione electorum, & reproborum.

5. Deinde probat prædestinationem numquam esse sine præscientia, præscientiam vero plerumque esse sine prædestinatione, quia crimina perversorum præscit Deus, quæ utique se facturum non prædestinavit, ita nec fecit. Istos autem ob mala merita ad pœnam prædestinasse ait, quam immerito nonnulli horrebant. *De his*, inquit, *prædestinationem Dei dici horrent plerique, atque refugiunt, in quibus, & quædam præclara Præsulum lumina*, (Hincmarus nimirum Rhemensis, Rhabanus, Pardulus, aliique nonnulli

JESU CHR. AN. 850.

uti in notis Baluzius admonet) *scilicet ne credatur Deus libidine puniendi aliquos condidisse, & injuste damnare eos, qui non valuerint peccatum, ac per hoc nec supplicium declinare. Qui si adtenderent, sicut in Adam illo voluntate peccante omnes peccaverunt, ita prius illo absque vitio existente, omnes absque vitio exstitisse, Deum autem non homini necessitatem casus intulisse, potestatem tamen permisisse: ipsum vero, utpote qui fecit quæ futura sunt, & qui vocat quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt, & casum & quid casum sequeretur præscisse non esse ambiguum*, ait. *Pro non servaturis, Apostolus idoneus auctor est illo testimonio. Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Nec iis se repugnare addit, qui sanguinem Christi etiam reprobis prodesse affirmant. *Verum*, inquit, *hoc quidam velut blasphemum vehementer execrantur, & damnant, quod derogetur plurimum Redemptori, nisi generaliter omnes redemerit. Nos autem salva fide, hoc est, quod suo sanguine Deus redemerit omnes quos voluerit, & nulli sint redempti nisi quos ipse redemerit, ita causam in medio relinquamus, ut si quilibet eumdem Sanguinem Redemptoris prodesse aliquid etiam perditis valeant demonstrare, non solum resistamus nihil, verum etiam libenter in eorum sententiam transeamus.* Tum subdit S. Joannis Chrysostomi testimonium ex Homilia, 4. in Epistola ad Hæbreos, qua mortuum etiam pro reprobis Christum affirmat. Quæ proclive est intelligere eodem ab ipso sensu dicta, quo ab Augustino, aliisque Patribus, quos testes profert, Christum scilicet non esse mortuum pro omnibus ita, ut beneficium ipsius mortis atque fructus in omnes æque derivetur; quamvis Sanguis ejus tanti prætii sit, ut omnibus prosit, & illum pro totius mundi peccatoribus obtulerit; & quoad illam prætii & voluntatis erga omnium salutem sincere affectæ sufficientiam, tam sit mortuus pro omnibus, quam omnes in Adam mortui sunt. In libro de tribus quæstionibus idem Ferrariensis Abbas paulopost, vel etiam eodem tempore alium addidit librum inscriptum *Collectaneum de tribus quæstionibus*, quo Patrum sententias plurimas collegit, quibus abs se antea dicta, luculentius confirmari existimabat. Aliquot etiam de eodem argumento epistolas dedit ad Carolum Regem, ad Hincmarum, & Pardulum Laudunensem; Carolo præterea Re-

Regi de recta Regni administratione, plures summa cum libertate litteras scripsit, quarum tres annalibus suis hoc anno Baronius inseruit, dignæ sane, quæ a Regibus, & Principibus legantur. JESU CHR. AN. 850.

6. Ejusdem fere argumenti est opusculum Ratramni Corbéjensis monachi, jussu Caroli Regis vulgatum, duobus de Prædestinatione libris distinctum, ac Carolo dicatum, quorum primo de Dei providentia, præscientia, & de prædestinatione sanctorum ad vitam æternam, SS. Augustini, Fulgentii, aliorumque sententiam pluribus exponit. In secundo autem Prædestinationem impiorum ad pœnam, eorumdem Patrum testimonio aperte adstruit, itaque concludit. *Æstimamus*, inquit, *quod non paucis ecclesiasticorum Doctorum sententiis monstratum sit malos ad pœnam prædestinatos, non tamen ad peccatum. Siquidem ex eo quod Deus præscivit eos peccatores futuros, & in suis peccatis perseveraturos prædestinavit, idest, præordinavit eos ad supplicium: quæ tamen præordinatio, sive prædestinatio non eos necessitate quadam constringit, vel impellit ad pœnam: quamvis necesse sit fieri, quod Deus prædestinavit, nec possit mutari quod disposuit, nec aliter contingat, quam ordinavit. Cum enim omnia novit, & nihil eum possit latere, disponit de omnibus secundum voluntatis suæ consilium, justo judicio, quamvis mortalibus absconso: ut autem unusquisque ad pœnas deputetur sempiternas, non est ex iniquitate judicantis, sed ex justitia decernentis. Tales enim novit eos, quos ad pœnam disposuit, ut digni essent de quibus sic disponeretur, propria enim voluntate deliquerunt &c.* Ratramnus Corbejensis monachus libros de prædestinatione scribit.

7. Dum de difficilioribus Theologiæ quæstionibus inter se dissiderent Gallorum Theologi, & Episcopi. *Mauri usque ad Arelatum, nullo obsistente, cuncta devastant, Sed cum redirent, vento contrario rejecti, & interfecti sunt*, ait ad hunc annum Annalista Bertinianus, qui de Normannorum irruptionibus in Gallias hæc etiam adnotat. *Orich Rex Normannorum, impugnantibus se se duobus nepotibus suis bello impetitur. Quibus petitione Regni pacatis Borich nepos Harioldi, qui nuper a Lothario defecerat, assumtis Normannorum exercitibus cum multitudine navium, Fresiam, & Batavum insulam, aliaque vicina loca per Rhenum, & Vabalem devastat. Quem Lotharius cum compri-* Normanni, & Mauri Gallias devastant.

JESU CHR. AN. 850.

primere nequiret in fidem recepit, eique Doresladium, & alios Comitatus largitur &c. ſicque Gallorum Regnum ſive Imperium in partes diſtributum, barbarorum irruptionibus continuo vexabatur.

Franci a Bohemis victi.

8. Graviorem, turpioremque cladem hoc quoque tempore a Bohemis tulerunt Galli, eos quidem rebellantes anno 848. Ludovicus Rex compreſſerat, obſideſque dare coegerat, ait Annaliſta Bertinianus, at paulo poſt, anno proximo, & labente reſumtis armis iterum adverſus Francos bellum reſtaurarunt, cumque quidam Gallorum Primores, cæteris inconſultis eoſdem aggreſſi eſſent, *Statim experti ſunt, quod ſine Dei timore parum profit virtus & audacia. Hoſtes enim effecti ſuperiores, cædendo perſecuti ſunt eos uſque ad caſtra, & ſpe evadendi e toto ſublata, cuncti obſides dabant, a quibus ſuſcipere dedignati ſunt*, ait idem auctor, qui ſubdit hoc quoque anno dira fame Germaniam pene totam, & maxime circa Rhenum vexatum fuiſſe, quo tempore Rabanus Moguntinus Epiſcopus pluſquam tercentos egenos ſingulis diebus ſuſtentabant, *Exceptis his, qui in præſentia ejus aſſidue comedebant*, eadem habet Annaliſta Fuldenſis, ex quo de eadem victus penuria plura refert Baronius, inter cetera, cum vir quidam ex Thuringia, filium ab uxoris brachiis ereptum occidere voluiſſet, ut famem ſatiaret. *Cumque gladium evaginaſſet ut macturet filium, & in ancipiti poſitus necem diſtuliſſet, vidit eminus duos lupos ſuper unam cervam ſtantes, & lacerantes carnes ejus, ſtatimque parcens filio ad cadaver cervæ cucurrit, & lupos inde abigens tulit de carnibus præguſtatis, & cum incolumi filio ad uxorem reverſus eſt.* Uxor vero carnes filii eſſe credens, exanimis pene cecidit, at puerum illæſum oſtendens, recreavit, deque cervæ carnibus pavit. *Ambo tamen carnibus lege prohibitis neceſſitate coacti ſe recrearunt*, ait auctor. Apoſtolicum de ſuffocato non comedendo, & de ſanguinis abſtinentia, decretum iis in locis tunc ad huc viguiſſe demoſtrans.

Abderamnis Saracenorum principis perſecutio in catholicos Corduhenſes.

9. Quo tempore Galliarum provinciæ domeſticis diſſidiis, ac Barbarorum incurſionibus afflictæ erant, tetrior adhuc erat Hiſpaniarum conditio, cujus pars maxima Saracenorum jugo jamdiu oppreſſa, tenebatur, hoc autem tempore ab Abderamne eorum duce, Corduba ubi regiam ſedem

dem fixerat, diram persecutionem sustinebat quam labentabili stylo Eulogius Cordubensis Præsbyter, coevus & ocularis testis, ejusdemque persecutionis particeps, & martyr descripsit, in libro, cui Memoriale sanctorum titulum præfixit, ac longa præfatione, quæ persecutionem præcesserant, eique causam dederant exponit, quem librum etsi Asceteriis primum dicare statuisset, eo quod *prior ille monachorum globus ad resistendum mendacissimo vati processerat. Sed postquam ex urbibus, viculis, oppidiculis, & castellis certatim prorupere ad hoc certamen viros, ac mulieres cognovi, neque quamquam vereri Præsidis tribunal comperi, sed omnes pro testamento, & legibus Dei nostri mortem incunctanter elegisse consperxi, universis illud ecclesiis, supra solidissimam petram fundatis, dicavi.* Persecutioni autem excitandæ ardens christianorum in tuenda christiana religione zelus, occasionem dedit etsi enim christianæ religionis servandæ ab Saracenis libertatem obtinuissent, ita ut hactenus, christianæ religionis episcopos, Sacerdotes, & monachos, virgineasque dedicatas etiam haberent, ac in una Cordubensi urbe virorum, & mulierum plura cœnobia essent, in finibus vero ejus octo, ibidem ab Eulogio suis titulis indicata. Nihilhominus temporis tractu, & hoc potissimum, tanta erat Maurorum in christianos sævitia, tam gravia tributa, quæ *lunaliter*, seu in singulos menses solvere tenebantur, tanta ludibria a Mahumetanis sustinebant, ut morte ipsa duriorem vitam ducerent: quare tantum christianæ religionis opprobrium ferre ultra non valentes, Mahumetanæ sectæ assectas, ejusdemque auctorem Mahumetem vel Mahumetanorum injuriis incitati, vel interrogati, diris execrari quam plurimi cœperunt. Quod cum ex Arabum legibus capitale esset, hic falsæ sectæ impugnandæ ardor quamplurimos vel in vitæ periculum adduxit, vel martyres effecit.

Jesu Chr. an. 850.

10. In tanto autem christianæ religionis contemptu, & periculo, ferventioribus christianis, Saracenica persecutione gravior erat christianorum aliquot exprobratio, & heu *prob dolor*, ait Eulogius, *etiam Sacerdotum*, ex his Rucasredus Episcopus. *temere horum confessorum gloriam adimere non verentes, jubent eos non recipi in catbalogo sanctorum*, eo quod non vi coacti, aut fidem negare compulsi, sed tantum ob Mahumeticæ sectæ execrationem, in mortis pe-

Intempestivum zelum Cordubensibus martyribus nonnulli exprobrant.

JESU CHR. AN. 850.

periculum adducebantur, ac addebant nullum ab his martyribus miraculum fieri, nec eorum corpora miraculo illæsa servari. Hæc, aliaque in christianos ad martyrium irruentes opponebant in Hispania christianorum plurimi, qui velut Mauris sociati, christianorum gloriam, christianæque religionis libertatem imminuere curabant, quos tum libro primo memorialis sanctorum, cum edita in idipsum Apologia, Eulogius confutavit, ut ibidem videre est, ac inter cetera summum apud Saracenos christianæ religionis contemptum, christianæque fidei periculum, justam martyrii causam esse pluribus probat, exemplisque confirmat.

Perfecti Presbyteri aliorumque martyrium:

11. Ne autem in hanc rem plura afferamus, quæ in editis Eulogii libris videri possunt, hæc tantum de temporis nota, qua hæc facta sunt subdimus. *In nomine Domini, regnante in perpetuum D. N. J. Christo, anno Incarnationis ejus* 850., *Era* 888., *Consulatus*, seu Regni, *Abderames* 29. *&c.* subiicit his gloriosam confessionem, & martirium Presbyteri Cordubensis nomine Perfecti, qui primus confessionis vexillum erexit, ac gloriosum trihumphum, martyrio coronatus, de perfidia debellata, duxit decimoquarto Kal: Maji feria sexta, corpus vero ejus a fidelibus in ecclesia S. Asciscii martiris sepultum est, huncque Joannes quidam vir plebejus secutus est, ac toto triennio, quo Abderamnes vixit, usque ad annum 852.. alii plurimi eamdem martyrii palmam promeruere, ex his anno altero 851. Ilach Monachus, Sanctius natione Gallus, Petrus Presbyter Astigitanus, Valabonsus Diaconus Ilipunensis, Gabinianus, Vistremundus, Abentius, Hieremias monachi, Sisenandus Diaconus Pacensis, Paulus Cordubensis, & Valabonsi Martyris soror Maria Hipulensis perempti. Quo anno maxime Reccafredus Episcopus in Martyres dæseviit, multisque vincula injecit. In his Eulogio Abbati Sancti Zoili, qui hæc omnia ad posteritatis memoriam litteris commendavit, vir ea ætate clarus eruditione, ac moribus sanctus. Anno tertio, interfecti sunt Gumesindus Toletanus Presbyter, & Deiservuus monachus: præterea Aurelius, & Felix cum uxoribus Sabigothone & Litiosa, Georgius monachus natione Syrus, & Emilia, & Hieremias cives Cordubenses, monachi tres Christophorus Cordubensis, ea-

Jesu Crh. an. 850.

Leuvigildus, & Rogellus Eliberitani, deinde ServioDeus monachus Syrus. Eodemque anno nimirum hujus ſæculi quinquageſimo ſecundo Abderrahamanus deceſſit repentina vi morbi oppreſſus: pii cæleſtem vindictam interpetrati ſunt, effuſi Martyrum ſanguinis, ex eo potiſſimum, quod qua hora Martyrum corpora in patibulis tabe, ſanieque diffluentia e ſublimi palatii parte contemplatus, igne torrere mandaſſet, inter aſtantium manus collapſus, ac mutus effectus eſt, eademque nocte obiit ineunte regni anno trigeſimo ſecundo. Moriens reliquit filios quadraginta quatuor, filias duas, & quadraginta, de ipſius obitu, & geſtis anno 852. ſermo redibit, Interea hæc de martyribus Cordubenſibus hoc primo perſecutionis triennio, ſummatim adnotaſſe juvabit, ne in iis inmorari per ſingulos annos cogamur, aut plura addendo, ſtili prolixitate lectores gravemur.

Ramiri Regis obitus, cui Ordonius filius ſuccedit.

12. Dum autem Chriſtianorum res ſub Maurorum tyrannide ſic afflictæ eſſent, hoc eodem anno Ramirus Galliciæ Rex, ſeptem in Regno glorioſe exactis annis, vivere deſiit, cujus ſepulchrum, Oveti cum hac inſcriptione extat. *Obiit divæ memoriæ Ramirus Rex die Kal: Februarii. Obteſtor vos omnes, qui hæc lecturi eſtis, ut pro requie illius orare non deſinatis.* Ei Ordonius filius ejus ſucceſſit, vir ingenio mitis, ſuaviſsimiſque moribus præditus, Proceribus æque ac populis cariſſimus, qui per annos ſexdecim circiter, uſque ad annum 866. feliciter regnavit, ut inſcriptio altera Ovetana teſtatur ab Alphonſo filio ejus anno Regni ſui decimoſeptimo, Era 916. ſeu Chriſti anno 878. Cruci appoſita, quam poſt Marianam, ex Morales lib. 5. cap. 19. integram exhibet Baronius ad dictum Chriſti annum 878. ut ibidem videre eſt. Is porro annus Regni Alphonſi decimuſeptimus, ab Ordonii obitu nequaquam ſumendus eſt, ſed ante quinquennim, cum a patre Regno ſociatus fuerat, ait Pagius anno 878. nota 22.

JESU CHRISTI an. 851. Leonis 4. Papæ an. 5. Lotharii Imp. an. 13. Michaelis Imp. 10.

Ludovicus Saracenos ex Beneventano ducatu

1. Jamdiu inter ſe de Beneventano ducatu Radelchius, & Siconulphus, vocatis ex utraque parte in propriam perniciem Saracenis, certabant, diſſidio tandem hoc anno Lu-

JESU CHR. AN. 851. ejciit, illudque partitur.

dovicus Lotharii filius illuc accedens finem impoſuit, ab Baſſacio enim Caſſinenſi Abbate, aliiſque optimatibus rogatus, ut afflictæ provinciæ opem ferret, cum exercitu illuc tranſiret, Saracenos omnes inde ejecit. Quin illic inventos, *Omnes ipſo die vigiliarum ſanctæ Pentecoſtes*, ait Leo Oſtienſis, *extra urbem duci, atque ad unum jugulari juſſit. Inter quos Maſſar etiam illorum Dux capite cæſus eſt. Moxque idem Imperator convocatis Longobardis omnibus, totam Provinciam Beneventanam inter Radelchim, & Siconulphum æquo jure partitus eſt anno Domini octingenteſimo quinquageſimo primo. Pauciſque poſt diebus, compoſitis rebus, ad ſua remeavit*, ideſt Ticinum. Hanc quidem Beneventani Ducatus diviſionem in Beneventanum, & Salernitanum triennio antea factam ſuſpicatur Muratorius; at auctorem, quem Leoni Oſtienſi præferamus, non habentes, hunc magis ſequi, quam conjecturis inniti magis eligimus.

Eulogius in carcere recluſus libros ſcribit, deinde dimittitur.

2. Acceptam Beneventi cladem cum uſura Saraceni Cordubenſes compenſarunt, dum inceptam anno proximo in Chriſti fideles perſecutionem ita auxerunt, ut Eulogio teſte. *Repleta ſint penetralia carceris clericorum catervis: viduata ſit eccleſia ſacro præſulum, & Sacerdotum officio. Horrent divina tabernacula ſqualidam ſolitudinem: aranea texit templum, tenent cuncta ſilentium. Confuſi ſunt Sacerdotes, & miniſtri Altaris, quia diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum, & deſinentibus in conventu hymnis cantionum cæleſtium, reſonant abdita carceris murmure ſanctо pſalmorum &c.* Ex his autem, qui in carcere incluſi fuerant, unus erat Eulogius, qui non ſolum martyrum certamina deſcripſit, ſed etiam martyrii cauſam, edita apologia in vinculis detentus, vindicavit, ubi etiam opuſculum, cui titulum prefixit memoriale ſanctorum, tribus diſtinctum libris edidit, ac libro primo iis, quæ paſſim martyribus objiciebantur, reſpondet, duobus ſequentibus martyrum agones, victoriaſque celebrat. Apologeticum excipit liber inſcriptus documentum martyrii ab ipſo in carcere poſito elucubratus, ac ſanctis virginibus Floræ, & Mariæ in ergaſtulo conſtitutis dicatus, quo eaſdem virgines ad certandum certamen excitat. Quæ cum martyrium conſecutæ fuiſſent, ſicut ſororibus ſuis promiſerant, quod cum ad Deum tranſiſſent, pro eo liberando apud Jeſum Chriſtum de-

deprecaturæ erant, fidem datam eas servasse exitus comprobavit, nam cum illæ octavo Kal. decembris martyrii coronam consecutæ fuerint. *Nos* ait Eulogius *tertio earumdem calendarum compedibus resolutos, ab squalore carceris eruerunt*, & iterum. *Sic ille quidem 8. Kal. Decembris explentes martyrium, nos tertio earumdem* pag. 304. 305. *Kalend. sole dimittimur*, hæc ad Alvarum amicum suum Eulogius, cui epistolam alteram martyriale documentum miserat, antequam Floræ, & Mariæ dirigeret Librum etiam alterum memoriale sanctorum, ut & auctoritate sua exornaret, vel etiam corrigeret, uti in præfixis epistolis idem Eulogius testatur, Eulogio autem rescribens Alvarus, opus quidem ad se missum laudat, at præ humilitate, & operis dignitate, judicium de eo ferre detrectavit. Jesu Chr. an. 851.

3. Inter Eulogii epistolas in ergastulo dictatas, altera extat ad Valesindum Pampelonensem Episcopum data, qua eidem, quantum tunc temporis Cordubensis ecclesia afflicta esset, enarrat, persecutionisque excitatæ ortum, progressum, ac martyrum certamina usque ad hunc annum, cum adhuc in carcere detentæ sanctæ virgines Flora, & Maria martyrii coronam quotidie expectantes, *seu quotidie, ut ait de interitu comminantur*, cum jam non solum Perfectus Presbyter, ut ibidem adnotat anno proximo martyrium promeruisset, sed etiam hoc anno eamdem coronam adepti essent, Isaac monachus, Sancius laicus, Petrus Presbyter, Valabonsus diaconus, Sabinianus, Vistremundus, Habentius, & Hieremias monachi, *uno die, unaque hora, septimo idus Junias*. Sisenandus vero diaconus 17. Kalendas Augusti prostratus est, Paulus Diaconus 13. Kal. Aug. Theodomirus monachus 8. Kal. Augusti, ac subdit. *Hi sunt, qui tradiderunt corpora sua in mortem propter testimonium veritatis, ut in æternum viverent*, quorum glorioſa certamina fusiori stilo in libro memorialis sanctorum descripsit, ac quam gravem persecutionem paterentur his verbis narrat: *Deinque beatissime pater, nolumus vos ignorare tribulationem nostram, quam his diebus sustinemus. Etenim anno præsenti, qui est æra* 889. *exardescens sævus adversus Dei ecclesiam furor tyrannicus omnia subvertit, cuncta vastavit, universa dispersit, retrudens carcere Episcopos, Presbyteros, Abbates, levitas, & omnem clerum: & quoscumque illa* Eulogii epist. ad Valesindum Pampelonæ Episcopum.

JESU CHR. AN. 851.

tempestate capere potuit, ferro devinctos, quasi mortuos saeculi subterraneis specubus immersit. Inter quos ego ille peccator amabilis vester devinctus sum, & una pariter omnes horridos ergastulorum luimus squallores. Viduavit Ecclesiam sacro ministerio, privavit oraculo, alienavit officio: & non est in hoc tempore oblatio nobis, neque sacrificium, neque incensum, neque locus primitiarum, quo possumus placare Dominum nostrum: sed in anima contrita, & in spiritu humilitatis reddimus Christo vota laudationis, ita, ut a conventu desinente psalmodiae cantu, resonent penetralia carceris murmure sancto hymnorum. Quae omnia prudenti relatione domnus Galindo vobis enucleatim poterit enarrare: quia nos partim maerore depressi, partim fastidium impolitae orationis vitantes, suis limitibus schedulam coarctavimus ne in modum commentarii brevitas transiret epistolaris &c. haec, aliaque Eulogius ad Vilesindum Pampelonensem Episcopum, apud quem, cum olim in Gallia togata peregrinari, seu potius exulare, ut ait apud Ludovicum Bojariae Regem coactus esset, a Vilesindo benigne exceptus hospitaverat, ut in epistolae praefatione adnotat, de quibus plura non addimus.

Eulogius cum aliis Recafredi Episcopi jussu in carcerem coniectus.

4. Cordubensi autem persecutioni Arabibus stimulum christianos dedisse, atque ex Episcopis etiam nonnullos, non semel indicat Eulogius, etsi eorum nomina praeterierit. Ex iis autem Recafredum quemdam Episcopum fuisse, cujus sedes ignoratur, aperte testatur Alvarus in vita Eulogii, haec adnotans. *Quotidie ad caelestia volare cupiens*, Eulogius, *corporea sarcina gravabatur in tantum, ut Romam ire disponeret, ut adolescentiae naevos lacrymis, & peregrinationis itinere domaret, immo domitos deleret. Sed ecce omnes hinc inde insistimus, & cum magis corpore, quam animo retinemus. Verum dum ista, & alia referuntur, tandem Recafredus Episcopus super ecclesias, & clericos quasi turbo violentus insiluit, omnesque Sacerdotes, quos potuit, carcerali vinculo alligavit, inter quos, ut electus aries ducitur, nempe Eulogius, & cum Pontifice suo*, ideſt Cordubensi Episcopo, *vel aliis Sacerdotibus vincitur &c.*

Normannorum iteratae irruptiones.

5. Cum vix hoc tempore ab Normannorum incursionibus annus immunis praeteriret, hoc anno in Frisiam, indeque in Galliam Belgicam effusi, S. Bavonis incenso Mo-

na

naſterio, Rotomagum uſque pedeſtri itinere penetrarunt, obvia quæque diripientes, & vaſtantes. In his Bellovacorum urbem flammis deſtruxerunt, ut Annales Bertiniani narrant, eademque confirmantur ab auctore Chronici Fontanellenſis monaſterii. Is quippe auctor coævus, Anno 851. Normannorum claſſem ex Novempopulania in Sequanam die tertia idus Octobris ingreſſam fuiſſe narrat, duce Hoſcro qui ante decennium Rothomagum depopulatus fuerat, & in progreſſu Fontanellam diripuiſſe, ac tandem quinto idus Januarii poſt dies 89., ex quo Sequanam ingreſſus fuerat, Fontanellenſe monaſterium excidiſſe, ac conflagraſſe, *Cum ſtetiſſet a primo edificationis ſuæ die* 18. *annis, menſe uno, & diebus tredecim*, cujus textum cum Bertinianis annalibus integrum refert Pagius: quamplurima etiam de hiſce memorat Mabillonius ibidem videnda. JESU CHR. AN. 851.

6. Inter hæc piiſſima femina Ermengardis Imperatrix Lotharii uxor, hoc anno e vivis erepta eſt, ut idem Annaliſta Bertinianus his verbis narrat. *Obiit Ermengardis Regina conjux Lotharii Imp., quæ tres filios Lothario genuerat, Ludovicum ſcilicet, Lotharium & Carolum*, & iterum ad annum 853. *Lotharius Imp., defuncta ante biennium Ermengarda chriſtianiſſima Regina, duas ſibi ancillas ex villa Regia copulavit, ex quarum altera Doda vocabulo filium genuerat, quem Carlomannum vocari jubet*. Piam feminam in monaſterium Erejſtein, quod ipſa in diœceſi Argentoratenſi ædificaverat, ultimum clauſiſſe diem, ibique ſepultam fuiſſe indicat Epitaphium eidem a Rabano poſitum. Cujus initium. Ermengardis Imp. & Lotharii uxoris obitus.

Femina hic pauſat Auguſta, & nobilis ortu
Irmengarda cui nomen erat deditum,
Quæ hoc opus incipiens, hic aulam condere juſſit
Ad Chriſti laudem, atque ſui requiem &c.

Obiit autem Irmengarda Imperatrix, ſubdit Rabanus, *anno Dominicæ Incarn.* 851. *indict.* 14. 13. *Kal. Aprilis, in die Paraſceve, hora quaſi ſexta &c.*

7. Ad hunc annum, ait Mabillonius, recentiores plerique, inter quos Sirmondus, Paſchaſi Ratberti Corbejenſis Abbatis obitum revocant, ea ducti ratione, quod ei hoc an- De Paſchaſii Ratberti ſtudiis, & obitu.

JESU CHR. AN. 851.

anno succeſſit Odo, qui anno ab hinc ſecundo tamquam ejuſdem monaſterii Abbas Senonenſi ſynodo interfuit, verum hi auctores, addit, Ratberti obitum, cum abdicatione præfecturæ confundunt, jamdudum quippe is in votis habuerat ad privatam vitam, ac ad ſtudia ſacrarum litterarum redire, quod tandem hoc anno obtinuit, facta Corbejenſibus monachis eligendi ſibi Abbatem poteſtate. Abdicationi ſuæ præter otii, & litterarum amorem, diſſidia fortaſſe litteraria cum ſuis monachis, aliiſque cauſam dedere. Cum Ratramno ſcilicet de partu Virginis, tum de gemina prædeſtinatione, & forte etiam de ſacramento Euchariſtiæ. Itaque *cum ſollicitudine paſtoralis officii, curiſque regiminis, & negotiis actionum eſſe tandem exoccupatus, divino dispenſante judicio retuli me ad ea ſtudia, quæ profecto retenta animo, remiſſa temporibus inter varios rerum ſecularium amphractus obicem, ſicque longo intervallo remiſſa revocavi*, ait in pſalmum 44. ipſemet Ratbertus, quouſque vitam tenuerit in obſcuro eſt. In bona ſenectute obiiſſe tantum ſcimus, de quo plura in ejus elogio hiſtorico, & in annalibus refert Mabillonius, & in parte ſecunda ſeculi quarti benedictini oſtendit clara Paſchaſii de reali præſentia Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento, & de Tranſubſtantiatione doctrina, oppreſſos Lutheranos, & Calviniſtas ad varias artes confugiſſe, ut ſe ſe ab ejus auctoritate expedirent, ſolideque demonſtrat, *Radbertum* contra receptam de Euchariſtia fidem nihil in medium attuliſſe, ſed univerſalis Eccleſiæ doctrinam expoſuiſſe ac propugnaſſe; Qua de re legendus etiam Natalis Alexander Sec. 9. & 10. part. 2. in Diſſert. 5. ubi Proteſtantium in Paſchaſium argumenta diluit, & invictis argumentis fidem catholicam confirmat.

Amalarius, & Joannes Scotus ſeu Erigena adverſus Gothescalcum ſcribunt.

8. Adverſum Gotheſcalcum, Hincmaro, & Pardulo Epiſcopo Laudunenſi, non ſuadentibus modo, ſed plane cogentibus, ſcripſerunt Amalarius, & Joannes Scotus cognomento Erigena vir Carolo Calvo Regi acceptiſſimus, & Philoſophiæ ſecularis Græcæque linguæ peritus, ſed in ſacris litteris non æque verſatus. Amalariani operis vix fragmenta apud Remigium extant, qui ea confutavit. Scoti tamen opuſculum in capita undeviginti diſtinctum ſupereſt, quod ubi primum in vulgus prodiit, a viris pietate doctrinaque illuſtribus refutatum eſt. Centum circiter propoſi-

positiones magna ex parte erroneas ex illo excerpsit Vvenilo Senonensis Archiepiscopus, ac Prudentio Tricensium Pontifici misit rogans, ut scripto edito oppugnaret. Quod Prudentius anno sequenti præstitit, his initio verbis Scotum aggrediens. *Blasphemias tuas, Joannes, atque impudentias, quibus in Dei gratuitam gratiam, justitiamque inflexibilem procax inveheris, percurso tuæ perversitatis libro . . . eo molestius accepi, quo te familiarius amplectebar, peculiarius diligebam: quippe qui in tantum vesaniæ proruperis, ut gravissimam sanctarum Scripturarum auctoritatem tuis pravis interpretationibus detorqueres, sensaque catholicorum Patrum perversis invertenda sensibus edoceres &c.* Prudentium alii Galliæ Scriptores sequuti sunt, ut ex dicendis constabit. JESU CHR. AN. 852.

9. Cum de damnis sibi illatis, injuriisque acceptis Croylandiæ monachi in concilio apud Rennigdon a Prælatis, & Proceribus Regni Merciorum celebrato, apud Bertulphum Regem anno 850. conquesti essent, pius Rex Bertulphus, diligenti de his omnibus præmissa inquisitione, cum hoc anno apud Kingesburg cum Episcopis Regni sui, & Proceribus Pascha celebraret, non solum vetera privilegia Croelandis monachis, olim ab Vitlasio Merciorum Rege, ejusdemque monasterii fundatore, concessa confirmavit, sed etiam dato rescripto, Sivardo Croylandiæ Abbati inscripto, cui ipse Rex cum Episcopis, & Proceribus subscriptus legitur, eadem privilegia, immunitates, & ab omni tributo exemptionem auxit, *Ac hæc omnia supradicta*, ait. *Ecclesias, Capellas, terras, tenementa, pasturas, piscationes, maneria, mansiones, molendina, mersca, & mariscos, libera, & soluta ab omni servitio seculari, & onere terreno concedo vobis, & successoribus vestris in perpetuum, & præsenti meo chyrographo confirmo &c.* Bertulphus Merciorum Rex Croylandiæ monachis privilegia confirmat, & auget.

JESU CHRISTI AN. 852. LEONIS 4. PAPÆ 6. LOTHARII IMP. 14. MICHAELIS IMP. 11.

1. Hoc Christi anno 852. Leo Romanus Pontifex, absoluta quam cœperat nova civitate, qua includeret Basilicam S. Petri Apostoli cum adjacentibus diversarum gentium Romam peregrinantium hospitalibus domibus, eamdem solemni ritu Deo dicavit. Quomodo autem ista se habuerint; Dedicatio novæ urbis Leoninæ.

ex

JESU CHR. AN. 852. ex Anastasio Bibliothecario, qui aderat, enarremus, rei gestæ seriem sic aggrediente: *Secundo præsulatus Leonis Papæ anno, præfata civitas ædificandi sumpsit exordium, & in sexto consecrationis suæ, utpote magnis, ac mirabilibus fabricis omnis civitas undique consummata est. Cumque post multos labores atque certamina beatissimi Præsulis, totum (ut desiderabat) murorum opus completum fuisset: cœpit omnipotenti Deo multimodas, sive innumeras gratias agere, qui suas quotidianas preces pro nova adificatione murorum exaudire, & adimplere dignatus est*, quo in opere nec labori, aut expensis pepercisse addit, adeout, nec frigus, vel pluvia eum umquam detineret, quin diu, noctuque vigil diversas murorum fabricas discurreret. Expleto autem opere, *jussit cum magna animi devotione, cordisque lætitia, ut omnes cum eo Episcopi pariter & sacerdotes, immo & Levitæ, & universi ordines clericorum sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ post litanias, & psalterium decantatum, cum hymnis & canticis spiritualibus per totum murorum ambitum nudis pedibus, cinerem portantes in capite, circuirent, & inter cætera ab Episcopis Cardinalibus aquam fieri benedictam præcepit, ut inter orationum officia, aquam ipsam transeuntes per murum, sanctificationis gratia, jactare omnimodis studuissent, qui quod ab eo jussum fuerat, humiliter peregerunt. Ipse autem venerabilis Pontifex ore suo tres super eumdem murum orationes cum multis lacrymis ac suspiriis dedit, rogans, & petens, ut sæpedicta civitas, & Christi conservaretur in ævum auxilio, & Sanctorum omnium, Angelorumque præsidio ab universo inimicorum secura & imperterrita perduraret incursu. Primam itaque orationem super portam, quæ respicit ad sanctum Peregrinum dixit, cujus principium & finis talis est. Deus qui Apostolo tuo Petro collatis clavibus Regni cælestis ligandi, atque solvendi Pontificium tradidisti; concede, ut intercessionis ejus auxilio, à peccatorum nostrorum nexibus liberemur: & hanc civitatem, quam te adjuvante fundavimus, fac ab ira tua in perpetuum permanere securam, & de hostibus, quorum causa constructa est, novos & multiplicatos habere triumphos. Per Dominum nostrum &c.* Orationem alteram dixit ad portam, quæ Castellum S. Angeli respiciebat, tertiam vero ad portam, quæ respiciebat ad scholam Saxonum, nunc vero ad

ad S. Spiritum in Saxia, quarum orationum formulas ibidem recitat Anastasius, & ex eo integrum Anastasii textum Baronius. His peractis cum clero, & populo sanctus Pontifex ad ecclesiam S. Petri perrexit, ibique *Missam pro salute populi, & civitatis incolumitate, ac stabilitate perpetua honorifice decantavit, factumque die illo magna cunctis lætitia, videlicet die septimo & vigesimo mensis junii, pridie S. Leonis Papæ, & vigilias SS. Apostolorum Petri & Pauli.*

Jesu Chr. an. 852. in Gallias clades.

2. Post hæc subdit Anastasius, quod cum idem Pontifex de Portuensi civitate sollicitus esset, ne deserta jacens Saracenorum incursibus exposita esset. *Corsorum animos, qui timore Saracenorum perterriti, ac propriis sedibus exules existebant, & huc, sive illuc sine solo proprio vagantes incedebant*, Deus excitavit, *ut ad sedem Romanam causa salutis ac refugii venire quantocius debuissent, sicut & factum est. Venientes vero illi ad sacratissima Apostolorum Principis limina, ter beatissimo domino nostro Leoni quarto Papæ illico præsentati sunt. Qui cum ab eo, ejusque proceribus prudenter satis scisciati fuissent, qualis tunc eis imminebat necessitas, pro qua venerant: ipsi autem suas necessitates calamitatesque & angustias per ordinem quasi uno ore coram præfato Pontifice, se futuros cunctis diebus in suo, successorumque suorum Pontificum obsequio ac servitio declararunt. Hoc sane benevolus Pontifex agnoscens, magna est statim lætitia & exultatione elevatus, gratiasque Deo retulit, qui tales ipsi transmisit homines, qui in prænominata civitate in perpetuum habitare potuissent: auditis itaque eorum multis promissionibus, Papa prædictus, una cum suis optimatibus, clara voce respondit: Si quod verbis nobis dixistis, opere curaveritis perficere, satis loca habemus optima, in quibus habitare possitis, si tantum nobis, nostrisque successoribus Pontificibus boni fideles fueritis: nam civitas, quam vobis daturi sumus, valde firma est atque munita, quam nos, Redemptoris nostri protegente auxilio, novis portis, ac fabricis in locis perneccessariis positis, ad cultum pristinum revocavimus. In qua si, ut diximus, manere cupitis, vineas vobis, ac terras, prataque concedemus, ut nullam postitis habere inopiam. Dabimus etiam vobis, ut ex labore vestro habeatis vos, & mulieres vestræ, & filii vestri unde vivere plenissime valeatis: boves etiam, & caballos, & animalia*

Corsicæ incolæ ad Portum Romanum deducti.

JESU CHR. AN. 852. *cetera, sicut prædiximus, si cuncta bono animo feceritis. Tunc Corsorum populi talia audientes promissa, lætiores effecti sunt: Missosque a pio Pontifice protinus quæsierunt, qui civitatem & loca specialiter demonstrarent: & ita factum est. Placuerunt ipsis quidem omnia, & spoponderunt æquanimiter omnes, quod si noster Papa & Dominus universa, quæ circuimus fuerit dignatus conferre, cum omni familia, & suppellectili in servitio S. Petri, & suorum successorum cum omni aviditate perseverabimus. Lustrata denique civitate, & possessionibus universis, ad venerabilem Pontificem cum iisdem Missis reversi sunt. Venientes quidem, ut præmissum est, ipsique læta ac prospera nuntiantes, & quod Corsi vivere & mori in iisdem locis omnino fuissent professi: vocatis omnibus, ut ipsi similiter secundum Missorum assertiones unanimes testarentur: Pontificale eis secundum quod promiserat præceptum, & sereni simorum Lotharii, & Ludovici nostrorum Imp. suamque simul mercedem, perpetuamque memoriam præceptum emisit, hoc scilicet tenore & placito interposito, ut tamdiu firmum maneret ac stabile, quousque sanctæ Sedis Præsulibus, populoque Romano in cunctis obedientes ac fideles existerent. Et si (quod absit) omnem præcepti seriem irrefragabiliter non custodierint: sancitum est ut idem vacuum & inane omnino consisteret.*

Alia Leonis gesta.

3. His addit Anastasius muros quoque Hortanæ & Amerinæ civitatis ab eodem Leone Papa restitutos restauratosque fuisse, ne latronum incursionibus expositi essent, cumque Sardorum plurimi easdem Saracenorum infestationes ausugientes, ad sedem Apostolicam confugissent, iis locum trigesimo ab urbe milliario ad habitandum concessisse indicat, ubi ecclesiam titulo sanctæ Dei Genitricis ædificavit, de qua hæc adnotat. *In* ecclesia S. Dei genitricis, quæ ponitur in *vico Sardorum, milliario ab urbe trigesimo catholicos libros obtulit, unum Evangeliorum, alium Regnorum, Psalmorum, atque Sermonum &c.* & paulo supra in eadem ecclesia, *quæ ponitur in vico Sardorum obtulit calicem, & patenam de argento exauratam pharum unum in quo legitur nomen Domini Leonis Papæ quarti, &c.* Sicque in ecclesia *Sanctæ Dei Genitricis Mariæ quam ipse beatissimus Pontifex a fundamentis supra scholam Saxonum noviter construxit, obtulit vestes defundato tres, & vela simi.*

militer de fundato quatuor, cætera quæ de tanti Pontificis liberalitate erga urbis ecclesias, deque donis oblatis addit, ne limites excedamus, consulto prætermittimus. Jesu Chr. an. 852.

4. Dimissis ex carceribus fidei confessoribus, ut anno proximo diximus, quo Eulogius, se libertati restitutum fuisse narrat, post diem sextum, quo martyrium Flora, & Maria Virgines consecutæ fuerant, cum inquam vix Cordubæ christiani respirassent, eadem persecutio sub hujus anni initio, gravior iterum sœviit, ut in memoriale sanctorum fusiori stilo prodit Eulogius, atque die decimatertia Januarii passi sunt Gumesindus Toletanus, & servus Dei monachus. Gumesindus enim a puero Cordubæ nutritus, & in Ecclesia trium martyrum Fausti, & Januarii, & Martialis educatus, demum ruralis Ecclesiæ sacerdos effectus est, qui paulo post cum Servo Dei monacho in civitatem veniens, una cum eo in eadem Christi confessione persistens, martyrium consummavit. Die vero vigesimaseptima Julii necati sunt sancti martyres Aurelius, & Felix Cordubenses viri conjugati, similiter & earum uxores Sabigotho, & Liliosa, nec non Georgius Syrus monachus. Insuper vigesima die mensis Augusti pariter martyrio coronati sunt Christophorus Cordubensis, & Leovigildus Eliberitanus, ambo monachi vita sanctissimi. Quartodecimo vero die mensis Septembris, Emila, & Jeremias Cordubenses pro Christo cæsi, consecuti sunt insignes martyrii coronas. Die vero sequenti Rogellus Eliberitanus monachus, itemque Servio Deo ex Syria monachus dire excarnificati, martyrium consummarunt: de quorum omnium coronis, idem Eulogius agit in supracitato libro, quorum nomina, non solum in Cordubensibus tabulis, sed etiam martyrologio Romano annis singulis, die ipsis dicata recoluntur. Cordubensis persecutio recrudescit.

5. Tanta christianorum constantia exacerbatus Abderamnes Saracenorum Rex, ac *In furorem maximum concitatus*, ut ait Eulogius, *varia corde præmeditatur, quibus posset intentionem Sanctorum reprimere. Scisitatur etiam sapientes, explorat philosophos, Regnique sui Consules super hac re percontatur. Qui omnes unanimiter in perniciem conspirantes Fidelium, comprehendi Christianos, & vinculari sub arctissimos carceres decreverunt. Tunc jam proculdubio enecandi eos difficultas fuit adempta, si quisquam vatis sui te-*

Crescente persecutione christianorum fervor minuitur.

JESU CHR. AN. 852.

merarius exprobrator ultra occurreret. At quid tunc Christiani. *Heu nos miseri opinione comperta, diffugimus, abimus, evagamur, delitescimus, timidoque discursu & habitu dematata, nocturna silentia carpimus, decidente folio exturbamur, crebras mansiones mutamus, tutiora loca requirimus, ac tremebundi undequaque dilabimur, mori formidantes per gladium, quandoque morituri per debitum.*

Christianorum plures a fide deficiunt.

6. Cum autem persecutio tamquam ignis esset, qui aurum purgat, paleas consumit, sic ea vigente factum est, ut *Multi*, ait Eulogius, *horreo inutiles Dominico, ejecti foras de rete Apostolico ab eo, qui non ut bonos vasis recondere, sed potius ut stipula inextinguibili meruerunt incendio deputari, nobiscum vel fugere, vel compati, vel etiam delitescere recusantes, pietatem relinquunt, fidem prævaricantur abdicant religionem, Crucifixum detestantur, sese (prob dolor!) impietati tradentes, submittunt colla dæmonibus, blasphemant, detrahunt, subvertunt Christicolas. Plurimi etiam qui pridem nobiscum sano sensu victorias Martyrum prædicabant, constantiam efferebant, laudabant trophæa, extollebant egonem, tam ex sacerdotibus quam ex laicis, sententias mutant, aliter sentiunt, judicant indiscretos, quos hactenus felicissimos asserebant, pro eo quod ipsi sancti infirmioribus, nolentes compati, suæ potius tranquillitatis & pacis commoda, quæ in cœlestibus sanguine mercari sidebant, quam nutanti Ecclesiæ inter scopulos perfidorum consulere studuerunt, quin ut paulo post subdit.* Quidam ex iis *publicæ rei exactor præpotens vitiis & divitiis, solo Christianismi nomine denotatus, operibus autem Deo, & Angelis ejus ignotus a principio certaminibus beatorum infensus, detractor, derogator, & infamator eorum iniquus, tumidus, elatus, superbus, & improbus, quodam die præsenti concilio Episcoporum multas adversum me, linguam commovens, exaggeraverit contumelias: anathematizare Sanctos decernit, talia meditantes, maledicere imperat, persequi stylo jubet electos, verens infelicissimus omnium, ne jacturam honoris patiatur, qui non solum nullam reverentiam Sanctis exhibere studuit, verum etiam prædicare finistrum esse, quod agunt, in populis præcepit.* Hæc Eulogius.

Cordubense concilium

7. De Cordubensi autem concilio Abderamnis jussu, ex Episcopis Regni sui, congregato, in quo publicæ rei exa-

exactor multis injuriis Eulogium affecerat, sanctosque ana thematizaverat, hæc paulo post subdit. *Et quamquam metu compulsi, seu Metropolitanorum judicio, qui ob eamdem causam tunc e diversis provinciis a Rege fuerant adunati, aliquid commentaremur, quod in ipsius tyranni, & populorum serperet aures*, seu demulceret, inhibitum scilicet esse martyrium, nec licere deinceps cuiquam *ad palæstram professionis discurrere*, ideft sponte ad martyrium se offerre, vel maledictis in Mahumetem, vel sectam Mahumetanam, Saracenos ad Christianorum sanguinem fundendum excitare, vel impellere. *Præmisso Pontificali decreto, ipsæ litteræ*, per provincias missæ, *nunciarunt* ait Eulogius, subdens mox inexcusabiles tunc Episcopos fuisse, *Non tamen inculpabile illud fuisse putamus simulationis consultum, quod aliud gestans, & aliud sonans, quasi a discursu martyriali plebem compescere videbatur: Quinimmo nisi legitima satisfactione saltem pro plebe, nullatenus remittendum esse confitemur.*

JESU CHR. AN. 852. Abderamnis jussu congregatum.

8. Cum autem Cordubensium christianorum res turbatæ adeo essent, ut ubique luctus, labor, & plurimorum lapsus, vel querelæ audirentur, sicuti olim Israelitarum in Egypto adversus Moisem, eo quod a Pharaone Moysis causa, gravius urgerentur, flagelliscque cœderentur. Cum inquam eo res essent, ut desperatæ pene viderentur, atque Episcopi Saracenis quasi sociati, confessoribus christianæ fidei insultarent, exsurrexit Deus pro populo suo, & veluti alterum Pharaonem, Abderamnem Saracenorum Regem, persecutionisque auctorem percussit, vitaque privavit, ut his verbis narrat Eulogius. *Cumque tanta coarctati angustia, crebrius gemeremus, & latentibus, ac vagantibus nobis denuo Pontifex horribili carcerum specu traderetur, nullusque nobilium laicorum ingredi fores auderet, futurum in perendie ergastulum metuentes: cœpit Rex alta ædium petere, scanditque sublime solarium, oppida lustraturus, confestimque e regione pendentia stipitibus Sanctorum corpora intuetur. Continuo suppositis ignibus cremari ea præcepit: (quorum cineres, Deo fautore, per loca sancta reposita sunt.) Et o admiranda potentia Salvatoris, & stupenda virtus Domini nostri Jesu Christi! qui semper quæsitus in tribulatione assistit, pulsatus aperit, invocatus exaudit. Nam os illud, quod Sanctos Dei camburi præcepit: repente eadem hora divinitus obstrui-*

Abderamnes a Deo percussus obiit cui succedit Mahumetes.

JESU CHR. AN. 852. *ſtruitur, lingua vero, Angelo percutiente, repreſſa, ſuo herent palato ultra fari non potuit. Sicque portantium manibus in ſtratum reductus, quadam noctis ipſius hora ſpiritum reddens, priuſquam rogus ſanctorum cadaverum extingueretur, idem vita exemptus, æterno clibano deputatus eſt, relinquens ſucceſſorem Imperii Mahomad primogenitum, hoſtem Eccleſiæ Dei, & Chriſtianorum malevolum perſecutorem*: hucuſque de his Eulogius, quibus adeo patentibus indignationis divinæ ſignis illud Pſalmographi aptari poſſit. *Si eſt fructus juſto, utique eſt Deus vindicans eos ſuper terram &c.* De Mahumete autem Abderamnis filio, & ſucceſſore, eum quoque ſæviſſimum chriſtianorum perſecutorem fuiſſe addit. Nam ut ſubdit Eulogius *Ipſo die, quo ſceptrum Regni adeptus eſt, chriſtianos abdicari Palatio juſſit, dignitate privavit, honore deſtituit, multa poſt modum in nos mala irrogari diſponens &c.* At de ejuſdem geſtis ſequentibus annis.

Rabanus Moguntiæ tertiam ſynodum celebrat.

9. Hoc autem anno ab Rabano Moguntino Archiepiſcopo synodum Moguntiæ celebratam fuiſſe his verbis narrat Annaliſta Fuldenſis. *Habita eſt synodus ex voluntate atque præcepto ejuſdem Sereniſſimi Principis in civitate Moguntia Metropoli Germaniæ, præſidente Rabano venerabili ejuſdem urbis Archiepiſcopo, cum omnibus Epiſcopis, atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Bojariæ, & Saxoniæ, & illi quidem de abſolvendis quæſtionibus tractatum habuerunt.* At quænam ibidem quæſtiones agitatæ fuerint nullibi conſtat, hoc unum ſcimus ex ſubſcriptionibus Moguntinæ synodi primæ anno 847. celebratæ, Moguntinæ ſedis ſuffraganeos ad hanc synodum convocatos fuiſſe Epiſcopos Verdæ, Hildeſheimji, Halberſtadii, Paterbone in Saxonia inferiori, Herbipolis in Franconia, Vormatiæ, Spiræ, Argentorati ad Rhenum, Aiſtadii ad Almonam, Auguſtæ ad lacum in Svevia, Coſtantiæ ad lacum Acronium & Curiæ apud Rhetios in alpibus Germaniæ, & Italiæ conterminis, quo etiam anno Venilo Senonenſis Archiepiſcopus in synodo cum ſuffraganeis ſuis celebrata, privilegium monaſterio S. Remigii ab Aldrico olim Epiſcopo conceſſum, ſua, ſuorumque collegarum ſubſcriptione confirmavit.

S. Remigii reliquiæ ab Hincmaro translatæ.

10. Hincmarus vero Rhemenſis Epiſcopus, cum baſilicam S. Remigii in ampliorem formam redegiſſet, ejuſdem S. Remigii Francorum Apoſtoli reliquias in nobiliorem cryptam

ptam ab eo exornatam transtulit, atque his versibus exornavit. JESU CHR. AN. 852.

Hoc tibi, Remigi, fabricavi magne sepulchrum.
Hincmarus præsul, ductus amore tuo.
Ut requiem Dominus tribuat mihi, sancte, precatu.
Et dignis meritis, mi venerande, tuis.

Epitaphium alterum loculo inscribendum paraverat Aldoinus Abbas Altivilliarensis, quod tomo primo analectorum, & apud Baronium legitur, at suos ibidem inscribi versus Hincmarus iussit, eamque translationem Anno 852., *quarto Kal. Julii, Regni vero Caroli* 12. *ordinatione quoque Hincmari octavi, indict.* 15. factam fuisse supracitatus Abbas testatur, S. Remigii corpus intactum inventum fuisse narrat Frodoardus, atque translationem ipsa die, qua primum seculo sexto e tumulo facta fuerat, contigisse addit, novoque sudario, sericis, & argenteis filis contexto repositum, sub sacro vero capite pulvinus ex rubeo panno bombicino appositus, quam Alpaides Caroli Calvi soror suis manibus contexerat, ut ex his versibus constat.

Hoc opus exiguum præsul clarissimus Hincmar.
Alphadii jussit condere, sicque dare.
Ille quidem jussit, sed & hæc mox lecta peregit.
Protulit & factum, quod modo cernis opus.

Nihil tamen inde ex Remigii corpore tollere ausus est Hincmarus, ut in epistola ad Ludovicum Germaniæ Regem, qui aliquid ex ejusdem reliquiis petierat, testatur idem Hincmarus, nefas quippe duxerat, integrum hucusque corpus in partes dividere, atque hac occasione, de altera S. Remigii solemni translatione anno 650., die 19. Augusti facta agit Mabillonius Annal: lib. 34. num. 42. pag. 20. tom. tertio

14. Cum opus Joannis Scoti Erigenæ anno proximo accepisset Prudentius Trecensis Episcopus, hoc illud, uti præmonuimus opus de duplici prædestinatione non multo post refutavit eoque commentario Scoti verba passim inserit: tum contra venenatam doctrinam ex Pelagio, & Juliano acceptam conficit, antidotum ex SS. Patrum sententiis, Hieronymi præcipue, Prudentius Trecensis Episc. scripta Joannis Scoti confutat.

JESU CHR. AN. 852.

pue, Augustini, Fulgentii, & Gregorii, ac geminam Prudentibus prædestinationem tuetur, ad vitam scilicet æternam, atque ad pœnam sempiternam. Deum tamen impios prædestinasse ait, *non ut peccarent, sed ut propter peccatum, pœnis perpetuis interirent: prædestinasse, ideſt præordinasse, non ad culpam, sed ad pœnam, non ut malum quoddam vellent, sive admitterent, sed ut propter malum, quod volentes facerent, eos pœna sempiterna juste damnaret*, ac ibidem Christum non pro omnibus mortuum propugnat, sed de redemptionis efficacia intelligit, ut ex ipsa quæstionis propositione perspicuum est: Quos autem Sanguis *proprii filii ejus Domini nostri Jesu Christi misericorditer liberarit, utrumne pro omnibus quibuscumque hominibus, an pro quibusdam prædestinatione electis, electione indebita prædestinatis fusus fuerit, ipsa Omnipotentissima Veritas, quæ eum in unitatem suæ personæ misericorditer suscepit & fudit, consulta nos doceat*; sicque negat in Deo voluntatem salvandi omnes, sed de voluntate absoluta & consequente, ut Theologi vocant, non de conditionata & antecedente ut demonstrant, quæ cap. 4. scribit. Denique totius Operis recapitulationem subjecit Prudentius, continentem 77. *Joannis Scoti* propositiones cum brevissimis responsionibus, ad eorum utilitatem, qui tum librum non legissent, & ad eorum qui lecturi erant memoriam.

Florus Scoti libros confutat.

2. Per idem tempus relatis ejusdem Scoti sententiis ad Lugdunensem ecclesiam easdem Florus Magister, Diaconus doctissimus, edito Libro oppugnavit ejusdem Ecclesiæ nomine, quod in Præfatione testatur idque præterea probant editi ac manuscripti Codices librorum Flori, quibus non tam doctrinam ejus contineri quam ecclesiæ Lugdunensis, eo magis vero proximum est, quo apertius eamdem postea confirmavit Remigius Lugdunensis Episcopus. Florus interea hæc præfatur: *Venerunt ad nos, ideſt, ad ecclesiam Lugdunensem cujusdem vaniloqui & garruli hominis scripta, qui velut de præscientia, & prædestinatione divina, humanis, & ut ipse gloriatur philosophicis argumentis disputans, nulla ratione reddita, nulla scripturarum, sive sanctorum patrum auctoritate prælata, velut tenenda & sequenda, sola sua præsumptione definire ausus est &c.* quæ sane etsi vanitate sua facile corruerent, quia tamen, ut addit, nonnullis hæc admirationi, aut scandalo erant, hinc

ca

ea nomine Lugdunensis ecclesiæ confutanda susceptisse addit ac Prædestinatianam hæresim fictitiam fuisse ait *Secunda hæresis inquit quam dicit esse gratiæ solius, quæ sit, vel fuerit in ecclesia, quæ ita prædicaverit sola Dei gratia hominem salvari, ut liberum hominis negaret, vel destrueret arbitrium, nobis minime comperta est.* Itaque eoque figmento Scotum latenter, & oblique S. Augustinum ejusque discipulos accusare addit idque ex eo patere, quod eam post S. Augustini tempora posuerit. Denique inquit, *ut manifeste agnoscamus non eum de antiquiori aliqua hæresi dixisse, quod solius gratiæ fuerit prædicator, non posuit hanc hæresim ante Pelagianam, sed postea, idest a temporibus sancti Augustini usque nunc, nec potest inveniri toto hoc tempore, quod fuit inter illum & nos talem aliquam hæresim in ecclesia extitisse, nisi quod vel ipsum, ut jam diximus Beatum Augustinum, vel nos, qui eum sectamur istius erroris accusat &c.* De eodem Prædestinationis argumento agit præterea Florus in sermone, qui adhuc supereſt una cum Epistola, qua libros mittit Lugdunensis Ecclesiæ a se, & Remigio ejusdem Antistite vulgatos, quam sermoni coniunxit noviſſimus opusculorum de Divina Gratia Editor Cl. Fuginius Vatic:, Biblioth. Præfectus, mihique dum viveret singulari necessitudine coniunctus. JESU CHR. AN. 852.

11. Dum pro duplici prædestinatione adversus Joannem Scotum Erigenum Prudentius Tricassinus Episcopus, & Florus decertarent, Amolo Lugdunensis Episcopus quibusdam acceptis ab scriptis seu epistolis Gotescalchi in carcere monasterii Altivillarensis detenti, ad eum rescribens, seu potius ad Hincmarum, cui epistolam suam direxit, scripta ejus, & insertos in iis errores confutavit, cum Amolonis judicio non solum electorum ad vitam æternam, & reproborum ob mala eorum prævisa merita ad pœnam eternam prædestinationem Gotheſcalcus tueretur, sed diceret præterea *neminem perire posse sanguine Christi redemptum*, unde inde sequeretur, vel non omnes baptizatos in sanguine Christi redemptos, vel neminem sanguine Christi redemptum, & baptizatum perire posse, quæ sane absurda, ac catholicæ fidei dogmatibus adversari manifestum est, ex eoque principio sequebatur, ut Gotheſcalco exprobat Amolo, quod qui perituri erant, perfunctorie tantum, & frustratorie sacramenta Amolo Lugdunensis Episcopus Gotheſcalchi scripta confutat.

JESU CHR. AN. 852.

percepiſſent, eoſdemque negaret Chriſti corpori, ſeu eccleſiæ vere incorporatos fuiſſe. Hæc, aliaque his ſimilia ex reproborum prædeſtinatione ad pœnam eidem objicit, quaſi eoſdem malos, & reprobos creaverit; Goteſcalchi etiam temeritatem comprimit, eo quod Sacerdotes Dei, & Rectores eccleſiarum injuriis, & conviciis laceſſeret, quos *a bono*, *& catholico*, *& erudito viro*, *Rabanitas* appellabat, aliaque addit de quibus jam ſupra verba fecimus. Maurini autem auctores Hiſtoriæ literariæ Galliæ To. V. pag. 707. tradunt ſupradicta Gotheſcalci ſcripta ab Amolone oppugnata, ſuppoſita illi fuiſſe ab Hincmaro, qui dictos errores eidem veluti conſectaria ejus de duplici Prædeſtinatione ſententia tribuebat. Mabillonius vero in annalibus Benedictinis ad an. 852. n. XLIV. contendit ſcripta eadem alia eſſe quam duæ Gotheſcalchi confeſſiones fidei, quarum in neutra præmiſſa errorum capita inveniuntur: immo contraria de prædeſtinatione ſententia. Sic quippe Gotheſcalcus prædeſtinationem ad interitum in prolixiori confeſſione exponit ut eam Deo, ac divinæ ejus præſcientiæ aſſerat: in utraque aperte confitetur, quod Deus, ut electos ad vitam æternam, ſic Diabolum cum omnibus ſuis apoſtaticis, & hominibus reprobis, *propter præſcita certiſſime ipſorum propria futura mala prædeſtinavit pariter per juſtiſſimum judicium ſuum in mortem merito ſempiternam*, ut in priori confeſſione legitur: in poſteriori autem iterum adnotat, *quos præſcivit, per ipſorum propriam miſeriam, in damnabilibus perſeveraturos eſſe peccatis, illos, tamquam juſtiſſimus judex, prædeſtinavit ad interitum juſte ac merito*, quod ſanctorum Auguſtini, ac Fulgentii, aliorumque Patrum doctrinæ, immo & catholicæ veritati omnino conſentaneum eſt. Hactenus Mabillonius.

Amolonis Lugdun. Epiſc. obitus, cui Remigius ſuccedit. *Mabil. loc. ant. cit. Pagius not. 13. Biblioth. SS. PP. T. 14.*

12. Interea Amolo hoc eodem anno vivere deſiit, ut certis uſus monumentis probat Mabillonius, ac Pagius. Succeſſorem vero in Lugdunenſi ſede Remigium habuit, Lotharii Imperatoris ſummum Capellanum, de quo non ſemel infra redibit ſermo, cum præſertim plura, ſuo & eccleſiæ Lugdunenſis nomine ad Gotheſcalchi controverſiam pertinentia ediderit. Amolonis autem nomen die ultima Martii Lugdunenſis eccleſiæ faſti retinent, cujus opera cum Agobardi deceſſoris ejus ſcriptis vulgavit Balutius; exſtant pra-

præterea in SS. Patrum Bibliothæca tom. 14., atque inter cetera primum locum obtinet Epistola, seu opusculum de reliquiis incertis, vel non probatis, quas monachi quidam vagi tamquam Roma allatas, passim venditabant, ac in Galliarum ecclesiis reponebant. Interrogatus enim ab Theotbaldo Lingonensi Episcopo, de reliquiis quibusdam in ecclesia S. Benigni Divione reconditis, ubi convenientes mulierculæ, miracula quædam ibidem fieri dicebant, non tamen sanitatis, ut apud sepulchra martyrum, sed potius miraculà commiseratione digna, ut ait, cum ibidem mulieres in oratione positæ attractæ, convulsæque fierent, ac in terram corruentes, nullo accepto damno paulopost illæsæ consurgebant. Hæc ad hominum impostura pertinere adnotat Amolo, ac ossa illic reposita, alibi in loco apto & mundo prope Ecclesiæ parietem secreto recondenda esse addit, ne aut injuria, si abjicerentur, sanctis fieret, aut si fidelium venerationi relinquerentur, scandalo fidelibus essent, aut quæstuosi commercii occasio daretur, quod non semel ante hæc tempora, & sequentibus seculis contigisse scimus, atque hoc eodem labente seculo, ad sepulchrum Diaconi Paris Parisiis, convulsionum, attractionumque membrorum impostura diu lateque vulgata sunt. Inauditum quippe, ajebat verissime Amolo, ut in memoriis martyrum talia fierent signa, quibus nequaquam ægri sanarentur, sed sani percuterentur, & dementarentur. JESU CHR. AN. 852.

13. Anno 849. ex Bertiniano Annalista narravimus Carolum Pippini filium, & Ludovici pii nepotem attonsum fuisse, & monachali veste indutum, cui frater ejus Pippinus hoc anno sociatus est, cum enim is nova quædam in Aquitania moliretur, a Sancio Vasconiæ Comite comprehensus, & ad Carolum Calvum Lotharii filium, & Aquitaniæ Regem perductus, ejusdem jussu attonsus, in monasterio S. Medardi Svessionis recluſus fuit, unde in synodo Svessionensi anni sequentis, Pippinus, *consilio reverendissimorum Episcoporum, & Procerum attonsus, & in habitu manachico ad monasterium S. Medardi custodiendus, & docendus ducitur*, ait idem Annalista Metensis, & alii cum ipso historici. Pippinus Pippini filius fit monachus.

14. Berthulphus Merciorum Rex postquam annos 13. regnasset, hoc anno obiit, cui Burohedus successit, accepta & Eulsuida filia Regis Athulphi uxore, ait Malesburiensis Berthulphus Merciorum Rex moritur

JESU CHR. AN. 853.

sis lib. 1. de gestis Regum pag. 33. eademque ceteri Anglicanæ historiæ scriptores; per multos quidem annos Merciorum Regnum Burrhedus strenue administravit, vestigalis tamen, & beneficiarius Regis Saxonum Occidentalium, sicuti ultimi decessores ejus fuerant, post ejus obitum Merciorum Regnum Regno saxonum adjunctus fuit.

JESU CHRISTI AN. 853. LEONIS 4. PAPÆ 7. LOTHARII IMP. 14. MICHAELIS IMP. 12.

Concilium Roman. ab Leone celebratum.

1. Celeberrimum definente hoc anno ex totius Italiæ Episcopis totoque adstante, & subscribente Romano clero, cum Lotharii Imp. & Ludovici Regis legatis, concilium Romæ Leo quartus Pontifex habuit, cujus acta ab Holstenio edita conciliorum collectores referunt, ut in

Labb. Conc. T. 8. p. 113.

prefatione legitur. *In ecclesia Beati Petri Apostoli, anno Pontificatus sanctissimi, ac Evangelici & universalis quarti Papæ Leonis septimo, atque invictissimorum DD. NN. Lotharii, & Ludovici Imp., anno quoque Imperii eorum quinto, & 37., mense Decembri die 8. indict. 2. &c.* eademque leguntur in fine, dum de depositione Anastasii Presbyteri S. Marcelli agitur, cujus causa in hac synodo agitata est, ut mox dicturi sumus, ejusdemque synodi non solum Hincmarus in epistola Caroli secundi nomine scripta ad Joannem octavum Pontificem de judiciis, & appellationibus Episcoporum, & Presbyterorum meminit, sed etiam Anastasius, qui adnotat, restaurandæ disciplinæ zelo eamdem synodum ab Leone congregatam fuisse. *In qua tam ipse catholicus & Apostolicus vir, quamque & alii cum eo sexaginta & septem Episcopi confederunt, ex quibus quatuor Episcopi ab Imperatoribus destinati Joseph Epporegiensis, Mottingus Brixiensis, Petrus Spoletinus, & alius Petrus Aretinus, inter quos etiam Paulus Diaconus S. Ravennatis ecclesiæ residens, vicem tenens Joannis Archiepiscopi sui, absque Presbyteris, & Diaconibus, & clero sanctæ matris ecclesiæ*, idest Romanæ ecclesiæ.

Anast. T. 1. p. 388.

Synodi Rom. gesta.

2. De gestis vero in synodo hæc subdit Anastasius, *Et tunc coram omnibus quadraginta & duo capitula, quæ profecto ad salutem, & lucrum omnium Christianorum hominum pertinere noscuntur, per diaconos sanctæ & universalis Sc-*

JESU CHR. AN. 853.

Sedis Apoſtolicæ legi præcepit. Quæ etiam capitula, ut in futurum ab omnibus illibata ſerventur, poſt cætera decreta Pontificum in ſanctis Canonibus juſſit adſcribi, quatenus omnes Epiſcopi hujus auctoritatis exemplum ante oculos habeant, ut ſuos melius poſſint inſtruere & erudire ſubjectos. In hac denique poſt cætera Synodo, Anaſtaſius presbyter Cardinalis tituli B. Marcelli ab omnibus canonice eſt depoſitus, eo quod parochiam ſuam per annos quinque contra Canonum inſtituta deſeruit, & in alienis uſque hodie demoratur. Qui neque ad duo pro eo congregata Concilia venire volens, neque per tres vocatus Epiſcopos, Nicolaum videlicet, Petronacium, & Joannem: ideo merito uno conſenſu, ſecundum quod de talibus, ſacris continetur Canonibus, eum ſancta Synodus depoſuit, & ſacerdotali honore privavit, anno, menſe, die, & Indictione ſuperius adnotata. Hæc ſummatim Anaſtaſius Bibliothecarius de ſynodi actis, & depoſitione Anaſtaſii Presbyteri Cardinalis tituli S. Marcelli Papæ & martyris, quæ fuſiori ſtilo in actis relata ſunt.

Anaſtaſii Presbyteri Card. cauſa agitur. *Labb. Conc. T. 8. p. 120.*

3. Hic autem Anaſtaſius, neſcio quo ſpiritu ductus, urbe excedens, in Ludovici aulam tranſierat, variaſque Italiæ provincias luſtraverat, unde jam quinquennio, titulum & eccleſiam ſibi commiſſam reliquerat. *Quem etiam*, ut coram ſynodo teſtatus eſt Leo Papa, *auctoritate ſuſſulti canonica, Apoſtolicis litteris per tertiam, & quartam vicem vocavimus.* Contumacem vero, ac redire recuſantem, alia in ſynodo Romæ habita, eum primo communione privaverat Leo, ac Lotharium, & Ludovicum rogaverat, ut renuentem etiam conſilio ſuo, & auctoritate Romam redire compelleret.

Tres Epiſcopi ad Anaſtaſium miſſi.

4. His peractis Leo Papa Romam ex Ravenna redierat, ſubdit Anaſtaſius *Ipſeque jam fatus Presbyter*, Anaſtaſius, *cum miſſis Imperialibus perventus eſt Cluſium, ad quem tres venerabiles Epiſcopos noſtros cum vocationis litteris deſtinavimus, Nicolaum videlicet, Petronacium, & Joannem, monentes eum tam per ſe, quam per Epiſtolas, quas ei per eoſdem mandavimus: ut die quinto decimo menſis Novembris hujus ſecundæ Indictionis ad generalem ſynodum abſque omni dilatione vel mora occurrere debuiſſet. Ille autem ut ſemper, ita & nunc, in ſua inquietudine, atque audacia perſeverans, venire (ut omnes modo nobiſcum cernitis) diſtulit atque contem-*

JESU CHR. AN. 853.

tempſit. Quare ad ſynodum converſus Pontifex, quid ultra adverſus contumacem adeo atque rebellem agere deberet, interrogavit, ſynodus vero rogavit, ut qui miſſi fuerant Epiſcopi, quid legatione ſua egiſſent, rationem redderent, quare Epiſcopi, Nicolaus ſcilicet, Petronacius, & Joannes, litteras ad Anaſtaſium a Leone ſcriptas obtulerunt, quæ cum ab Theodoro notario, & ſcriniario S. R. E. lectæ fuiſſent, ex iis conſtabat iterum Anaſtaſium ad ſynodum die 14. Novembris futuram vocatum ſub anathematis, & excommunicationis comminatione, ſi adeſſe renuiſſet.

Synodi ſententia in Anaſtaſium Presbyt. Card.

5. His lectis *Sancta ſynodus interea dixit, requiratur, utrum venerit, an non; Requiſitus minime inventus eſt*. Cumque hæc coram Imperialibus miſſis Leo Papa expoſuiſſet, ut Imperiales quoque litteræ, quibus juſſum erat, ut Anaſtaſius Presbyter Romanæ ſynodo ſe iſteret, legerentur, iiſque Ludovicus teſtabatur, ſibi Anaſtaſii contumaciam quammaxime diſplicuiſſe, *Quem nunc per clariſſimos miſſos noſtros, Joſeph videlicet reverendiſſimum Epiſcopum, atque dilecti filii noſtri Hludovici Archicapellanum, nec non & Petrum ſanctæ Sedis Spoletinæ venerabilem Epiſcopum, & Aldegiſum illuſtrem Comitem noſtrum præſentialiter vobis mittimus: quidquid canonice & ſecundum Deum per illum veſtra deliberaverit ſententia, nihil contradicentes. Tantum ſollicite cavere, ac prudenter tractare curate, ne hoc facto divina voluntas offendatur in aliquo. Tunc venerabilis & præcipuus præſul omnibus reſidentibus Epiſcopis, & Presbyteris, ſtantibuſque Diaconibus, & cuncto Clero dixit: O beatiſſimi fratres. quid veſtra beatitudo de crebro dicto presbytero, qui tanta ac talia, & tam enormiter contra Patrum regulas atque ſtatuta peregit? Mox omnes Epiſcopi unanimiter dixere: Quid aliud arbitrari aut proferre valemus, niſi ut ſancti Patres, qui Antiocheno Concilio reſidentes tertio capitulo promulgarunt, & inviolabiliter ſtatuerunt?* Et Antiocheno relato canone, quo cautum erat, ut ſi quis Presbyter propria relicta parochia, & ab Epiſcopo revocatus non paruerit, excommunicatione plecteretur. His inquam lectis, interrogavit Leo Pontifex ſynodum an placeret, ut eamdem in Anaſtaſium ſententiam ferret, quam his verbis tulit. *Anaſtaſium jam nuper excommunicatum Presbyterum tituli S. Marcelli, qui propriam parochiam relinquens, in aliena per*

Jesu Chr. an. 853.

per multa tempora nititur immorari, a ſacerdotali miniſterio modis omnibus removemus, ita ut locum reſtitutionis nequaquam inveniat. Si quis autem contra hanc definitionem noſtram quocumque tempore agere præſumpſerit, aut eum reſtituere in ſacro officio tentaverit: ſit ei a ſanctis Patribus, & a nobis omnibus anathema. Poſt hæc omnes Epiſcopi in eadem Synodo reſidentes unanimes dixerunt: Et nos ſic judicamus, ſicque irrefragabiliter ſtatuimus. Et ſubſcripſere Epiſcopi numero ſexaginta ſeptem. Et primo loco ſic Leo Papa. *Leo ſanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ quartus, Epiſcopus, in hac excommunicatione & anathemate, ſive depoſitione Anaſtaſii presbyteri tituli ſancti Marcelli a me facta, ſicut ſuperius legitur, manu propria ſubſcripſi. Hlotharius Imperator ſubſcripſit. Paulus Subdiaconus vicem gerens Joannis Archiepiſcopi Ravennatis. Joſeph Epiſcopus Eporedienſis &c.* Deinde ceteri Epiſcopi numero 65. tum demum Presbyteri Cardinales Rom. Eccleſiæ 19. Diaconi vero ſex, hiſque ſynodus clauſa fuit. At Anaſtaſii Presbyteri pervicacia his nequaquam ceſſit, quin cum Leo Papa anno 855. vivere deſiiſſet, omnem is movit lapidem, ut Petri cathedram invaderet, quod nequaquam Clerus, populuſque Romanus permiſit, ut ibidem dicturi ſumus.

6. In hac Romana ſynodo canones quadraginta duo Leo Papa vulgavit, quorum pars maxima ex altera Romana ſynodo ſub Eugenio ſecundo Papa celebrata deſumpti ſunt, 38. ex ſynodo Romæ habita ab Zacharia Pontifice, ceteros Leo addidit, eorumque plurimos in ſua canonum collectione Gratianus inſeruit, quem poſtea ceteri collectores ſequuti ſunt, ac de Epiſcoporum ordinationibus, eorumque officiis, deque Presbyterorum, aliorumque clericorum moribus, vita, officiis, pluribus agitur, deinde de bonorum eccleſiæ adminiſtratione, rebuſque eccleſiæ non alienandis canones aliquot editi ſunt, ſeu potius in memoriam revocati, deque monachis, religioſiſque feminis, de Xenodochiis, deque reparandis eccleſiis, vel criminibus vindicandis, deque inceſtuoſis nuptiis, luxuriaque frænanda, ne quisquam ſcilicet, propria dimiſſa uxore, alteram ſuperinduceret, vel duas uxores, vel concubinam cum uxore retineret. Cumque litterarum ſtudia hac ætate, ſive injuria temporum, ſive hominum incuria, eouſque negligerentur, ut vix

Synodi Rom. canones 42. *Labb. ſup. p. 106. & ſeqq.*

JESU CHR. AN. 853.

vix in urbibus, ſecularium, vel ſacrarum litterarum ſcholæ adeſſent, Leo Pontifex præceſſorum ſuorum veſtigia ſequens, ut ſaltem divinæ litteræ in eccleſiis docerentur canone 34. his verbis juſſit. *Etſi liberalium artium præceptores in plebibus, ut aſſolet, raro inveniuntur, tamen divinæ ſcripturæ magiſtri, & inſtitutores eccleſiaſtici officii nullatenus deſint, qui & annualiter proprio Epiſcopo de ejuſdem actionis opere ſollicite inquiſiti debeant reſpondere. Nam qualiter ad divinum utiliter cultum aliquis accedere poſſit, niſi juſta inſtructione doceatur.* Sed de Romanæ ſynodi canonibus, vel geſtis hactenus.

Concilium Sveſſionen. ab Hincmaro celebratur.

7. Celeberrimum quoque in Galliis Sveſſionenſe concilium hoc anno celebratum eſt, cui Hincmaro Præſide, Epiſcopi triginta quinque circiter adfuere cum Abbatibus ſex, & ex his Lupus Ferrarienſis Abbas, cui etiam Carolus Rex præſentiam ſuam exhibuit, ut acta præſeferunt, *Ac anno Incarnationis D. N. J. Chriſti 853. Anno vero Regni glorioſi Caroli, filii Ludovici Aug. 13. indict. 1. ſexto Kalendas Maii*, in monaſterio Sancti Medardi prope Sveſſionam celebratum fuiſſe tum præfatio, cum acta teſtantur, Hujus ſynodi tres quodammodo ſunt partes, prima canones aliquot continet ad diſciplinam eccleſiaſticam reſtaurandam ſpectantes. Secunda continet geſta adverſus Ebonem Remenſem olim Epiſcopum a ſua ſede dejectum, cui ut ſupra diximus, poſt decennalem ſedis vacationem Hincmarus ſucceſſerat, ac ibidem geſta adverſus eum retractata ſunt, ejusdemque depoſitio confirmata, ac ordinationes ab eo poſt depoſitionem factæ irritæ declaratæ ſunt. Tertia tandem pars capitula pro eccleſiarum incolumitate, immunitate, juribusque vindicandis conſtituta, & a Carolo Rege per Miſſos ſuos vulgata continet, de quibus ſingulis nunc agendum, cum præcipue, adverſus Ebonem, in ea ſynodo ſtatuta, & ordinatos ab eo Presbyteros, vel clericos, magnas in Gallis quæſtiones, & adverſus Hincmarum querelas excitaverint, ita ut eorum cauſa ad Apoſtolicam ſedem devoluta, ac longo tempore agitata, Nicolaus Papa primus ejuſdem acta irrita declaverit, uti infra dicturi ſumus.

Sveſſionenſis ſynodi canones.

8. Canones itaque tredecim hæc ſynodus edidit, quorum ſummam tantum, ne longiores ſimus hic exhibemus. Primo depoſitionis ſententia in Ebonem olim Remenſem Epi-

Jesu Chr. an. 853. *Labb. Concil. T. 8. p. 80.*

Episcopum lata, confirmatur, rataque Hincmari electio, & ordinatio declaratur. 2. Hermanni Episcopi Nivernensis ecclesia propter infirmitatem Veniloni Archiepiscopo commendat. 3. Agitur de Burchardo Carnutorum Episcopo, eique, ut Episcopatum dimitteret, jubetur. 4. Aldricum Episcopum paralysi laborantem, ecclesiamque ejus metropolitano commendat. 5. Duo monachi presbyteri, Pippinum e sancti Medardi monasterio abducere conati, depositi in diversa monasteria relegantur. 6. Ragamfridum Diaconum, qui præcepta falsa regio nomine condidisse dicebatur eadem plectitur sententia. 7. De missis ad instaurandum Dei cultum per singulas provincias dirigendis agit. 8. Statuitur ut ecclesiæ, immunitate olim adepta, in perpetuum frui sinantur. 9. Ut ex possessionibus ecclesiasticis nonæ, ac decimæ persolvantur. 10. Ut in locis sacratis judicia publica non exerceantur. 11. Ut noxios nemo audeat tueri. 12. Ut incestuosi, aliorumque criminum rei, qui Episcoporum examen refugiunt, per judices publicos compellantur. 13. Ut res ecclesiasticæ absque Regis permissu commutentur.

Sveſſionenſis ſynodi geſta.

9. Secunda pars synodi sessionibus octo constat, in quibus de ordinationibus ab Ebone post depositionem peractis quæstio agitata est. Cum enim in concilio Bellovacensi Hincmarus Remensis in locum depositi Ebonis, qui Lotharii partes sequutus fuerat, Episcopus anno 845. ordinatus fuisset, Lotharius Imperator litteras ab Sergio Pontifice obtinuerat, ut Ebonis causa retractaretur. At Ebo causæ suæ diffidens, synodo in eam rem Lotharii jussu congregatæ adesse recusavit. Quamobrem Hincmarus ab Ebone dejecto nil ultra sibi timens, Vulfradum Episcopum, aliosque clericos ab Ebone ordinatos suspendit, quorum causa ad Svessionensem synodum hoc anno delata, ex integro retractata fuit. Prima actione cum depositi ab Hincmaro petiissent, ut a synodo audirentur, atque Singloardus tenens locum Archidiaconi Remensis eorum postulationem coram synodo recitasset, Hincmarus synodi Præses, num libellum haberent, interrogavit. Respondentes autem se nullum habere, eos nequaquam audiendos esse, nisi scripto petitionem porrigerent, ut consuetudo ecclesiæ ferebat, dixit Hincmarus. Quare libellum scribentes Hincmaro porrexerunt, quem ut legit Hincmarus ab notario petiit, cur Vulfadus nec præsens esset, nec libello subscriptus, cui cum dictum esset, *Sup. p. 84.*

JESU CHR. AN. 853.

eum in monaſterio egrotare, legatos ſynodus ad ipſum cum teſtibus miſit, ut is quoque ſi vellet, libello ſe ſubſcriberet, quod cum factum eſſet, tunc Hincmarus ſe in ea cauſa judicem eſſe non poſſe teſtatus eſt, cum adverſus ſe ipſum libellum ſuſpenſi clerici porrexiſſent, ac judices in ſua cauſa elegit Venilonem Senonenſem Archiepiſcopum, Amalricum Turonenſem Archiepiſcopum, Pardulum Laudunenſem Remenſis eccleſiæ ſuffraganeum, hos itaque in cauſa ſua judices cum elegiſſet Hincmarus. *Salva reverentia Apoſtolicæ ſedis, cui in omnibus cauſis reverentia debet exhiberi.* De loco ſuo receſſit, cum his geſtis præeſſe non poſſet, ne judex in cauſa ſua ſederet, ac Pardulo Laudunenſi locum ſuum ceſſit in hoc judicio, ut locum ſervaret primatus eccleſiæ Remenſis. Hiſque in hac cauſa judicibus delegatis, interrogati ſunt dejecti clerici, qui libellum adversus Hincmarum obtulerant, num delectos judices probarent, an alios iis adjungi cuperent, quibus cum aſſenſum ſuum præbuiſſent, Prudentium nihilominus Tricaſſinum Epiſcopum iis adjungi poſtularunt, quod cum iis conceſſum fuiſſet, judicum delegatorum ſcriptura ad Vulfadum abſentem, & infirmum miſſa eſt, ut iis quoque conſentiret, & ſubſcriberet, quod cum factum eſſet, prima hujus ſynodi actio finem habuit.

Ebonis depoſitio, & Hincmari electio examinatur, ac utraque confirmatur.

10. His in prima actione geſtis, in ſecunda, & tertia Ebonis cauſa retractata eſt, num legitime ſua ſede dejectus fuiſſet, quod cum apertis probationibus innotuiſſet, ejusque depoſitionem Sergius quoque Papa confirmaſſet, illegitime quoque eum paulopoſt reſtitutum fuiſſe, ac miniſterium Epiſcopale, & clericorum ordinationes perperam uſurpaſſe ab Senonenſi ſynodo definitum eſt actione ſecunda: Unde in tertia, legitimam, ac juxta canonum regulas Hincmari ordinationem fuiſſe eadem ſynodus decrevit. Quare in ſeſſione quarta, & quinta decretum eſt, irritas ac nullas fuiſſe clericorum ordinationes ab Ebone depoſito factas, immo Noviomagenſis Epiſcopus ſubdidit, juxta canonicam & Apoſtolicam auctoritatem. *Qui ab ipſo voluerant, & viſi fuerunt ordinari in gradus eccleſiaſticos, ab eodem, quod idem non habuit, nemo eorum accipere potuit, damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impoſitionem eis dedit, quia qui particeps factus eſt damna-*

Actio 3. & 4.

& 5.

mnato, quomodo debeat honorem accipere, ut Innocentius, Papa dicit, inveniri non potest. His alia in eamdem rem addita sunt, inter cetera, *decretum est a synodo, ut quidquid in ordinationibus Ecclesiasticis idem Ebo post damnationem suam egerat, secundum traditionem Apostolicæ Sedis, ut in gestis Pontificum legitur, præter sacrum Baptisma, quod in nomine Sanctæ Trinitatis perfectum est, irritum & vacuum habeatur: & ordinati ab eo, ecclesiasticis gradibus privati perpetuo habeantur.* Fredebertus illorum clericorum unus, dato proclamationis libello, se ac socios ordines ab Ebone suscepisse bona fide contestatus est. Hæc etsi vera, ac justa clericorum defensio esset, Hincmarus tamen Actione 6. 7. & 8. decrevit cum aliis Episcopis, ut dicti Clerici gradibus Ecclesiasticis privati manerent. His tamen petente Carolo Rege, ex synodi indulgentia, ut ecclesiastica communione fruerentur concessum fuit, uti actione octava legitur. Actione sexta Hilduini Abatis Altivarienſis causa agitata est, qui ab Ebone Diaconus, a Lupo Catalunensi Episcopo, cum Remensem ecclesiam pastore viduatam regeret, Presbyter fuerat ordinatus, atque is quoque ab suscepto ordine dejectus fuit, quasi per saltum Presbyter ordinatus fuisset, eo quod Diaconatus ordinem ab Ebone, postquam sede sua dejectus fuerat, susceperat; sessione altera seu septima, eorum causa agitata est, qui etsi nullum ab Ebone ordinem suscepissent, cum eo tamen, post depositionem in oratione, aut sacra oblatione communicaverant, cumque iis benignius actum est, nam cum libellum suplicem obtulissent, quo reatus hujuscemodi se pœnitere dixissent accepta penitentia, ab Hincmaro Remensi Episcopo sacra communione donati sunt, ut pluribus acta referunt, quæ integra ab conciliorum editoribus, & a Baronio exhibentur.

JESU CHR. AN. 853.

11. In eadem Svessionensi synodo, uti in præfatione legitur, capitula duodecim Carolus Rex pro ecclesiarum restauratione, & utilitate vulgavit, quorum hæc est summa: 1. de omnium monasteriorum instauratione. 2. De Monasteriis in Allodem datis 3. De capellis, & abbatiolis in beneficium datis. 4. Ut presbyteri omnes sub dispositione sint episcoporum 5. de rebus ecclesiasticis unde nonæ & decimæ solvi debent. 6. Ut malla vel placita, in locis sacratis, & diebus festis non fiant. 8. Ut tempore quadrage-

Capitula Caroli Regis pro ecclesiarum incolumitate, & restauratione. *Labb. Conc. T. 8 p. 92.*

JESU CHR. AN. 853.

simæ, & aliis jejuniorum diebus non fiant. 9. Ut colonos epiſcopi ab eorum miniſtris flagellari non permittant. 10. Ut miniſtri reipublicæ epiſcopis parochiam circumeuntibus ſint auxilio. 11. Quod ſuper beneficia eccleſiaſtica & eccleſiæ bona regia præcepta non fiant. 12. Ut commutationes rerum eccleſiaſticarum, vel mancipiorum, ſine conſenſu regis fieri non ſit licitum.

Leo quartus synodum Svessionensem confirmare recusat.

12. Finita synodo, ejuſdem confirmationem ab Leone quarto Pontifice petiit Hincmarus, at ab Pontifice obtinere non potuit, cum præſertim Vulfadus, aliique clerici in ea depoſiti ad Apoſtolicam ſedem appellaſſent. Ob quam rem præcepit Leo, ut Hincmarus Epiſcopus ad concilium cum dictis clericis occurreret, ad quod ſuum ipſe legatum direxerat ad renovandum judicium, ita ut ſi eiſdem dejectis clericis contigiſſet, ut in ipſa debuiſſent depoſitione perſiſtere, & obedire tenuiſſent, atque ad Sedem Apoſtolicam iterum provocaſſent, illis ad eam veniendi licentia minime negaretur, ne ejuſdem Sanctæ Sedis diſſolveretur Privilegium, atque ut Hincmarus vel miſſus ab eo Procurator cum iis in urbem veniret, quatenus cum fratribus ſuis Epiſcopis collato negotio, & utraque parte conveniente, cauſa eorum a Sancta Sede canonice retractaretur. Verum *Leonis* quarti examen & judicium Hincmarus declinavit, quodque ab Leone obtinere non potuerat a Benedicto tertio ejus ſucceſſore obtinuit, seu potius ſubrepſit, cujus reſcriptum, proh nefas! ait Baronius num. 14. fœde corrupit, ac interpolavit, ut eidem Nicolaus Papa primus exprobravit, de Benedicti epiſtola, quam hoc anno annalibus inſeruit Baronius, ſuo loco agemus: ac aliqualem etiam hujus synodi confirmationem ab Nicolao Hincmarum importunitate ſua, & malis artibus obtinuiſſe videbimus, at cum Vulfadus, ſociique Apoſtolicam iterum ſedem interpellantes, acta Sveſſionenſis, hujus synodi ad examen ab Nicolao Papa revocata fuiſſent, irrita omnino ac nulla declarata ſunt, ac Vulfadum, ſocioſque in priſtinos gradus reſtituendos eſſe juſſit etiam Nicolaus Papa, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Nicol. P. Epist. 46.

Baron. hoc an. num. 15.

Carisiaca synodus secunda, ejus capitula quatuor.

13. Ex Synodo, ad synodum ſtilus devolvitur, nam Bertinianus Annaliſta expoſitis ſummatim, quæ in Sveſſionenſi synodo hoc anno geſta ſunt, mox ſubdit. Carolus inde ad Cariſiacum veniens cum quibuſdam epiſcopis, & ba-

batibus monasteriorum quatuor capita edidit, & propria subscriptione roboravit. *Quorum primum est*: A Deo neminem prædestinatum ad pœnam, unamque esse Dei prædestinationem, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ. *Secundum*: Liberum arbitrium, quod in primo (*homine*) perdidimus, nobis, præveniente & adjuvante gratia, redditum; *Tertium*: Velle Deum generaliter omnes homines salvos fieri, licet non omnes salventur. *Quartum*: Christi sanguinem pro omnibus fusum, licet non omnes mysterio Christi redimantur. Atque hæc Hincmari Remensis, qui apud Carolum Regem tunc auctoritate pollebat, edita capitula, ac adversus Gothescalchum vulgata fuisse, extra dubium est, ut sententiam suam, in alia Carisiaca synodo adversus infelicem monachum latam, hoc altero decreto confirmaret, quæstionesque in Gallis ea de causa excitatas comprimeret. JESU CHR. AN. 853. *Labb. Concil. T. 8. p. 98.*

14. At in his quoque sua spe frustratus est Hincmarus, nam iis capitulis vulgatis, in immensum de divina gratia, de Dei prædestinatione, deque libero arbitrio, ac omnium hominum Redemptione per Jesum Christum peracta, quæstiones creverunt, scriptis ultro citroque libris, cum ad impugnandam, tum ad propugnandam Gotheschalchi sententiam, & ut Lupum Ferrariensem Abbatem, Ratramnum monachum, & Florum Lugdunensis ecclesiæ Diaconum prætereamus, qui pro gemina electorum, & reproborum prædestinatione adversus Hincmarum, & Joannem Scotum pugnarunt, uti supra diximus; Remigius Lugdunensis Episcopus, qui anno proximo Amoloni successerat, suo, suæque ecclesiæ nomine Hincmari epistolam ad Amolonem Lugdunensem, Parduli Laudunensis ad eumdem Amolonem Episcopum, & Rabani Mauri Moguntini Episcopi ad Nothingum confutandas suscepit. Questiones de divina gratia & prædestinatione & libero arbitrio.

15. Cum etenim ad eum supra indicatæ epistolæ delatæ essent, iisque, quænam Lugdunensis ecclesiæ de ea quæstione sententia esset, quæreretur, Remigius, ut in præfatione ad librum de tribus epistolis, ait, *Quorumdam venerabilium* virorum, trium videlicet Episcoporum, ad ecclesiam nostram idest Lugdunensem, epistolæ *perlatæ sunt &c.* quibus ut satisfaceret, longiorem tractatum de tribus epistolis inscriptum, ecclesiæ suæ nomine vulgavit, cujus hæc summa Remigii, seu ecclesiæ Lugd. liber de tribus epistolis in causa Gotheschalchi.

JESU CHR. AN. 853.

ma est. In prima epistola Hincmarus exhibebat imaginem *cujusdam miserabilis monachi* ideſt Gotheſcalchi, qui *inquieta & insolenti præsumptione* (hujus controverſiæ) *vel potius scandali excitator & exagitator* extitiſſe dicebatur, *& quo modo in duobus episcoporum conciliis auditus fuisset, judicatus atque damnatus, qui, temere arrepta prædicandi licentia, non a pœnitentia, ut Johannes Baptiſta, sed a gemina prædestinatione prædicationem suam orsus esset, qui in Deo voluntatem salvandi omnes omnino homines, in Christo redemptionem pro omnibus, denique in homine lapso liberum ad bonum arbitrium negaret.* Ad hæc Remigius Eccleſiæ Lugdunenſis nomine, præmiſſis ſeptem catholicis regulis, ex ordine reſpondet. Et primo quidem de Gotheſcalco, ex parte incredibile ſibi videri, ait quod gentibus prædicans, hæc primo eis expoſuerit, at veri ſimilius eſſe, has difficillimas quæſtiones fidelibus & doctis ab eo propoſitas fuiſſe, ut magnarum & novarum rerum, velut novus ac mirandus prædicator exiſtimaretur. Sed, *etſi illius miserabilis monachi improbatur levitas, improbatur temeritas, culpatur importuna loquacitas*, non ideo tamen negandam eſſe divinam veritatem. Deinde ad ſingulas quæſtiones ex Auguſtini, ejuſque diſcipulorum ſententia reſpondet: ad quartam, qua Gotheſcalcus liberum in homine lapſo arbitrium, non ad bene agendum, ſed tantum ad male agendum admittere dicebatur, id non ſolum mirabile, & inauditum eſſe ait, ſed etiam incredibile videri, *ut homo inter fideles, & a fidelibus nutritus & eruditus, & ecclesiasticorum patrum scriptis non parum exercitatus, hoc dicere, vel sentire potuerit.* In conſequentibus improbatur Synodi Cariſiacenſis in eum atrocitas: tum quod prius ab inferioris ordinis hominibus, ideſt abbatibus, & poſtmodum ab epiſcopis condemnatus fuiſſet: tum quod flagellis pæne uſque ad mortem dilaceratus fuiſſet contra moderationem & pietatem eccleſiaſticam, & monachalem verecundiam. *Quod ſi quid in Episcopos, ut ferebatur, contumeliosum dixisset, omnino quidem justa ultione damnandum, sed melius ab aliis*, quam ab ipſis. Ceterum quod ſententiam de divina prædeſtinatione mutare noluerit, ſibi videri eam regulæ catholicæ fidei conſonam eſſe, a catholicis patribus confirmatam, nec ab ullo catholico reſpuendam, ſe porro dolere, *non illum miserabi-*

bilem monachum, *jed eccleſiaſticam veritatem* in eo *eſſe damnatam*. Quod attinet ad *ſenſus illos, qui in libello ad ſe miſſo continebantur, excepto uno, qui extremus ponitur, non eſſe ipſius Gotheſcalchi ſenſus, ſed eccleſiaſticos, nec ignibus damnandos, ſed pia & pacifica inquiſitione tractandos fuiſſe: Denique illam miſerandi hominis tam longam & inhumanam in ergaſtulum retruſionem compaſſionis benignitate fuiſſe temperandam, vel etiam removendam: ut frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt, ex caritate & ſpirita manſuetudinis potius lucri fieret, quam abundantiori triſtitia abſorberetur*. Hæc de Hincmari Epiſtola. Ad Rabani autem epiſtolam, quæ non ad Lugdunenſem eccleſiam, ſed ad quemdam amicum *a venerabili Epiſcopo* ſcripta erat, is non neceſſariam, nec ad rem, de qua agebatur, pertinentem diſputationem aſſumpſiſſe ait, nec illud quæri, utrum impios, & iniquos Deus prædeſtinaverit ad ipſam impietatem & iniquitatem, quod nullus dicere, vel dixiſſe invenitur, ſed utrum eos, quos proprio vitio impios & iniquos futuros prævidit, & in ſuis impietatibus & iniquitatibus usque ad mortem perſeveraturos, juſto judicio prædeſtinaverit ad eternum ſupplicium, ac admonendum eſſe Rabanum ait, *ne ſub iſtorum perſona, quos tam facile hereticos vocat, ſanctos potius, & venerabiles patres, qui ita docuerunt, & definierunt, damnare inveniatur &c.* JESU CHR. AN. 853.

16. Præter Sveſſionacum, & Cariſiacum, alii quoque hoc anno in Galliis Epiſcoporum conventus celebrati ſunt, ex his unus Vermeriæ menſe Auguſto, quo ſveſſionenſis synodi capitula relecta, & confirmata ſunt, Nivernenſis eccleſiæ adminiſtratio Veniloni Archiepiſcopo commiſſa eſt, durante infirmitate Herimanni ejuſdem urbis Epiſcopi, ac monachorum S. Dionyſii petitio confirmata, qua idem monaſterium juxta Fulradi Abbatis teſtamentum ſibi ſubjectum eſſe demonſtrarunt. Alii in Galliis conventus celebrati *Labb. ſup. p.* 100.

17. De Valentiniano, & Silvacenſi conventibus hoc unum adnotare juvabit, ex iis Lotharii Imp., & Caroli Regis juſſu, Miſſos per regni provincias deſtinatos fuiſſe, ut Epiſcopos æque, ac ſeculares Magiſtratus admonerent, ut ſuo muneri, tum in reddenda cuilibet juſtitia, cum in ſancta eccleſiarum adminiſtratione ſatisfacerent, ac præcipuis Regni Epiſcopis, Abbates etiam nonnullos iis additos fuiſſe, ut Silvacensis Valentinianus. *Baluz. Capitul. p.* 61.

JESU CHR. AN. 853.

ut in subscriptionibus legitur quorum consilio monasteriorum quoque reformationi, ac indemnitati consulerent.

Nannetes, & Turonum Nortmanni occupant.

18. Tristiora nunc in Galliis gesta sequuntur, ex Normannorum irruptionibus, de quibus non semel supra verba fecimus. His igitur assueti hoc anno, relicta Sequana, Ligerim ingrediuntur, ac Nannetiçam urbem, monasterium S. Florentii in monte Glonna positum, ac vicina quæque loca populati sunt, tum superiora petentes Cæsarodunum, Turonum incenderunt, cum Basilica S. Martini, & ceteris adjacentibus locis: in quibus majus monasterium eamdem subiit cladem, Martiniani autem clerici, corpus patroni sui sanctissimi ad monasterium Cormaricum, atque inde Aurelianos transportaverunt. S. Martini abbatiam post mortem Viviani obtinuerat Hilduinus, qui sacro corpori tutum quærens perfugium, ad Lupum abbatem confugiendum putavit, ratus Ferrariis tuto posse censistere tantum thesaurum. Lupus vero Epistola 100. quæ *nobilitatis, dignitatis, & moderationis apice conspicuo Hilduino, ecclesiarum magistro* inscripta est: non esse mirandum, ait eum putasse tuto sibi committi thesauri custodiam, propterea quod situs monasterii ei compertus non erat. *Hunc enim, inquit, si cognovissetis, non modo diuturno non conservandum, sed ne tridui quidem spatio habendum eum nobis direxissetis, namque, tametsi piratarum huc difficilis videatur accessus, quibus jam peccatis nostris talia merentibus, nihil longinquum non est, nihil arduum est, aut invium: tamen infirmitas nostri loci, & exiguitas hominum qui sint idonei resistere, accendit rapacium aviditatem præsertim cum silvis tecti possint advolare, nulla munitione, nulla hominum obstante frequentia, & vicina saltuum recepti sic diverse diffugere, ut ipsi pecunia securi potiantur, inanem laborem inquirentibus derelinquant.* Hæc Lupus Hilduinum considerare admonens, ne sero facti sui pœniteret. Hic porro Hilduinus junior dictus, ait Mabillonius, est distinguendus ab altero Ludovici Imp. Archicappellano, & Abbate S. Dionysii.

Mabill. Ann. lib. 34. n. 61.

Odonis liber de translatione reliquiarum S. Martini.

19. Paulo aliter rem narrat Odo Abbas in libro de translatione corporis S. Martini, quem hortante Fulcone Bono Comite Andegavorum scripsit de S. Martini corporis delatione in Burgundiam, ejusdemque revectione in urbem

Tu-

Jesu Chr. an. 853.

Turonicam, ut apud Mabillonium videre est, atque ab Bollone Normannorum duce in urbem Turonicam armatorum cuneos, immissos fuisse tradit ut urbem auro, opibusque affluentem diriperent, & cives captivos adducerent, ob Ligeris tamen redundantiam ab ea prohibiti majus monasterium aggressi sunt, eoque potiti Normanni, funditus destruxerunt, ac *Centum, & sexdecim monachos* gladio ibidem interfectos fuisse addit. Herberno Abbate cum viginti quatuor aliis monachis ab clade vix ereptis, qui fuga sibi consuluerant, ac in cavernas quasdam se se abdiderant, qui postea cum accepissent, ad ea loca iterum Nortmannos accedere, inde cum corpore, seu reliquiis Sancti Martini discessere, ac Aurelianos profecti, prope corpus S. Germani Episcopi, Martini reliquias deposuerunt, de quibus plura apud Baronium, vel Pagium videri possunt.

S. Martini loculus describitur, miracula ad ejus sepulchrum. *Mabill. Annal. lib. 34. p. 32.*

20. Loculum seu Feretrum, in quo Sancti Martini corpus ex urbe Turonica Antissiodorum translatum est, atque hinc in propriam sedem relatum, sic describit Herbernus Abbas in libro de miraculis S. Martini: *Apsida inquit, fusilis erat ex auro, & argento, quod dicitur electrum, spissitudine duorum digitorum, auctorem operis beatum Perpetuum insculptarum designans suffragio litterarum & versuum. Hanc autem fecerat beatus perpetuus, quando elevavit corpus ejus a terra, involutum prius in purpura rubea, & diligenter consutum, sicque in hanc apsidam posuit.* Hæc de illa apsida Herbernus, in qua nullam rimam, nullam fenestram, nullumve ostium fuisse dicit. Alia præterea, quæ idem ibidem scribit de altare quadrato, & concavo, & de alia apsida ex cupro, & auricalcho, ab eodem Perpetuo ad corpus beati Martini fabrefactis prætereo. Mitto etiam quæ Odo abbas commemorat de contentione inter Clericos Antisiodorenses, & Martinianos orta super oblationibus, quæ a fidelibus in ecclesia beati Germani ob miracula frequentia conferebantur, disceptantes, cuinam illæ competere deberent, cujusve sancti meritis, Martini, an Germani, hæc miracula fierent, quam contentionem & dubitationem removisse traditur paralyticus inter utrumque corpus positus, cujus primo ea pars, quæ ad sanctum Martinum conversa erat, vigorem ac sanitatem recepit, altera insanata, quæ Germano propior erat, ad

JESU CHR. AN. 853.

Martinum postea conversa eadem Martini virtus sanitatem integram restituit, Germano hospiti suo eam gloriam deferrente in Cœlo, quam peregrinis Episcopis deferri solebant in terris Episcopi.

Haimonis Halberstandensis Episcobitus, & opera.

21. Hoc anno Haimo inter Halberstandenses Episcopos in Saxonia tertius, vivere desiit, quinto Kal: aprilis, ut Fuldensis chronographus scribit, vel sexto, ut habet Saxo, vir in monastica disciplina, & docendis, discendisque litteris clarus, unde cum in Fuldensi monasterio Lupus Ferrariensis postea Abbas litteras doceret, sacras ibidem Aimo tradebat, uti Hericus discipulus his versibus narrat.

His Lupus, His Aimo ludebant ordine grato.
Cum quid luden dum tempus, & hora daret
Humanis alter, divinis calluit alter;

Episcopus deinde Halberstandensis ordinatus anno 841. verbo, exemplo, & scriptis, ecclesiam ibi sibi commissam sancte administravit, cujus laudes quamplurimi sanctitate & doctrina viri celebrarunt, inter plurimos de eodem plurima refert Rabanus Maurus, cujus hos tantum versus epitaphii loco damus,

Antistes Domini meritis in secula vivens,
Doctor in orbe pius, magnus amor populis.
Nomine præclarus, & arte magister,
Clarus & Imperio, clarius & officio &c.

Præclare ejusdem gesta pluribus prosequitur Mabillonius in annalibus, & seculo quarto Ordinis Benedi: parte prima. De ejusdem autem scriptis, ac præcipue commentariis in totam fere scripturam, tum extantibus, & editis, cum deperditis, plura dabunt Caveus, Dupinius, aliique, ac præcipue auctores historiæ litterariæ Galliæ tomo quinto. pag. 114. & seqq.

Britanni a Rege Merciorum domiti.

22. *Anno Dominicæ Incarnationis* 853. *Alfredi Regis undecimo*, seu potius quinto, ut legendum putat Pagius, Asserus rerum Brittanicarum hujus temporis scriptor, *Burgsed*, ait, seu Burrhedus *Merciorum Rex per nuncios deprecatus est Ethelvolfum occidentalium Saxonum Regem, ut ei auxilium conferret, quo mediterraneos Britones, qui inter Merciam, & mare Occidentale habitant dominio suo subdere potuisset, qui contra eum inmodice reluctabantur*, votique sui, adiu-

Pagius. not. 24. & 25.

tus

tus ab Ethelvolfo Rege, compos factus, domum rediit.

JESU CHR. AN. 853. Alfredus Rex ab Leone quarto Papa ungitur.

23. His gestis subdit idem Asserus, Ethelvolfus filium suum Alfredum, *Eodem anno magno nobilium, & ignobilium numero consliputum honorifice Romam transmisit, quo tempore Dominus Leo quartus Apostolicæ sedi præerat*, Deinde post aliqua addit *Leo quartus præfatum Alfredum oppido ordinans, unxit in Regem, & in filium adoptionis sibimet accipiens confirmavit*, tanta quippe eo tempore Anglorum gens Apostolicam Romanam sedem reverentia prosequebatur, ut ab ea Reges, vel ibidem saltem inunctos recipere gloriaretur.

Mahumetes Abderamnis successor in christianos acerbius sævit.

24. Postquam Abderamno Mahumetes successisset, patri filius, ac tyranno carnifex, in Cordubenses christianos excitata persecutio sævior evasit, ac primo, ut anno proximo diximus, ex aula, officiisque publicis Christianos ejecit. Unde factum est, ut *Multi sua se sponte*, ut narrat Eulogius, *a Christo divertentes, adhærerent iniquis, sectamque diaboli summo colerent affectu*: Ex his exceptor quidam suo munere dejectus, ut dignitatem recuperaret, impuram Mahumetis sectam non sine multorum scandalo amplexus est, *Cum vero Christianorum ecclesias nuper structas, dirui, quidquid novo cultu in antiquis basilicis splendebat, fueratque temporibus Arabum rudi formatione adjectum*, dejici Mahumetes, christianosque tributis, opprobriisque vexari jussisset, non defuerunt, qui pro Christiana fide certantes, martyrium, hoc anno Arabicæ persecutionis quarto subjerint. Ex his, ne plura de eorumdem certaminibus referamus, quæ Eulogius recitat, primus fuit Fandellas Presbyter, & monachus Accitanus, secundus Anastasius Presbyter, & monachus, tertius Felix monachus Complutensis; inter feminas, Digna virgo deo dicata, Benildis Matrona, Columba, & Pomposa virgines, Anastasius porro, Felix, & Digna virgo 18. Kal. Julii, æra 891. martyrio coronati sunt, ait idem auctor, qui mox longa oratione Columbæ præclara gesta, & martyrium subiicit, quam Kal. Octobris ejusdem anni coronatam fuisse subdit, post biduum vero cursum suum Pomposa virgo martyrio consumavit. Annus insequens 854. ejusdem persecutionis quintus, unicum tantum martyrem fecit, Abundium scilicet Presbyterum, atque hæc de persecutione Arabica, deque Cordubensium martyrum gloria, his duobus annis 853. & 854. adnotasse sufficiat.

JESU CHR. AN. 854.

JESU CHRISTI annus 854. Leonis 4. Papæ 8. Lotharii Imp. 15. Michaelis Imp. 13.

Leo Papa novam urbem Leopolim ædificat.

1. Quadraginta fere excurrerant anni, ex quo Centumcellenſis civitas Saracenorum irruptionibus diruta, incolis pene deſtituta jacebat, nam qui remanſerant, in ſilvis montibuſque vicinis aufugerant, ibique ſedes, ſeu potius tabernacula lignea fixerant: Quorum calamitatibus compatiens Leo Papa quartus de nova urbe aptiori ſecuriorique loco ædificanda cogitavit, ait Anaſtaſius, eoque profectus, *Loca quæ ei erant adfinitate coniuncta diligenti cura, & ſtudio pervidit, atque conſpexit*, ac tandem, cum locum aeris amænitate, & aquarum abundantia conſpicuum inveniſſet, urbem ibidem ædificari præcepit, quam ex nomine ſuo Leopolim vocari juſſit, ut ex Anaſtaſio pluribus proſequitur Baronius ad hunc annum, opereque perfecto, *Gaviſus ex his omnibus urbem Leopolim ſæpedictus Pontifex cum lætaniis, & orationibus pedibus propriis circumivit, tribuſque orationibus in modum Trinitatis perpetualiter conſecravit, Miſſarum, ut ſollicitus erat, officium rite perſolvens, & aquam benedictam per muros jactari præcipiens*, donaria largiter civibus impertiens, quibus peractis. *Ad ſedem ſuam cum ingenti letitia & alacritate, Chriſto auxiliante, dieque ſuperaddito decimoquinto, omnis murorum ambitus completus atque perfectus eſt. Anno Præſulatus ſui octavo, indictione ſecunda*, ait Anaſtaſius. Novæ autem urbis Leopolis dictæ ne veſtigium nunc ſupereſt, ait Muratorius, nam temporis tractu, rebuſque mutatis, antiquam urbem incolæ reſtaurarunt, ibique ſedes fixerunt, ac urbs etiam vetus appellata eſt, eademque Centumcellis.

Anast. T. 1. p. 390.

Dani ſeu Normanni iterum in Galliis irruunt, urbeſque devastant.

2. Hoc anno Dani ſeu Normanni in Gallias iterum illapſi, nonnullas Galliarum urbes invadunt, unde Annaliſta Bertinianus de geſtis hoc anno. *Dani in Ligere conſiſtentes*, ubi pedem fixerant, *uſque ad Bliſum*, Blois celebre oppidum, *caſtrum veniunt*, ipſumque incendunt, *volentes inde Anrelianos pervenire, eadem patraturi. Parantibus adverſus eos navigia, & bellatores Epiſcopo Aurelianenſum Ægio, & Carnutum Burdiardo*, ſeu Burchardo, cujus mentio fit in Sveſſionenſi concilio anni elapſi, *ab intentione deſiſtunt*,

fiſtunt, & inferiora Ligeris repetunt. Alii quoque Piratæ danorum Freſiam Saxoniæ adjacentem populantur. Et paulo poſt idem auctor, *Piratæ Normannorum Ligere inſiſtentes civitatem Andegavorum incendio concremant*, ſicque ſingulis annis, non ſine maxima Gallici nominis ignominia, Gallorumque ſtrage, earum provincias Normanni ſeu Dani impune excurrebant. JESU CHR. AN. 854.

3. Dum exteras regiones excurſionibus ſuis Dani vexabant, civili inter eos exorto bello, mutuis cladibus atteruntur. *Ita Domino ſanctorum virorum ſuorum injurias ulciſcente, & adverſariis digna factis retribuente*, ait vetus chronicon apud Pithæum, de quibus Bertinianus Annaliſta ad hunc annum adnotat. *Dani inteſtino inter ſe prælio dimicantes, adeo tridui concertatione obſtinatiſſima bacchati ſunt, ut Horico Rege, & ceteris cum eo interfectis Regibus, pene omnis nobilitas interierit.* Horicus quidem Rex S. Anſcharium Hamburgenſem Epiſcopum Chriſti fidem in Regno ſuo prædicantem ſumma clementia exceperat, ac ut eccleſiam ibidem ædificaret in portu Scleagvvich permiſerat. *Data licentia, ut quicumque vellet in Regno ſuo chriſtianus fieret*, ait Rambertus in vita S. Anſchari cap. 41. qui deinde cap. 54. ſubdit, quod cum Horicus in bello occubuiſſet, eique filius ejus Horicus junior ſucceſſiſſet, Principes, qui ei aderant, quique Anſcharionis minus favebant, juniori Principi perſuadere cæperunt, ut Chriſtianos Regno ſuo ejiceret, ac eccleſiam erectam deſtrueret. *Qua de re Comes præfati vici Scleadvvich videlicet nomine Hovi, qui huic religioni præcipue reſiſtebat, & ad deſtruendam chriſtianitatis fidem Regem provocabat, eccleſiam ibi factam juſſit claudi, religionemque chriſtianitatis ibidem prohibuit obſervari. Unde & Presbyter, qui ibi aderat, perſecutionis acerbitate compulſus inde receſſit.* Quod cum gravate nimis ferret Anſcharius, ac labores ſuos, ſeu potius Dei opus deſtrui cerneret, legatione ad juniorem Horicum Regem miſſa, ut in integrum chriſtianorum res reſtituerentur, obtinuit. *Inſuper etiam, quod antea nefandum Paganis videbatur, ut Cloccæ* (ſeu campanæ) *haberentur in eccleſia conceſſit* Rex, ait idem Rambertus in vita Anſcharii apud Mabillonium in actis Ordinis Benedictini. Dani bello civili, mutuiſque cladibus attriti. Mabill. Act. ſecul. 4.

4. Graviſſimum hoc tempore in eccleſia ſcandalum exor- Gregorius

JESU CHR. AN. 854. Siracusanus Episcopus in concilio CP. damnatur.

exortum est, unde fatale Græcorum schisma occasionem sumpsit, ex depositione scilicet Gregorii Siracusani Episcopi in concilio CP. ab Ignatio Patriarcha celebrato, nam is ut injuriam acceptam ulciscereturſeu potius debitam pro meritis pœnam declinaret, Ignatium CP. sede dejici, Photiumque in ea collocare, malis artibus curavit, unde tot inter utramque ecclesiam dissidia exorta sunt, ut tandem diro schismate Orientalis ecclesia ab Occidentali discinderetur, uti infra dicturi sumus. Episcopi porro Siciliæ Constantinopolitano Patriarchæ subjecti ideo erant, quia deficiente in Italia Græcorum Imperio, Sicilia in eorum potestate perseveraverat, etsi hoc tempore partem Insulæ potiorem Saraceni obtinerent. Non ita tamen in Episcopos Siciliæ jurisdictionem CPolitani Patriarchæ exercebant, ut ii Romano etiam Pontifici tamquam totius Italiæ, Insularumque adjacentium Primati non subjacerentur. Hinc cum Gregorium Siracusanum in concilio CP. depositum esset Ignatius, ut sententiam in eo concilio latam, calculo suo confirmaret, missa legatione Ignatius petiit, ut in epistola ad Michaelem Imp. data narrat Nicolaus Papa primus, ubi depositionis Gregorii mentione facta, mox subdit. *Quique olim*, ideſt Gregorius, *(sicut ipsi scitis a fratre & comministro nostro Ignatio, & a Synodo, quæ sub eo erat, depositus est. Et ut Apostolicæ Sedes in ejus damnatione consentiret, ab ipso consacerdote nostro postulata est, sed decessores mei beatæ memoriæ Leo, ac Benedictus, Sedis Apostolicæ moderamina servantes, noluerunt sic unam partem audire, ut aliæ parti nihil penitus reservarent: unius quippe mediator non est. Quamobrem interim depositio ipsius a Sede Apostolica non suscepta remansit infirma. Cumque idem Gregorius per Legatum suæ partis, Zachariam nomine, Sedem agnovisset Apostolicam in sua depositione nullatenus consensisse, non gratias egit, nec a cœptis in jam dictum fratrem nostrum Ignatium sævientibus contumeliis conquievit, sed benignitate Dei, & patientia Sedis Apostolicæ in superbiam abutens, in ipsum videlicet Ignatium Patriarcham suum redivivo jacula impietatis irreverenter exacuit &c.* Quæ autem ab Leonis successoribus Benedicto, & Nicolao primo in hac causa gesta fuerint, suis locis infra adnotabimus.

Nicol. P. Epist. 9.

Michaelis

5. Michael interea Imperator ex Ephebis egressus, & an-

& annum decimumſeptimum attingens, ſub matris poteſtate, aut Theotiſti, & Manuelis tutela ſubeſſe renuens, Barda præcipue avunculo, & matris fratre impellente, qui Imperii cupiditate flagrabat, Theotiſtum primo nefarie crudeliterque e medio ſuſtulit, & Manuele morbo e vivis erepto, matrem poſtea e Palatio, ac ab omni rerum publicarum adminiſtratione remotam, in monaſterium cum ſororibus ſuis relegavit, ficuti ad annum 857. dicturi ſumus, & Barda conſiliario utens, ad omne vitiorum genus poſt hac liberiores habenas laxavit, ut novus Nero, illo non inferior aurigandi arte, nec libidine impar, aut prodigalitate, & crudelitate fuerit, ait Baronius. Ejus infanda vitia pluribus auctores Græci Curopalates, Zonaras, Leo Grammaticus proſequuntur, ac dicenda inferius demonſtrabunt.

JESU Chr. an. 855. Imp. crudelitas morumque corruptio.

JESU CHRISTI an. 855. Benedicti 3. Papæ an. 1. Ludovici Imp. 1. Michaelis Imp. 14.

1. Inſequens Chriſti annus 855. Romanæ eccleſiæ, Romanæque urbi infauſtus, & turbulentus fuit, tum ob Leonis quarti obitum, & ſchiſmatis periculum in ſucceſſoris electione excitatum, cum etiam ob Ludovici adventum Romam, ut ex dicendis patebit. Nam teſte Anaſtaſio. *Hujus temporibus*, dum adhuc Leo quartus Papa viveret, *quidam Daniel Magiſter militum iniquitatis ac ſtultitiæ mole cæcatus, ad ſereniſſimi domni Ludovici Imperatoris veſtigia properavit, eique multa falſa & inutilia verba, quæ credi nullo modo poſſent, ſuper Gratianum eminentiſſimum Magiſtrum militum & Romani Palatii egregium Superinſtam & Conſiliarium dicere non dubitavit: Nam conſtanter eum accuſabat falſitate ob invidiam, dicens Imperatori de Gratiano Romanæ urbis Superinſta: Quem erga vos fidelem eſſe creditis, mihi ſoli in domo ſua, nimium ſuper Francos murmurans, dixit ſecrete: Quia Franci nobis nihil boni faciunt, vel adjutorium præbent, ſed magis quæ noſtra ſunt violenter tollunt; quare non advocamus Græcos, cum eis fœdus pacis componentes, & Francorum Regem, & gentem de noſtro Regno & dominatione expellimus? Quo audito, mox prædictus Imperator immenſo furore incenſus ſine litteris etiam ad Romanum directis Pontificem, & Senatum, Romam venire velociter procuravit. Quem tamen*

Ludovicus Imp. hoſtili animo Romam advenit. *Anaſt. T. 1. p. 393.*

JESU CHR. AN. 855. *tamen venientem domus Leo Papa honorifice (ſicut mos eſt) ſuper gradus majores beati Petri Apoſtoli reſidens ſuſcepit, & melliſluis prædicationis verbis placare cœpit. Quadam vero die, ipſo Imperatore cum ſanctiſſimo Leone Pontifice omnibus Romanis proceribus pariter, & optimis Francis in domo, quam beatæ memoriæ Leo tertius Papa juxta Eccleſiam beati Petri Apoſtoli fecerat, ſedentibus, de prædicta accuſatione placitum habuit. Tunc Daniel iniqua fronte armatus, falſaque cogitatione imbutus dixit coram omnibus: Iſte Gratianus habuit mecum conſilium hanc Romanam terram de veſtra tollere poteſtate, & Græcis tradere illam. Cui ſtatim non ſolum Gratianus, verumetiam omnes Romani coram Imperatore dixere. Mentiris, nullo modo eſt verum quod dicis. Cognoſcens autem Imperator, & omnis Romanorum, Francorumque nobilitas prædictum Danielem tale crimen per falſitatem & invidiam contra Gratianum dixiſſe: illico idem clementiſſimus Imp. nolens contra inſtituta veterum Auguſtorum peragere Romanorum, eos ſecundum Romanam legem inſtituit judicare. Quo judicio ipſe Daniel multorum verbis reprehenſus, ore proprio manifeſtavit ſe falſum teſtimonium ſuper eum dixiſſe: ideo jam dicto Gratiano ante omnes eſt traditus, ut quidquid de eo facere vellet, poteſtatem haberet; ſed eum jam traditum Danielem Imperator a Gratiano multa & humili ſupplicatione petivit, quem ille ſtatim plenaria ipſi reddita gratia, libenter conceſſit, & ſic de mortis eſt periculo liberatus.* Quem ſane *multa, & humili ſupplicatione* Ludovicus non liberaſſet, ſi plenam in urbe poteſtatem habuiſſet, ſed potius judicio, & auctoritate sua; Graviores adhuc in urbe poſt Leonis quarti obitum excitatæ ſunt turbæ, nam *His peractis*, ſubdit Anaſtaſius, *Imperator abiit, & ſanctiſſimus Dominus Leo non poſt multos dies obdormivit in Domino decimoſexto Kal. Aug., ſepultus vero eſt in eccleſia B. Petri Apoſtoli. Fecit autem ordinationes duas, unam in menſe Decembrio, & aliam per menſem Martium Presbyteros decem & novem, Diaconos octo, Epiſcopos per diverſa loca ſexaginta tres*, cujus memoria die decimaſeptima Julii in martyrologio Rom. recolitur, quem ſane multa pro eccleſiæ utilitate, ejuſque diſciplina tuenda reſtaurandaque geſſiſſe, acta ejusdem probant, ac præcipue in ſanctorum cultu proſequendo, quorum eccleſias in urbe, & extra urbem edifica-

ficavit, restauravit, ornamentisque, & possessionibus auxit, illustravitque, uti apud Anastasium, vel Baronium videre est.

JESU CHR. AN. 855.

2. Leone defuncto, summo Cleri, populique Romani consensu, & alacritate Benedictus tertius electus est, ipso tantummodo repugnante, qui *Multis cum lacrymis flebili voce genua flectens, omnes deprecabatur, dicens. Non me a mea deducatis ecclesia rogo, quia tanti culminis non sufficio sustinere, nec bajulare gravamen*, ait Anastasius. Hic porro, ut idem prosequitur auctor, patre Petro genitus, ab tenera ætate sacris humanisque litteris eruditus, in Patriarchium Lateranense perductus, clero adscriptus a Gregorio quarto inter Rom. ecclesiæ Subdiaconos ordinatus fuerat, quem postea Leo quartus Presbyterali honore decoraverat, quo munere auctus, quidquid moderato victui, modestoque vestitui supererat, pauperibus erogabat. *Jejuniis vero validus, oratione assiduus perstitebat, vigilque in Dei quotidie laudibus commorabatur*, ait Anastasius.

Benedictus 3. Rom. Pontifex eligitur; Quis esset. *Anast. T. 1. p. 395.*

3. Cum talis itaque, tantusque esset Benedictus Presbyter, Leoni Pontifici successor a clero, populoque Romano electus fuit, quam electionem irritam facere Anastasii Presbyteri factio conata est, sed frustra. Nam ut addit Anastasius. *His peractis*, idest Benedicti electione in summum Pontificem peracta, *Clerus & cuncti proceres decretum componentes, propriis manibus roboravere, & ut consuetudo prisca exposcit, invictissimis Lothario, ac Ludovico destinavere Augustis. Ipsum autem qui deducebant decretum Legati, Nicolaus videlicet Anagninæ Antistes Ecclesiæ, atque Mercurius Magister militum, Arsenio Eugubii obviantes Episcopo ad invicem confabulari cœperunt. Qui callidis eos sermonibus lenientes, corda eorum emolliri cœperunt, Benedictique fidelitatem jam fati declinare electi. Cum quibus etiam consilium fluduit confirmare, ut depositum, anathematizatumque Anastasium (quod divina nullatenus permittebat clementia) Pontificatus insula perornarent. Euntes itaque, Ludovico benignissimo Cæsari decretum dantes, duplici, quam mentibus gerebant, intentione, Romam reversi sunt. Adventumque Missorum nuntiantes Imperialium, epistolas eidem insigni obtulere electo, quibus Augusti continebantur responsa. Qui & omni Clero, ac Reipublicæ cœtibus, diris machinationibus consilium, quod (ut retulimus) cum Eugubino Episcopo Arsenio statuerant,*

Benedicti Papæ electio ab schismatici s impugnatur.

JESU CHR. AN. 855.

adimplere cupientes, dicebant: Omnes obviam Imperialibus simul nobiſcum exire ſtudete Legatis, quatenus Auguſti juſſionibus obedientes exiſtere valeatis.

Schismaticorum impii conatus.

4. *Poſt aliquot quoque dies, ipſi quos pronuntiaverunt, Miſſi Hortam, quæ quadraginta milliaria Roma diſtat, properaverunt.* Ex *quibus in eam Adelbertus, Bernardusque ingreſſi Comites, eidem olim damnato, cogente Arſenio Epiſcopo, ſe conjunxerunt Presbytero nomine Anaſtaſio (qui in ſancta Synodo præſidente Leone ſanctæ memoriæ Præſule, rite ſecundum ſacrorum promulgationes Canonum excommunicatus, depoſitus, & anathemate vinctus fuerat) non habentes Dominum præ oculis, ipſius præcepta confundere, ut tyranni truculenti cupientes, meditabantur qualiter eumdem ejectum, anathematizatumque Anaſtaſium Apoſtolico culmine ſublevarent, contra traditiones, omniumque ſanctiones Pontificum, virorumque almorum. Miſſi quoque, quos jam ſupra meminimus, qui Imperatori noſtrum quidem decretum benigniſſime de electione Benedicti porrexerant, id eſt, Nicolaus Epiſcopus, & Mercurius Magiſter militum, obviam quaſi Imperatoris Legatis profecti ſunt, Hortamque properantes urbem, fidelitatis ſacramentum quod fecerant almifico Benedicto, parvipendentes, obliviſcenteſque electi, ſe damnato conjunxere, depoſitoque Presbytero. Hac ſub occaſione multi recedentes ab Urbe, ſimiliter peregere, cogitantes conſilium juxta illud Prophetæ elogium, quod non potuere ſtabilire. Urbe quidem exeuntes ab Horta juxta baſilicam beati Leutii martyris pervenere inſultantes, & gloriantes in ſua virtute. Cum quibus Rodualdus Portuenſis Epiſcopus, Tudertinæque urbis Agatho Antiſtes aderant, qui etiam Romana deceſſerant Urbe, eidemque anathematizato tetra irretiti caligine ſe junxerant, obſcurati ſenſu, mente & anima. Hoc ipſe Dei famulus audiens Benedictus electus, Gregorium, Majoremque venerabiles, prudenteſque, & omni ſcientia plenos Epiſcopos ipſis Imperialibus Miſſis cum aliquibus litteris ſtuduit deſtinare. Qui eos apprehendentes, arcte, anathematizato monente Presbytero, vinxerunt, & cuſtodibus tradiderunt; quod ne barbaræ quidem in Legatos nationes perficere audent. Poſtmodum autem ſæpius dictus Chriſti miniſter Benedictus electus Hadrianum inſignem Secundicerium ſanctæ Sedis Apoſtolicæ illis, atque Gregorium Ducem obviam direxit. Al-*

Altera autem die motionem fingentes, omni Clero, cunctoque Senatui, & universo populo mandavere, ut obviam illis trans Milvium pontem Imperatoris jussionibus irent. Tunc omnes dolum nescientes Romani neque fallaciam, acquieverunt: Milviumque trans pontem Urbe egressi unanimiter perrexerunt, properantibusque ad Martyris jam fati basilicam, ipsis de quibus jam supra meminimus Legatis, eidemque depositio, anathematizatoque Presbytero ipsi Clerus, atque Romana plebs, ac proceres obviaverunt pariter, cum quibus Neronis equitantes per campum, Urbis jam mœnibus propinquabant: Hadrianum quoque insignem Secundicerium, de quo supra retulimus, vallatum custodibus deducebant. Sed hoc infelicis depositi præsumptio agebat Presbyteri, qui viribus Cæsaris Leoninam cum ipsis ingrediens urbem Legatis, Apostolorum Principis, quam non debuerat introire basilicam, eamque, Dei parvipendens judicium, audacter invasit, tantaque ac talia infausta operationis mala peregit, qualia nec Saracena in ea perficere manus præsumpsit, vel ausa est. Imagines enim confregit, igneque cremavit; & Synodum quam super Sanctuarii januas beatæ memoriæ Leo Papa pingere jusserat, destruxit: denique Jesu Christi, ejusque semper Virginis Genitricis iconam bipenne (quod non debuerat) ad ima dejecit. Pro quo detestabili opere Orthodoxæ cunctli cultores Fidei lacrymas fundentes ingemiscebant, & tristitia replebantur & mœrore. Opus illud aureum, & argenteum a Leone prædecessore magna fuerat impensa constructum, eidemque sacræ basilicæ (ut dictum est superius) una cum aliis donis oblatum. Jesu Chr. an. 855.

5. *His ita peractis pergit* Anastasius, *hostili virtute ipse Presbyter depositus Romam ingreditur, celeriterque in Lateranense Patriarchium properavit cum suis iniquissimis sequacibus, & sæculari potentia, multisque telorum generibus januas ejus aperiens, tyrannus veluti cruentus januam sic introivit, solioque quod nec manus debuerat contrectare, resedit. Et opera Episcopi Balneoregiensis Benedictum Pontificem Pontificalibus vestibus cum injuria exutum, vinculis constrictum Joanni, Hadrianoque dudum Presbyteris, qui a Leone præside pro illorum criminibus damnati fuerant atque depositi ex omni sacerdotali officio, custodiendum Anastasius PseudoPontifex tradidit, qua re cognita Clerus, populusque* Schismaticus intruditur in sedem Pontificalem.

JESU CHR. AN. 855.

Romanus gravi mœrore turbatus profusis lacrymis inter vestibulum & altare prostrati jacebant, Dei orantes majestatem, ut e tanta erroris caligine sua eos victrice dextera liberaret. Septimæ tunc feriæ cursus peragebatur. Altera quidem die prædicti Episcopi cum universo clero ac populo in Æmilianæ titulo convenere. In quem etiam Augusti sæpius dicti Legati frementes, magnaque tumentes superbia pervenere: & impetu facto, absidem in qua Episcopi psallentes residebant cum Clero, Leones veluti ferocissimi conscenderunt, erectisque baculis eos conabantur elidere, enisibusque punire, dicentes: Acquiescite, & vestro consensu Anastasius Pontificali culmini subrogetur.

Episcop. Cardinales & alii resistunt constanter legatis.

6. *Illi vero sancto repleti Spiritu affirmabant dicentes: Numquam in depositum, & anathemate a sancto Præsule, beataque Synodo vinctum consentimus, sed modis omnibus abjicimus, a cæteris segregamus. Ipsi denique furibundi verberibus eos, tormentisque dicebant velle punire. Sed Beatissimi omnes Antistites, & qui cum ipsis aderant, terrores vel minas parvipendentes eorum, immobiles perstiterant. Quorum constantiam jam dicti Franci cernentes ab eis iræ discesserunt repleti, & in quoddam cubiculum ipsius basilicæ sunt ingressi, diversa consilia meditantes, in quod etiam Ostiæ, Albanique Antistites coactos introduxerunt, quos molliori sermone, blandisque reducere adulationibus decertabant, & postmodum asperis promissionibus circumdabant, quibus etiam stridula voce dicebant: Nullatenus vitam possidere poteritis, sed capitali subjacetis sententiæ, nisi Anastasio gratiam consecrationis dederitis. Illi autem antea se morti tradi proferebant, membratimque lacerari, quam depositio, anathemate damnato consecrationis tribuere benedictionem. Arguebant autem eosdem Missos, & universas demonstrabant sacræ Scripturæ responsiones, quatenus nullatenus eum depositum ordine, quo, poscebant, restituere valuissent. Protinus vero secretius lingua eorum confabulantes, furor, qui inter eos exuberabat, minuitur, mentibusque eorum videbatur expulsus.*

Legati acquiescunt Benedicti electioni.

7. *Tertia die omnes Episcopi cum Clero, & populo in basilica Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, congregati sunt, in qua omnis plebs ac populi multitudo extensa voce clamabant: Benedictum beatissimum Papam volumus, ipsumque desideramus. Quod jam præfati audientes Legati mira-*

ban-

bantur. Tantam in clero, & populo conſtantiam videntes, ac tandem ad congregatos Epiſcopos, & plebem converſi, *accipite* dixerunt, *veſtrum electum, & in quam vultis baſilicam eum deducite. Et modo Anaſtaſium, quem depoſitum dicitis, ab hoc Patriarchio ejicimus. Treſque per dies jejunium cum orationibus celebremus, & poſtmodum, quid ſuperna clementia demonſtraverit, impleatur*. Deinde ut Anaſtaſius e Patriarchio ejiceretur, ac Benedictus revocaretur, poſtulantes, cum id quoque factum eſſet, ex Lateranenſi eccleſia ad baſilicam Sanctæ Mariæ ad præſepe cum gaudio Benedictum deduxerunt, ad quem quotquot Anaſtaſio hactenus adhæſerant properantes. *Procidentes, veſtigia ipſius oſculari cœperunt, & dicebant: Erravimus, & lubrico a te pede diſceſſimus: Sed Paſtor velut ſanctiſſimus ovium ſuſcipe agmina per nemus errantia, feſſoque ſinu agniculos collige, tuiſque obumbra ſub alis*. Protinus ipſe a Deo protectus Benedictus *extenſis brachiis, pura mente, cordeque benigno, omnes amplecti ſitiebat, & oſculis porornabat, quibus etiam & dicebat: Gaudete dilectiſſimi, & magis exultate, quia Eccleſiam, quæ ſciſſa fuerat, Chriſtus ſua virtute unire dignatus eſt. Hæc dicens, & his ſimilia prædicans, etiam ipſi Imperiales itidem convenere Legati, qui ſalubribus verbis ac melioribus ſecretius cum eodem electo confabulabantur. Subito una omnes Epiſcopi, univerſuſque Clerus, & innumera Romani populi multitudo ex eadem eum deducentes Baſilica, cum hymnis & canticis ſpiritualibus in Patriachium Lateranenſe introduxerunt, & in Pontificali ſolio, de quo ejectus fuerat, poſuere. Denique univerſa congratulabatur Eccleſia, & omnis populus amplis vocibus exultabat. Præterea Dominico die diluculo in baſilicam B. Petri Apoſtoli ab Epiſcopis, Clero, & proceribus deductus eſt. Et in conſpectu omnium, Imperialibus Miſſis cernentibus in Apoſtolica Sede, ut mos eſt, & antiqua traditio dictat, conſecratus, ordinatuſque eſt Pontifex. Portuenſis vero Epiſcopus prohibitus ab Eccleſia, orationem quam debuerat ſuper eum nullatenus dixit, quod anathematizato ſe conjunxerat, ac in perjurii voraginem ceciderat atque manebat. Sacriſque tunc Miſſarum ſolemniis celebratis, in Patriarchium Lateranenſe Pontifex ordinatus reverſus eſt*. Hiſque ab eodem geſta Pontificatus ſui initio nonnulla narrat, præcipue dona eccleſiis B. Mariæ Virgini, & Apo-

JESU CHR. AN. 855.

JESU CHR. AN. 855.

& Apoſtolorum Petri & Pauli dicatis, cetera autem ſequentibus annis reſervamus, quem *per annos duos*, *menſes ſex*, *dies decem* Romanam ſedem obtinuiſſe addit.

Fabula de Papissa Joanna exploditur.

8. Antequam vero ultra noſtra progrediatur oratio, cum ſapientibus æque ac inſipientibus debitores ſimus, in probroſæ fabulæ de Papiſſa Joanna, inter tenebras ſeculi decimitertii, vel decimiquarti initio exortæ, ac patulis auribus, ut dicitur, ad ſeculum uſque decimumſextum, ab ſcriptoribus nullius eruditionis, fidei, aut criterii propagatæ, in hujus inquam fabulæ confutatione, aliquantulum immorandum eſt, cum eidem falſo Papiſſæ, probroſoque monſtro, inter Leonem quartum, & Benedictum tertium locum, auctores paſſim dederint, non ii tantum, qui ab Romana ſede ob hæreſim divulſi, quidquid majeſtatem ejus, dignitatem, ſanctitatemque fœdare poterat, ſumma diligentia collegerunt, eique per fas, & nefas exprobrarunt, ſed ii quoque, qui etſi Romanæ ſedi addictiſſimi eſſent, in ea tamen temporum obſcuritate vixerunt, ut quidquid relatum legebant, abſque ullo examine, vel ſcrupulo in ſua referrentes commentaria, poſteris tradebant. At ubi e tenebris litterarum ſtudia ſeculo decimoſexto emergere cœperunt, ac eccleſiaſtica, vel politica hiſtoria ad critices regulas revocata eſt, fabulam undique ſapere, quæ a credulis viris de Papiſſa Joanna tradita fuerant, nemo non vidit, quam viri docti, & de eccleſiaſtica, & civili hiſtoria benemeriti confutarunt, Panvinius ſcilicet, Cæſar Baronius, Leo Allatius, Petrus Lambecius, Philippus Labbeus, Natalis Alexander, Georgius Eckardus, aliique plurimi, iiſque manus dederunt Heterodoxorum plurimi Blondellus, Godefridus, Leibnitius, Brovus, aliique, quos numerare non juvat.

Hetherodoxorum intuenda fabula vani conatus.

9. Cumque hanc ſibi eripi palmam, occaſionem ſcilicet in ſuis ſcriptis, vel concionibus etiam calumniandi Romanam eccleſiam, ægre admodum tuliſſent Hetherodoxorum nonnulli, atque inter eos Samuel Mareſius, Fridericus Spanhemius, Lenfantius, Vignolius, ut ceteros præteream, crambem recoquere, probramque fabulam, riſu ſibiliſque dignam, tamquam labentem murum ſubſtruere conati ſunt. At quo fructu, vel exitu demonſtrat præ ceteris Joſeph Garampius nobilis Ariminenſis, Vaticanæ Baſilicæ primum Canonicus, & Vaticani archivii Præfectus, deinde legationibus

nibus apud Poloniæ Regem, & Imperialem aulam pro Apoſtolica ſede, ſanctiſſime, diligenterque perfunctus, nunc vero inter Romanæ eccleſiæ Cardinales a Pio ſexto Pontifice adlectus. Is inquam, ut juvenilis ingenii, exquiſitæque eruditionis, urbi, & orbi ſpecimen daret, data ſibi opportunitate illuſtrandi argenteum nummum Benedicti tertii, Leonis quarti ſucceſſoris, hanc de Papiſſa Joanna fabulam egregie adeo confutavit, ut ceteris ſcriptoribus palmam præripuerit, maleque etiam feriatos ſcriptores, ac Romanæ eccleſiæ acerrimos hoſtes ſilere coegerit. Quare ne præoccupata a tot ſcriptoribus repetam, aut inutilia proferam, plura in eamdem rem addere piget, quæ ibidem, vel apud Labbeum tomo octavo conciliorum inſerta pag. 154. & ſeqq. videri poſſunt. JESU CHR. AN. 855.

10. Hoc unum adnotabo, tantam ejuſdem fabulæ obſcuritatem fuiſſe, ut ejuſdem auctor ignotus hactenus remanſerit, nam etſi paſſim Marianus Scotus, aut Martinus Polonus ejuſdem fabulæ primi aſſertores a Baronio, aliiſque dicti ſint, nihilominus ejus fabulæ auctorem Marianum non fuiſſe Leo Allatius ex melioris notæ Codicibus probavit, ejuſque chronico additam fuiſſe probat, ſicuti etiam de Martino Polono, idem Allatius ex Codicibus Vaticanis, & Lambecius ex Codicibus Vindebonenſibus demonſtrant, in quibus nulla Joannæ mentio, aut vola legitur. Hinc ut ad rem adnotant eruditi viri, Garampius, aliique, primus, qui ejuſdem mentionem fecerit, occurrit Ptolomæus Lucenſis, qui ut obſervat Saxius hiſtoriam ſuam inter annos 1312., & 1317. ſcripſit, is quippe de Benedicti tertii ordinatione verba faciens, addit. *In hac ordinatione Pontificum oritur diſcordia circa chronicarum ſcriptores, quod omnes, quos legi præter Martinum tradunt poſt Leonem quartum fuiſſe Benedictum tertium, Martinus autem ponit Joannem Anglicum octavum*, eumdem, quem Papiſſam dixerunt. Is porro de chronico Martini Poloni Ord. Prædicatorum loquitur, qui Clementis quarti Pœnitentiarius fuit, qui hiſtoriam uſque ad annum 1271. perduxit, cumque Ptolomæus in depravatum Martini Codicem incidiſſet, ejuſdem fabulæ eum meminiſſe ait, quæ ea ætate, ideſt ſeculi decimi quarti initio in vulgus ſpargi cœperat hæreticorum ſtudio, uti tradit Benedictus decimusquartus, variiſque conjecturis confirmat in egregio opere de

Fabulæ ignotus auctor.

Bened. XIV. de SS. Canoniz. lib. 3. cap. 10. n. 3. & 4. T. 3. Edit. Rom.

JESU CHR. AN. 855.

de Sanctorum canonizatione, nec fortasse Mabillonii conjectura spernenda est, dum eam Græcis impostoribus tribuit. Cum enim Leo Papa nonus ad Michaelem Cerularium CP. Patriarcham, qui Rom. ecclesiam maledictis prosciudebat, anno vigesimo post millesimum scripsisset, se fama publica didicisse, in sede CP. Eunuchos aliquando sedisse, *aliquando vero feminam in sede Pontificum suorum sublimasse*. Illi ut calumniam, calumnia diluerent, hanc de Romana ecclesia fabulam in scenam prodierunt. Hoc tamen ex ea Leonis epistola certum, seculi undecimi initio eam in vulgus nondum prodiisse, alioquin ea Michaeli Cerulario Leo nonus non exprobrasset, si majori cum infamia, turpioriqne dedecore, id in Romana ecclesia contigisset.

Mabill. Annal. Ord. 1. B. T. 3. lib. 34. n. 86. & Bar. ad an. 853. n. 58.

Statua Papissæ Joannæ in Senensi Cathedrali olim posita, dejicitur.

11. Eo usque tamen veteres, idest post seculum decimum ad decimum sextum scriptores fabulis delectati sunt, ut quæ nunc portenti loco haberentur, mira simplicitate, & artis critices ignorantia vera crederent. Credulitatis eorum insigne exemplum exhibet Joannæ Papissæ statua, quæ olim in Cathedrali Senensi inter Pontifices locata fuerat, quæ primum, ut in Museo Italico refert Mabillonius, in Zaccheriam Papam, Clementis octavi tempore commutata, tandem sub Alexandro septimo Senensi, dejecta penitus est, ut omnis inde tam absurdæ fabulæ memoria deleretur.

De sede Stercoraria, ejusque usu.

12. His addenda fœda quidem, sed festiva Hetherodoxorum de sede Stercoraria historia, de qua hæc idem Mabillonius loco citato. Dominico die octava sancti Joannis profecti ad Lateranensem basilicam, vidimus in claustro Basilicæ adjuncto tres sedes, confuse cum varia supellectile conjectas: unam ex marmore albo, olim in porticu Basilicæ positam, in qua novum Pontificem collocari mos erat, *Stercorariam* appellatam: alias duas porphyreticas, & quidem perforatas, quæ ante capellam sancti Silvestri quondam existebant, in quibus Pontifex recens consecratus itidem sedebat. Quocirca observare juvabit, Pontificem novum eo ritu in Lateranensis Basilicæ possessionem induci solitum, ut primo ad thronum Pontificalem, qui in apside Basilicæ extabat, *omnes Episcopos, & Cardinales*, ut loquitur Cencius, ad osculum admitteret, *deinde ad sedem lapideam, quæ dicitur Stercoraria*, stantem in porticu Basilicæ collocaretur, ut vere dicatur: Suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pau-

pauperem: postea ductus ad capellam sancti Silvestri prope Lateranense Palatium, primo sederet ad dexteram in una ex illis sedibus Porphyreticis, ubi claves Basilicæ a Priore Sancti Laurentii acciperet in signum regiminis & correctionis: demum ad sinistram in altera sedens, easdem claves eidem Priori restitueret. Ex quo intelligitur *Stercorariam* vocabulum traxisse, non ex forma (neque enim pertusa est, ut aliæ duæ) sed ex versu Psalmi, qui Pontifice in ea sedente canebatur, *& de stercore erigit pauperem*. Hæc *fœda loco*, non forma nedum usu, appellatur in libro secundo de coronatione Bonifacii VIII. Auctore Jacobo Cardinale apud Bollandianos Tom. 4. Maii pag. 471. ubi totus hic ritus de tribus sedibus metrice discibitur. *Fœda*, inquam *loco* nempe quod in porticu Basilicæ inferiori constituta esset, ut ex antecedentibus intelligitur. Quando primum harum sedium usus cœperit non constat. De his nihil invenimus ante sæculum duodecimum, quo tempore illarum fit mentio apud Cencium, sæculo post ante natam fabulam de PseudoPapissa Joanna. Tandem ritus ille, qui ad altius insinuandam novo Pontifici humilitatem primum inductus fuerat, post receptam apud nimium credulos de pseudoPapissa fabulam, ita infamis evasit, ut ob hoc commentum penitus abrogaretur: quod sæculo superiore post Leonem X. factum putamus. Cæterum non alia de causa sedes illas pertusas fuisse verisimile est, quam quod antiquis Romanorum thermis inservirent. Unde factum est, ut ob materiæ pretium non formæ causa ad novi Pontificis sessionem adhiberentur. Hetherodoxi autem plaudentes ipsarum usui occasionem dedisse blaterant Papissæ ordinationi, ut dum in ea novus Romanus Pontifex gestaretur, Cærimoniarum Magistri experimentum caperent, an recens ordinatus Pontifex masculus, vel fœmina esset. At apage nugas, quin potius deliria, & ad historiam hujus anni redeamus. Jesu Chr. an. 855.

14. Dum adhuc Leo Papa viveret, concilium Ticinense hoc anno celebratum est, indict. 3. die quarta Februarii, in quo de ecclesiastici ordinis reformatione, deque ecclesiarum immunitate, & privilegiis actum est, ut ejusdem synodi acta testantur, quorum hæc est summa. Cum in unum Subalpini Episcopi Ticinum convenissent, Ludovicus Imp. ipsos rogavit, ut quæ emendatione indigebant, sibi referrent, Concilium Ticinense. *Labb. tom. 8. pag. 146.*

JESU CHR. AN. 855. Ticinensis synodi decreta pro Ecclesiarum reformatione.

de conversatione scilicet Episcoporum, Presybterorum, & ceterorum clericorum, de doctrina & prædicatione in populo, de conscriptione librorum, de restauratione ecclesiarum, de ordinatione plebium, & xenodochiorum, de monasteriis virorum, seu feminarum, quæ secundum regulam sancti Benedicti, vel ea quæ secundum canonicam auctoritatem disposita esse debent, quidquid in præfatis ordinibus extra ordinem est, aut per negligentiam præpositorum, aut per desidiam subditorum, vehementer cupio scire, addidit, & secundum Dei voluntatem, vestrumque sanctum consilium, sic emendare desidero, ut in conspectu Dei, nec ego reprobus sim, neque vos, & populus mihi subditus divinam indignationem incurrat. Deinde qua ratione hæc, aliaque emendari possent, ut sibi suggererent, Episcopos hortatus est, tum etiam de Comitibus, & eorum ministris, si justitias negligunt, aut ipsas vendunt, si sunt rapaces, aut ecclesiarum, viduarum, orphanorum, aut pauperum oppressores: si ad prædicationem veniunt, si debitum honorem, aut obedientiam sacerdotibus præstant, si aliquas novitates, aut argumenta, quæ ad detrimentum populi pertinent, agere præsumunt, sicut est in acquirendis proprietatibus, aut irrationabiles præces ad adjutoria facienda, sive in reliquis causis quæ ad peccatum nostrum pertinere possunt, ac populi nostri. Pro tanta pii Imperatoris sollicitudine gratias eidem plurimas congregati Episcopi reddiderunt, ac multa quidem emendatione indigere dixerunt, ac eadem fere, quæ anno 853. in concilio Svessionensi pro Gallicanis, aut Germaniæ ecclesiis statuta fuerunt, in memoriam sunt revocata: salutaria etiam Ludovico ipso consilia dederunt, ne scilicet pauperiorem populum gravioribus tributis affligi, aut a potentioribus vexari permitteret, eosdemque ab injuria clericis inferrenda, & a rapina bonorum ecclesiarum, aut monasteriorum cohiberet, admonuerunt, quibus libenter annuens Luduvicus, ut Episcoporum postulationibus satisfaceret rescripto suo jussit. *Quæ olim sæpe inculcata, & Augustoli nostra sanctione promulgata quia ex parte in aliquibus vi. derunt neglecta hactenus, acriori debuerant ulcisci examine, attamen nostra mansuetudine, ut corrigantur quantulumcumque largimur spatium, quo quidem neglecta emendare valeant, destinaturi post modicum legatos strenuos emenda-*

ta

ta inquirere. Qui vero negligens repertus fuerit, propriis honoribus noſtro privabitur judicio. Hæc Ludovicus, optimo quidem, & chriſtianiſſimo Principe digna, ſi ad effectum aliquando perducta eſſent; at ea erat temporum conditio, & Ludovici Imp., filiorumque ejus in rebus gerendis inertia, ut optima quidem legibus ſancirentur, factis vero in deterius res fuiſſent. JESU CHR. AN. 855.

15. Hoc eodem anno *Regnante D. N. J. Chriſto, anno* 835. *ab Incarnatione ejus*, glorioſiſſimo Lothario Imp. 15. indict. 3. menſe Januario, ſexto idus ejuſdem menſis, ut in præfatione legitur, cum in unum tres Metropolitani Epiſcopi Valentiæ in Eccleſia S. Joannis, *Propter cauſam Epiſcopi civitatis Valentinæ criminibus diffamati*, juſſu Lotharii Imp. conveniſſent, Epiſcopi cauſa cognita, & finita, *Ne fratrum conventus abſque edificatione diſcederet*, ut ajunt Epiſcopi, ex quibus tres Archiepiſcopi Remigius ſcilicet Lugdunenſis, Agilmarus Viennenſis, & Rotlandus Arelatenſis, cum Epiſcopis quatuordecim, adſtantibus Presbyteris, & Diaconibus, ac *collaborante cum eis quam maxime Ebbone Gratianopolitano Epiſcopo*, Canones viginti tres ediderunt, ac primo Gotheſcalchi cum Hincmaro, ſeu potius confutatore ejus Joanne Scoto, aliiſque cauſam retractarunt ac in Cariſiaca ſynodo biennio ante ſtatuta confirmarunt. Hinc canone primo, *De præſcientia Dei, & prædeſtinatione, & de quæſtionibus aliis, in quibus fratrum animi non parum ſcandalizati probantur, illud tantum firmiter tenendum eſſe credimus, ajunt, quod ex paternis eccleſiæ viſceribus nos hauſiſſe gaudemus*, ideſt ut ſupra adnotaverant, ex Cypriano, Hilario, Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino, ceteriſque in pietate catholica quieſcentibus, ac prophanas vocum novitates vitandas eſſe docent, dum autem canone ſecundo docent, Deum juſtarum præmia, reproborumque pœnam præſciſſe, adnotant, Dei præſcientiam nemini neceſſitatem peccandi impoſuiſſe, ſed quales proprio arbitrio futuri erant, Deum præſciſſe, atque ex hac præſcientia, Prædeſtinationem quoque, ſicuti juſtorum ad vitam æternam, ita reprobborum ad mortem ſequi addunt. Quartus canon de Redemptione & pretio Sanguinis Chriſti, his verbis conceptus eſt. *De Redemptione ſanguinis Chriſti, propter nimium errorem, qui de hac cauſa exortus eſt, ita ut qui-*

De ſynodo Valentina. *Labb. tom. 8. pag. 154.*

Valentinæ ſynodi canonum ſumma.

JESU CHR. AN. 855.

quidam, ſicut eorum ſcripta indicant, etiam pro illis impiis, qui a mundi exordio uſque ad Paſſionem Domini in ſua impietate mortui, æterna damnatione puniti ſunt, effuſum eum definiant contra illud Prophaticum. Ero mors tua, o mors, Ero morſus tuus, inferne, illud nobis ſimpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, juxta Evangelicam & Apoſtolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipſe Dominus noſter dicit: Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam. His addunt canone 5. item firmiſſime tenendum credimus, quod omnis multitudo fidelium ex aqua & Spiritu Sancto regenerata, ac per hoc veraciter eccleſiæ incorporata, ac juxta doctrinam Apoſtolicam in morte Chriſti baptizata in ejus ſanguine ſit a peccatis ſuis abluta, quia nec in eis potuit eſſe vera regeneratio, niſi fieret & vera redemptio. Ex ipſa tamen multitudine fidelium redemptorum alios ſalvari æterna ſalute, quia per gratiam Dei in redemptione ſua fideliter permanent . . . alios, quia noluerunt permanere in ſalute fidei, quam initio acceperunt, redemptioniſque gratiam potius irritam facere prava doctrina, vel vita, quam ſervare elegerunt, ad plenitudinem ſalutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire. Capite tandem ſexto, de divina gratia, per quam fideles ſalvantur, id tenendum docent, quod ſanctiſſimi Patres auctoritate ſacrarum ſcripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod Africana, Arauſicana Synodus profeſſa eſt, quod Beatiſſimi Pontifices Apoſtolicæ Sedis catholica fide tenuerunt. *Ineptas autem quæſiunculas, & aniles pene fabulas, Scotorumque pultes, puritati fidei nauſeam inferentes.* (Ideſt quæ Scotus Erigena adverſus Gotheſcalchum vulgaverat,) abjicienda omnino, refutandaque docent. His alios canones eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantes addiderunt, & ne a Principibus ad Epiſcopatum electi, indiſcuſſi, & inexaminati, ſcientiæque litterarum pene ignari, admitterentur, Epiſcopos graviſſimis verbis admonuit ſynodus: cetera vero ibidem ſtatuta, ea fere ſunt, quæ vel in Papienſi hujus anni ſynodo, vel in Senonenſi biennio ante celebrata, vulgata fuerant, unde plura addere ſuperfluum eſſet.

Conven- 16. Ex Gallicana ſynodo, ad Anglicanam tranſimus, ſeu

seu potius ad conventum Episcoporum, & Procerum cum Rege Ethelvulpho Occidentalium Saxonum in Anglia Rege, quo decimas terrarum Regni sui piissimus Rex Angliæ ecclesiis solvi jussit. Quibus gestis Romam cum filio suo Elfredo perrexit, ubi annum demoratus, cum in Angliam anno sequenti rediret, Juditham Caroli Francorum Regis filiam uxorem accepit. De hac Ethelvulphi Regis donatione, Romanoque itinere Angliæ historici pluribus agunt, ac in eamdem rem quampluriqua tum Vilkinius, aliique conciliorum Britanniæ collectores, cum Pagius adnotant, quem etiam orationis causa, Romam, sub Benedicto Papa, Leonis successore, advenisse his verbis narrat Anastasius. *Hujus temporibus Rex Saxonum nomine* Ethelvulphus, *causa orationis veniens, relictis omnibus suis rebus, regnum proprium suum dimisit, Romam properans ad limina Apostolorum Petri, & Pauli cum multitudine populi, & obtulit dona beato Petro Apostolo, coronam ex auro purissimo pensantem libras quatuor, Baucas ex auro purissimo duas, pensan. libras . . . Spatam cum auro purissimo ligatam. Item imagines duas min. ex auro purissimo. Gabathas saxiscas de argento exaurato quatuor Saraca de olovaro, cum chrysoclavo 2. Camisias albas figillatas holosericas, cum chrysoclavo, & vela majora de fundato duo. Et ipse Rex Saxonum postulante sanctissimo Domno Benedicto Papa, ut faceret rogam in ecclesia B. Petri Apostoli publicam dependere auri, vel arg. librarum, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & universo Clero & Optimatibus Romanis tribuit aurum, populo vero minutum argentum. Et postmodum finita causa orationis reversus est ad proprium regnum suum, & post paucos dies vitam finivit, & perrexit ad Dominum.* Hæc Anastasius.

JESU CHR. AN. 855. tus Vintonienſis. *Apud Vilkins Concil. Britan. tom.* 1. *pagin.* 183. *seqq. Labb. concil. tom.* 8. *pag.* 243.

Ethelvulphus Rex Romam adveniens, dona offert. *Anast. pag.* 403.

17. Donationis vero Decimarum terræ suæ ecclesiis Regni sui factæ extat diploma coram Episcopis, & Proceribus in Vintonienſi conventu editum, cujus hæc est inscriptio. *Quinto nonas Novembris anno Christi* 855. *indictione IV.* seu potius tertia, ait Pagius, *præsentibus Ethelvulpho Rege Vestsaxone, Beorredo Rege Merciæ, & Edmundo Rege Estanglorum, una cum Archiepiscopis Cantuarienſium, & Eboracenſium, ceteriſque totius Angliæ Episcopis, & Magnatibus.* Quibus adstantibus Rex Ethelvulphus chartam donationis Decimarum manu sua subscriptam super altare S. Petri

Ethelvulphus Rex Saxonum decimas terræ ecclesiis concedit. *Vilkins, Labb. ut supra.*

JESU CHR. AN. 855.

tri Apoſtoli obtulit. *Et Epiſcopi pro fide Dei illam acceperunt, & per omnes eccleſias poſtea tranſmiſerunt in ſuis partibus publicandam.* Quouſque hæc donatio ſe ſe extenderet, an ſcilicet, terras tantummodo patrimonii ſui, ſeu ut ait Vilkins, de *terris Veſſaxoniæ, quam hæreditarie poſſidebat*, vel de terris totius Regni Angliæ diſputant ſupracitati ſcriptores, Vilkinſius, & Pagius, in quibus immorari non juvat, hoc unum addimus, quod Epiſcopi ibidem congregati, pro accepto beneficio gratias referentes, juſſerunt Monachis, & religioſis feminis, ut die Mercurii per ſingulas hebdomadas pſalmos quinquaginta canerent, Presbyteri vero duas miſſas in quolibet menſe dicerent, unam pro Rege, alteram pro Ducibus dum viverent. *Poſtquam autem defuncti fuerint, pro Rege defuncto ſingulariter, & pro Principibus defunctis communiter* celebrarent, atque hæc de Ethelvulphi Regis munificentia in eccleſias, ac de Romana profectione dicta ſint, quem ſcimus ſub Leone in urbem adveniſſe, ac inde receſiſſe cum jam Leoni Benedictus ſucceſſiſſet.

Orationes, & Miſſæ pro anima Regis celebrandæ.

Lotharii Imp. obitus.

18. Hoc autem anno, ut Regino, ceterique Francorum Annales referunt, Lotharius Imperator, *morbo correptus, vitamque deſperans, monaſterium Prumiæ in Arduenna conſtitutum adiit, ſeculoque, & Regno penitus abrenuncians tonſus eſt, vitam, habitumque monachi humiliter ſumens. Diſpoſitoque inter filios, qui ſecum morabantur, Regno, ita ut Lotharius cognomen ejus Franciam, Carolus vero provinciam obtineret, intra ſex dies deceſſit, quarto Kal. Octobrium, atque in eodem monaſterio, ſepulturam, ut deſideraverat, conſecutus eſt.* Optimi Principis varia ſuperſunt epitaphia, quorum unum his verſibus incipit.

Cæſar tantus eras quantus & orbis,
At nunc exigua clauderis urna
Poſthæc quiſquis ſciat ſe ruiturum,
Et quod nulla mori gloria tollat.
O quanto premitur Roma dolore
Tam claris ſubito patribus orba
Infirmata prius morte Leonis
Nunc Auguſte tuo funere languet &c.

His

His alia ibidem videnda addit, at hæc adnotasse juvabit, quibus indicat, Leonem Pontificem, & Lotharium Imp. uno eodemque anno obiisse. Tres porro filios post se reliquerat Lotharius, Ludovicum scilicet Italiæ Regem, quem etiam sexennio ante Imperio sociaverat, Lotharium cui Franciam reliquerat, quam nunc ex ejus nomine Lotharingiam dicimus, & Carolum natu minimum, cui Provinciam dedit. JESU CHR. AN. 856.

19. De ceteris in Gallia hoc anno, sive ante Lotharii obitum, sive post gestis, etsi plura narrent chronologi Francorum, hæc tantum ex Bertiniano annalista adnotamus, quibus Nortmannorum clades ibidem renovatas fuisse, ac Edilvulphum Angliæ Regem Romam proficiscentem ab Carolo honorifice susceptum fuisse cognoscimus. *Nortmanni Burdegalam Aquitaniæ civitatem invadunt, & hac illacque pro libito pervagantur. Carolus Aquitanis petentibus Carolum filium suum Regem designatum attribuit. Carolus etiam Etinvulphum Regem Anglorum Saxonum Romam properantem honorifice suscipit, omni regio habitu donat, & usque ad Regni sui terminos cum obsequiis Rege dignis deduci facit &c.* Luctuosas Normannorum clades Francis per hæc tempora, vel hoc anno illatas, pluribus describunt Annalistæ, atque de his fusiori etiam stilo ad hunc annum agit Pagius nota 17. ad 24. Nortmannorum irruptiones in Gallias, aliaque gesta.

JESU CHRISTI AN. 856. BENEDICTI 3. PAPÆ 2. LUDOVICI IMP. 2. MICHAELIS IMP. 15.

1. Insequens Christi annus ob Tiberis inundationem, pestemque inde secutam urbi fatalis fuit, nam ut narrat Anastasius. *In mense quinto consecrationis hujus præclari Pontificis*, Benedicti scilicet tertii. *In mense Januario, die sexta fluvius, qui appellatur Tyberis, alveum suum egressus est, & per campestria se dedit. Intumuit ita inundatione aquarum multarum, & ingressus per posterulam, quæ vocatur sanctæ Agathæ, in Urbem Romanam hora diei tertia ascendit; & inter cætera aliquibus locis ingressus est in Ecclesiam B. Silvestri, ita ut ex gradibus, quibus ascenditur in basilicam beati Dionysii præ multitudine aquarum unus qui superior erat, remaneret super aquas, & exinde exspandit se super plateam quæ vocatur Viæ latæ, & ingressus est in* Tiberis inundatio. *Anast. tom. 1. pag. 406.*

JESU CHR. AN. 856.

in basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ ibidem est, & tantum intumuit aqua, ut etiam portæ ipsius Ecclesiæ non viderentur præ multitudine aquarum. Et inde ascendit per plateas, & vicos usque ad Clivum Argentarium, & exinde remigrans ingressus est per porticum, quæ est posita ante ecclesiam sancti Marci in mense supradicto die sexta, quæ est Apparitio Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, id est, Theophaniæ. Inde impetum faciens cæpit decurrere in cloacam, quæ est juxta monasterium S. Silvestri, & S. Laurentii martyris, quod vocatur Pallacini. Et ab ipso die cæpit paulatim aqua diminui, & fluvius post multa damna facta in suum alveum reversus est. Nam domos evertit, agros desertavit evellens segetes, & eradicans arbusta, Hæc Anastasius.

Post Tiberis inundationem pestis urbem invadit.

2. Post Tyberis inundationem ad urbis, totiusque Italiæ perniciem, ut fieri solet, & ut seculi septimi initio, cum Gregorius Magnus Romanus Pontifex ordinatus fuit, contigerat, dira pestis subsecuta est, cujus ad hunc annum Annalista Bertinianus his verbis meminit. *Hyems asperrima & ficca, pestilentia valida, qua magna pars hominum absumitur.* Ejusdem pestis meminit Joannes Diaconus hujus temporis scriptor, in appendice ad vitam S. Gregorii, dum de signis & prodigiis, quæ in monasterio ejusdem S. Gregorii ad Clivum Scauri fieri solebant, hæc inter cetera adnotat, *Benedicti quoque Pontificis tempore, Lucido Ficuleno Episcopo eidem monasterio præeminente*, dum plures quotidie pestilentia morerentur accidit, ut Joannes monachus graviter decumberet, cui apparens Sanctus Gregorius, citius sanum futurum eum nunciavit, eique duodecim circiter ejusdem monasterii viros citius morituros prædixit, & ut iis id prænunciaret jussit, statimque idem Joannes monachus pristinam recepit sanitatem, die autem septima Lucidum Ficulenum Episcopum quoque moriturum ei S. Gregorius predixerat, & ut eum quoque admoneret, jusserat. Joannes vero monachos, laicosque monasterii de instante morte admonuerat, at idem Lucido Episcopo nunciare timebat, sed tandem oblata sibi ex Episcopi occursu occasione, eidem quoque instantem mortem prædixit, morsque omnium secuta, prænuncii veritatem probavit, ut ibidem Joannes monachus de S. Gregorii miraculis agens pluribus

ribus profequitur, a quo etiam ægrotum monachum ſanatum fuiſſe addit, ut apud Baronium videre eſt.

JESU CHR. AN. 856.

3. Interea etſi Michael Imperator, inſanis tantum amoribus, ludicriſque vacaret, vix Leoni Papæ Benedictum anno proximo ſucceſſiſſe accepit, ut novo Pontifici debitum obſequium redderet, ſuamque erga Romanam eccleſiam reverentiam teſtaretur, legationem cum pretioſis muneribus miſit, ut his verbis narrat Anaſtaſius. *Hujus temporibus*, nempe Benedicti tertii, *Michael filius Theophili Imp. CP. urbis Imperator, ob amorem Apoſtolorum miſit ad B. Petrum Apoſtolum dona per Lazarum monachum, & picturiæ artis nimis eruditum, genere vero Chazarum, id eſt, Evangelium auro puriſſimo tectum cum diverſis lapidibus pretioſis, calicem ſimiliter ex auro & lapidibus circumdatum, reticula pendentia ex gemmis albis pretioſiſſima pulchritudine decorata, vela duo de holoſerico, & liſta de chryſoclavo, parva coopertoria ipſius calicis ſicut mos Græcorum eſt. Similiter & veſtem de purpura Imperiali unam ſuper altare majus, ex omni parte cum hiſtoria habente cancellos, & roſas, de chryſoclavo magnæ pulchritudinis decoratam. Etiam & velum de ſtauraci unum cum Cruce de chryſoclavo, & litteris ex auro Græcis.*

Michael Imp. legationem cum muneribus ad Benedictum Papam mittit. *Anaſt. pag.* 403.

4. Dum urbs, & Italia peſte vaſtaretur, Galliarum provincias alia peſtis invaſerat, interna ſcilicet inter Lotharii filios, ob paternam ſucceſſionem, diſſidia de quibus hæc Bertinianus Annaliſta refert. *Ludovicus Rex Italiæ filius Lotharii, ſuper portione Regni paterni in Francia apud patruos ſuos Ludovicum, & Carolum puerum* (Caroli Calvi filium) *quem nuper Regem conſtituerant, ſpernentes, Pippinum ex Monacho, qui de monaſterio ſancti Medardi aufugerat, eductum cuſtodia Regem ſimulant. Carolus Rex cum Reſpogio* (ideſt Eriſpojo) *Britonum pacifcens, filiam ejus filio ſuo Ludovico deſpondet, dato illo ducatu Cenomannico uſque ad viam, quæ a Lutetia Pariſiorum Cæſarodunum Turonum ducit. Proceres quondam Lotharii filium ejus Lotharium Regem Franciæ* (ideſt Lotharingiæ, quæ media Francia erat, & ab iſto Annaliſta *Francia* abſolute ubique dicta,) *etiam ſacra ratione conſtituunt. Comites pene omnes e Regno Caroli Regis cum Aquitanis adverſus eum conjurant, invitantes Ludovicum Regem Germanorum ad ſuum conſilium perficten-*

Galliarum luctuoſus ſtatus.

JESU CHR. AN. 856.

dum. Quo diutius in expeditione Sclavorum detento, ubi & magnam partem ſui exercitus amiſit, iſti moras illius non ferentes, Carolo Regi reconciliantur. Exaqui (ideſt Aquitani, ut præcedentia oſtendunt, vox enim illa abbreviata, legendumque.) Exinde Aquitani, *Spreto Pippino, Carolum puerum filium Caroli Regis, quem antea repulerant, recipiunt, & in Aquitaniam reducunt. Ludovicus Imperator Italiæ, & Lotharius frater ejus Rex Franciæ* (ideſt Lotharingiæ) *Cum Carolo puero germano ſuo* (Provinciæ Rege) *apud Urbam conveniunt* (eſt Urba vicus pagi Tansjurenſis, qui aliquot millium paſſuum a lacu Lemano abeſt, quæ a Gallis *Orbe* vocatur). *Ubi adeo pro regni paterni portionibus diſſident, ut pene armis inter ſe decertant. Carolo tamen fratri ſuo Provinciam, & Ducatum Lugdunenſem juxta paternam diſpoſitionem diſtribuunt, eripientibus eum a fratre Lothario Optimatibus, in clericum tonſurare &c.*

Synodus Cariſiaci pro reſtituenda tranquillitate.

5. Cum vero ob hæc diſſidia, civili bello tota exarderet Gallia, ac cœdibus, direptionibusque redundaret, ut tot malis mederetur, frenumque injiceret, ſynodum, ſive conventum Epiſcoporum, & Procerum Regni ſui Carolus Calvus hoc anno congregavit, ſeu potius indixit anno ſequenti celebrandam, nam in præfatione epiſtolæ ſynodalis nomine Caroli, Epiſcopis, Comitibus, clero, & populo in ejus Regno conſtitutis, hæc Carolus narrat. *Notum ſit fidelitati veſtræ, quia decimoquinto Kalendas Martii, ſecundum ſacram auctoritatem ſynodum venerabilium Epiſcoporum, ac conventum fidelium noſtrorum apud Cariſiacum fecimus convenire. Cum quibus inter cetera eccleſiaſtica, utilitatis ac regni neceſſitatis negotia conſideravimus, qualiter rapinæ & depopulationes, quæ partim occaſione ſuperirruentium paganorum, partim mobilitate quorumdam fidelium noſtrorum in regno noſtro, per eos etiam qui eccleſiam Dei defendere, & tueri, & regni ſoliditatem & quietem debuerant providere, graſſantur, aliquo modo, annuente Domino, ſedari valeant, & amoveri.* Deinde ut inito ſimul conſilio, a cœdibus tandem, & deprædationibus abſtinerent, pluribus gravioribuſque verbis admonet, & ſubdit. *Antequam cenſura eccleſiaſtica, ac legales ſententiæ hujuſmodi prædatores terribiliter & damnabiliter feriant, Epiſcopi quique in ſuis parochiis, & miſſi in illorum miſſaticis, comiteſque in eo-*

Labb. tom. 8. pag. 246.

rum

rum comitatibus pariter placita teneant, quo omnes reipublicæ ministri & vassi Dominici, omnesque quicumque vel quorumcumque homines in iisdem parochiis & comitatibus, sine ulla personarum acceptione & excusatione aut dilatione conveniant. Et Episcopi illius parochiæ breviter annotatas sententias de ejusmodi causa, evangelicæ videlicet & Apostolicæ, & propheticæ auctoritatis, nec non & decreta Apostolica atque canonica omnibus relegant, & aperto sermone cunctis quale quantumque peccatum sit, & qualem quantamque pœnitentiam, & quam immanem severissimamque vindictam expoſcat, cum aliis debitis & necessariis, atque utilibus prædicationibus innotescere curent &c. Et ut Episcopi, cum regalibus missis, in eam rem delegatis, cuncta emendare curarent, vel ad se referrent, jubet, quemadmodum ibidem videre est, cujus synodi acta, utpote sua ætate inedita, annalibus suis hoc anno integra Baronius inseruit, nunc vero prolixiora, emendatioraque exhibent, tum conciliorum editores, cum Balutius, aliique. Eadem autem per Hincmarum, & Ermenfridum Episcopos, & Adalardum Abbatem, & Rodulphum, & Richuinum, & Berengarium Regios legatos, missa fuisse scimus a Carolo *anno Incarnationis* 856. *nonis Julii de Palatio Carisiaco*, & cum iis synodalem epistolam Caroli nomine, cujus supra mentionem fecimus, qua conventum decimosexto Kal. Martii se celebrasse narrat. Regis vero admonitio adversus raptores vulgata inter litteras Lupi Ferrarienſis Abbatis numero centesimo legitur. Frequentiores autem tunc, impunitasque fuisse cujuslibet generis, personarumque deprædationes, non obscure indicant Gallicani hujus temporis scriptores, inter ceteros non uno in loco temporum suorum infelicitatem Lupus Abbas Ferrarienſis his verbis exponit. *In Regno Caroli Regis nostri novis exortis rebus, impune latrocinia committuntur; & nihil securius atque constantius quam rapinarum violentia frequentatur. Talis igitur est commeantium quærenda societas, quorum numero atque virtute improborum factio evitetur; aut si necesse fuerit, repellatur.* Et in ultima epistola ad Guinilonem Senonenſem Episcopum infelicia sua tempora deplorat, ut ibidem videre est.

Jesu Chr. an. 856.

Balut. Capit. Reg. Franc. tom. 2. pag. 80. ad 92.

Lup. Ferrar. Abbatis de deprædationibus querelæ. *epist.* 104 & 126.

6. Tanta porro tunc in Galliis morum corruptela vigebat, ut ſicuti fœditatum Sodomorum fama in Cœlum usque

Benedicti Papæ epiſto-

JESU CHR. AN. 856. la ad Episc. Galliæ in causa Hucberti clerici.

que pervenerat, ita Gallorum hujus temporis, Romam usque ad aures Benedicti Pontificis perveniret, quibus ut medelam afferret, gravem ad Episcopos in Caroli Regno constitutos epistolam dedit, qua præcipue Hucberti cujusdam inaudita facinora commemorat, eumque infra dies triginta Romam ad crimina, quibus insimulabatur, responderet, adesse jubet. *Hubertum clericum*, ait Benedictus, *quondam Bosonis filium relatione similem esse cognovimus, qui tantis squalloribus irretitus mentem ad superna non sublevans, eorum perennis particeps esse nolit. Multorum vero ingemiscentium clamoribus hominum horrificisque assertionibus plura infelicis suæ audaciæ mala, diruptque perpetrationes nostri Præsulatus didicere Legati. Qualiter olim sacrorum fuit conjunctus numero clericorum a Deo, ut in divinis celebrandis mysteriis, more subdiaconorum, sacras Lectiones conscendens ambonem, populis nunciaret: Nunc autem (quod lachrymantes referimus) iniquorum, sceleratissimorumque hominum conversationibus sociatus, infaustæ vitæ iniquus, & multis piaculis criminibusque plenus ad periclitationem suæ, quo non debuerat, animæ, iniquo certamine tendit, & cruenta tyrannide perseverat. Et hoc multis narrantibus audiere, quod cum scenicis mulieribus quotidie degere non dubitat, quæ animas perdunt, corpora sanciant, ad imaque deducunt. Et quia aggregatione multorum hominum sibi noxiorum conjuncta, multa in plebem Domini, quam pretiosa passione e faucibus nequissimi eripuit Leonis, atque redemit, homicidia, & innumera adulteria, turpesque fornicationes, ac depræ dationes illicitas, & insustentabiles perpetrare non cesset: sed & pluribus item affirmantibus didicere; quod monasterium, sancti gloriosique Mauritii martyris Apostolicis privilegiis munitum tanta ferocitate pervasit, ut nullus jam priscæ religionis in eo ordo servetur:* Quin ut paulo post subdit, Monachorum loco, qui ibidem Deo hactenus inserviebant. *Nunc meretricibus, canibus, atque avibus, nec non nequissimis hominibus sua largiuntur perceptione:* quin mulierem quamdam pudicitiæ causa, ab mariti societate divulsam, monasteriumque ingressam, secum retinebat, atque ne ab ecclesiæ Episcopis coerceretur defensabat, quare post plurima. *Volumus*, ait Pontifex, *& Apostolica sacra præcipimus auctoritate, & industria, ut omni postposita excusatione,*

Labb. tom. 8. pag. 232.

ne, ablatoque ingenio, post triginta dierum curricula, ubi hæc illi fuerit præsentata epistola, iter inchoare non pigeat, Romamque celeri studio properare festinet, ut præsentialiter videre valeamus atque cognoscere, si taliter circa eum hic quæ dicuntur existant, ut spirituali abluere censura curemus, sauciataque membra cælestis reformare medicinæ collegio valeamus. Cupimus enim ipsum tantis erutum esse delictis, & supernæ patriæ sacris monitis perficere civem. Si autem venire neglexerit, ad nostramque Apostolicam Sedem secundum præceptionem pergere noluerit: Scire vos volumus, quia mox illum ab Ecclesiastica communione expellimus, ita ut nec vobiscum, nec cum aliis Christianæ cultoribus Fidei consortium habeat, & a Dominico corpore & sanguine eum facimus alienum. Optamus beatitudinem vestram in Christo valere. Hæc Benedictus Papa. JESU CHR. AN. 856.

7. Huic alteram ab Lupo Ferrarienſi epiſtolam ad Benedictum Papam datam addimus, qua non ſolum reverentiæ ſuæ, & obedientiæ erga Apoſtolicam ſedem, & Benedictum Pontificem teſtimonia exhibet, ſed etiam varios ſacræ, & prophanæ eruditionis Codices ut ſibi mittantur, rogat, ac Adulphum, & Acaricum Compresbyteros ſuos, epiſtolæ ſuæ delatores ei commendat. *Cæterum quia parentes thesaurizare debent filiis, ut Doctor gentium manifestat, nosque vobis obsequentissimi filii esse cupimus, commentarios B. Hieronymi in Jeremiam post sextum librum usque ad finem prædicti Prophetæ, per eosdem fratres nostros mitti deposcimus in codice reverendæ veritatis vestræ sanctitatis. Si id obtinuerimus, postquam celeriter exscriptus fuerit, sine dubio remittemus. Nam in nostris regionibus nusquam ullus post sextum commentarium potuit inveniri. Et optamus in vobis recuperare quicquid parvitati nostræ deesse sentimus. Petimus etiam Tullium de Oratore, & duodecim libros Institutionum Oratoriarum Quintiliani, qui uno, nec ingenti volumine continentur, quorum utriusque auctorum partes habemus, verum plenitudinem per vos desideramus obtinere. Pari intentione commentum in Terentium flagitamus. Quæ auctorum opera si vestra liberalitas nobis largita fuerit, Deo annuente, cum commemorato sancti Hieronymi codice fideliter omnino restituenda curabimus. Sanctitatem vestram ad totius ecclesiæ utilitatem divina clementia diuturnis temporibus conservare digne-*

Lupi Ferrar. Abbatis epiſtola ad Benedictum Papam, qua Codices ab eo petit.

2. *Corinth.* 12.

JESU CHR. AN. 856. *dignetur*. Hucusque ad Benedictum Pontificem Lupus Abbas Ferrarienſis.

Rabani Moguntini Epiſc. obitus.

8. Hoc quoque anno ut Annaliſta Fuldenſis, ceteri-que chronologi referunt. *Menſe Februario, quarta die menſis defunctus eſt Rabanus Archiepiſcopus Mogontiacenſis eccleſiæ, habens in Epiſcopatu annos novem, menſem unum, & dies quatuor. Cui ſucceſſit Carolus* Pippini Aquitaniæ Regis filius, atque alterius Pippini frater, *magis voluntate Regis, & conſiliariorum ejus, quam ex conſenſu & electione cleri, & populi*, ait idem auctor. Defunctus in agro Rabanus, Moguntiam translatus fuit, & in baſilica S. Albani, in cappella S. Martini, & Bonifacii ſepultus fuit, ut narrat Trithemius, ad cujus ſepulchrum Epitaphium extat ab ipſomet compoſitum, ut videtur, quo vitæ ſuæ ſeriem exponit, his verſibus.

Carolus Rabano in ſede Moguntina ſucceſſor.

Lector honeſte, meam ſi vis cognoſcere vitam
Tempore mortali, diſcere ſic poteris.
Urbe quidem hac genitus ſum, ac ſacro fonte renatus,
In fulda poſt hæc Dogma ſacrum didici.
Qua monachus factus Seniorum juſſa ſequebar,
Norma mihi vitæ Regula ſancta fuit.
Sed licet incaute hanc nec fixe ſemper haberem:
Cella tamen mihimet manſio grata fuit.
Aſt ubi jam plures tranſiſſent temporis anni,
Convenere viri vertere facta loci.
Me abſtraxere domo invalidum, Regique tulere.
Poſcentes fungi Præſulis officio &c.

Et poſt aliqua.

Raban nempe mihi nomen, & lectio dulcis
Divinæ legis ſemper ubique fuit &c.

Rabanum non immerito *Fulgens Germaniæ ſidus, ac Theologorum verticem* appellat Baronius, cujus egregia opera, pluribus in folio, ut dicitur, voluminibus edita ſunt; hiſque plurima adhuc addenda eſſent, at de Rabani operibus, editis, vel ineditis ad Mabillonium, vel ad auctores hiſtoriæ litterariæ Galliæ lectores remmittimus; ne diutius in iis immoremur.

Mabill. acta Ord. Bened. tom. 6. Hist. litter. Galliæ tom. 5. pag. 155. ad pag. 203.

9. Hoc

9. Hoc quoque anno 858. Aldrici Cenomanenſis Epiſcopi obitum contigiſſe ait Pagius, & quidem die octava Januarii, cujus vitam refert Bollandus. Is porro nobilibus parentibus ortus, ab infantia ab Epiſcopis enutritus, & in ſacris litteris eruditus fuit, a Gandulpho deinde Metenſi Epiſcopo Diaconus ordinatus, ſuadente Drogone ejus ſucceſſore Presbyter factus, a Ludovico pio Imp. ſenior eccleſiæ Metenſis, eiuſque confeſſarius conſtitutus eſt, & poſt quatuor menſes, anno 832. ad Epiſcopatum Cenomanenſis eccleſiæ evectus fuit, eamque eccleſiam ad labentem usque annum ſanctiſſime gubernavit, de cujus præclare geſtis nonnulla ſupra adnotavimus. Plura vero dabunt ſupracitati auctores hiſtoriæ litterariæ Gallorum.

JESU CHR. AN 856. Aldrici Cenomanensis Episc. obitus. *Pag. not.* 8.

10. Cumque hoc eodem anno, ſeptimo idus Maii Encanradus Pariſienſis Epiſcopus obiiſſet, Æneas Caroli Calvi notarius, ab eodem Rege Pariſienſi clero oblatus, communibus ſuffragiis Pariſienſis Epiſcopus electus fuit; hac de re extant litteræ cleri Pariſienſis nomine ab Lupo Ferrarienſi Abbate ad Venilonem Senonenſem Epiſcopum, & Metropolitam, & ad Epiſcopos comprovinciales, idemque Lupus Venilonis nomine, & Coepiſcoporum, Pariſienſi clero reſcripſit, quibus ſe Æneæ electioni conſenſum præbere teſtabantur. Æneæ conſecrationi, cum Prudentius Tricaſſinus adeſſe non potuiſſet, datis ad Venilonem Archiepiſcopum litteris, ſe Æneæ ordinationi conſenſum ſuum præbere teſtatus eſt, dummodo Æneas capitula quatuor Cariſiaci concilii adverſus Gotheſchalcum edita reprobaret, quod an præſtiterit Æneas, ignoratur, hinc Æneas Pariſienſis Epiſcopus, biennio poſt Tullenſi ſynodo adfuit, ac ſubſcriptus ibidem legitur.

Æneas Parisiensis Episcop. Encanrado succedit. *Lup. epist. 98. & 99.*

11. Antequam Gallia excedamus, inſigne pœnitentiæ publicæ exemplum lectoribus non ingratum ex Mabillonio addimus. De Frotmundo nobiliſſimo viro, qui ne patris hæreditatem cum patruo venerabili Presbytero divideret, cum fratribus ſuis inito conſilio, patruum interfecerat. Sed mox execrandi facinoris pœnitens factus Frotmundus, fratribus ſuis, eumdem pœnitentiæ animum inſpiravit, omnesque una perrexerunt ad Palatium, a Rege, & Epiſcopis conſilium quæſituri, qua ratione hanc noxam expiarent. Mox convocatis Epiſcopis viſum eſt, ut ferreis catenis brachia

Pœnitentiæ publicæ insigne exemplum. *Mabill. Annal. Lib. 35. num. 9. tom. 3.*

JESU CHR. AN. 856.

chia & lumbos constricti, loca sancta in cinere ac cilicio circumirent, quousque Deus eorum pœnitentiæ modum imponeret. Quare Episcoporum jussa exequentes, Romam profecti sunt, ac limina terere sanctorum Apostolorum, ac tumulos beatorum Martyrum, quos urbs illa innumeros habet. Post multos dies, acceptis a Pontifice litteris (is tum Benedictus erat) Ierusalem tendunt; inde in Ægyptum, ubi per duos annos monasteria & cœnobia ejus regionis, sanctorumque agmina monachorum visitarunt. Hinc delati in Africam, se contulerunt ad sepulcrum sancti Cypriani Episcopi & martyris, *qui secundo milliario ab urbe Carthaginensi requiescit juxta mare, ubi multæ virtutes & multa miracula a Domino sæpius ostenduntur*. Tum Romam denuo reversi, afflicti & macerati, multis precibus a sancto Petro Apostolo indulgentiam peccatorum petunt. Verum, cum nec sic eorum vincula solverentur, consilio Benedicti Papæ iterum ultra mare ad sepulchrum Domini, aliaque loca sancta peregrinantur, indeque, post multas preces, Italiam, totamque Burgundiam & Aquitaniæ regionem, & partes Neustriæ peragrant, tandemque in Britanniam accedunt, quam etiam omnino perlustrant. Hos apud Redonam civitatem hospitio excepit Electramnus Episcopus, qui eis omnia necessaria liberaliter suppeditavit. Illic Frotmundi frater natu major defunctus est, humatusque honorifice *ab Episcopo, & a clero sancti Melanii Ordinis Benedictini*. Postea Frotmundo visum est adire ad sanctum locum Rothonensem, ut sancti Marcellini papæ & martyris reliquias ibidem veneraretur. Exceptus cum gaudio a monachis, cum per septem dies precibus institisset, rursus Romam ire cogitat. At sancti Marcellini oraculo revocatus ab itinere, tandem tempore nocturnarum vigiliarum, ejus vincula sancti Marcellini meritis resoluta, ingentem sonitum in terram lapsa ediderunt. Quo audito, monachi concurrentes, Deo gratias reddiderunt, ac Frotmundi vulnera ligare fasciolis, & benigne curare cœperunt. Post tres dies ille cœptum iter Romam prosecutus, tandem, expiato facinore, feliciter ex hoc mundo migravit. Hæc ex libro secundo de gestis sanctorum Rothonensium Mabillonius, quorum pœnitentiam, etsi gravis nonnullis videri possit, leviorem tamen pro culpæ gravitate fuisse adnotat, addens. Hi erant illorum temporum mores, quibus pro homicidio non raro pecu-

pecuniaria tantum multa imponebatur, quam Vergildum appellabant; cujus in duobus Eginhardi epistolis 18. scilicet, & 25., mentio occurrit; sicque ad basilicas sanctorum recurrendo, a Rege, vel Episcopis pecunia facile culpa redimebatur, vel circulorum ferreorum nexu.

JESU CHR. AN. 856.

12. De Saracenorum autem irruptionibus hoc anno in Italiam, vel Normannorum in Galliam, hæc Bertinianus annalista narrat. *Saraceni de Benevento Neapolim* fraude adeuntes vastant, diripiunt, & funditus evertunt. ideſt ut adnotat ad hunc annum Muratorius, Neapolis suburbana, ut de Normannis deinde. *Piratæ danorum decimoquarto Kalend. Maji civitatem Aurelianis adeunt, prædantur, & impune revertuntur*, & post pauca *iterum piratæ Danorum alii mediante augusto Sequanam ingrediuntur, ac vastatis direptisque ex utraque fluminis parte civitatibus etiam procul positis, monasteriis, atque villis, locum qui dicitur Tossa Givaldi Sequanæ contiguum, stationique munitissimum dirigunt, ubi hyemem quieti transigunt*. His vero consentiunt alii chronologi.

Irruptiones Saracenorum & Normannorum.

13. Cum per annos decem & octo Bassacius monasterii Cassinatis præfecturam gessisset, e vivis ereptus, successorem in ea Bertarium habuit, virum vitæ sanctimonia, & litteris præstantem, qui imminentia monasterio pericula, ex Saracenorum incursionibus prævidens, monasterium muris, turribusque in modum Castelli communivit, & oppidum ad montis radices ædificavit, quod S. Germani nunc dicitur, de cujus gestis, plura ex Leone Marsicano, seu Ostiensi refert Mabillonius lib. 35. num. 18.

Bertarius in præfectura Cassinensis monasterii Bassacio succedit.

14. Cum Cordubæ Arabica persecutio, quæ decennalis fuit, desœviret anno proximo, 855. qui sextus erat, Amatorem patria Tuccitanum martyrem fecit, cum Petro Cordubensi monacho, Ludovico civi Cordubensi, & Vitesindo Egabrensi, plures tamen hoc labente anno 856. ibidem fuisse scimus, atque ex his præcipui Presbyter Lusitanus, Monachi tres Paulus, Isidorus, Argimirus, Aurea virgo Deo dicata, Adulphi, & Joannis martyrum soror, quorum certamina Eulogius in memoriali Sanctorum pluribus describit.

De martyribus Cordubensibus an. 855. & 856.

JESU CHRISTI AN. 857. BENEDICTI TERTII PAPÆ 3. LUDOVICI IMP. 3. MICHAELIS IMP. 16.

JESU CHR. AN. 857.

Concilium Moguntinum. *Labb. concil. to. 8. p. 250.*

1. Moguntiæ synodum Episcoporum, *Præsidente Carolo Archiepiscopo circa Kal. Octobris*, hoc anno celebratam fuisse tradunt veteres annales Francorum, *Ubi inter alia ventilata est causa de jure ecclesiastico*; quid autem statutum in ea fuerit, non constat; nam acta synodi interciderunt. In ea lecta est epistola Guntharii Colonienſis Episcopi Alfrido Episcopo directa; qua narrabat Coloniæ die 17. Kal. Octobris ob exortam repente tempestatem, cum ad Ecclesiam B. Petri clerus, & populus confugisset, ictu fulminis Presbyterum ad altare B. Petri, Diaconum ad altare B. Dionysii, laicum ad altare B. Mariæ Virginis occisos fuisse: sex vero alios ita prostratos, *ut elati semivivi vix convalescerent. Feruntur & alia*, subdit auctor, *his temporibus Treviris contigisse, quæ ideo scribere distuli, quia de eis certum nuncium non habui.*

Conventus apud S. Quintinum. *Balut. capit. to. 2. pag. 98.*

2. Ut ingruentibus undique ex domesticis difficiis, ex Normannorum incursionibus, calamitatibus mederentur apud S. Quintinum hoc anno Kal. Martii Lotharius, & Carolus patruus & Germaniæ Rex conventum habuere, quo pacem inter se confirmarunt, & ut disciplina ecclesiastica instauraretur; justitia administraretur, moresque in melius emendarentur; missos suos huc illucque proficisci jusserunt. Atque de gestis ibidem ab Carolo Rege Germaniæ, & Lotharii Franciæ nonnullæ superſunt relationes, quibus tum inter se conventa, cum pro publica utilitate statuta narrantur; ut apud Balutium videre est; de altero conventu, & colloquio Annalista Fuldensis ad hunc annum hæc narrat. *Rex Ludovicus mense Februario colloquium habuit in confluente castello, cum Lothario nepote suo*; Confluentis nomine Coblentz intelligitur, ubi Mosella in Rhenum confluit.

Gallia Normannorum cladibus afflicta.

3. Vix tamen ob fœdus inter Carolum, & Ludovicum, vel Lotharium ac Ludovicum initum Gallorum res in melius mutatæ sunt: quin potius in deterius abjere; nam hoc anno Parisios usque Regni Francici Metropolim Nortmanni progressi, omnia cœdibus, incendioque vastarunt, ut summatim refert Annalista Bertinianus *Piratæ Danorum*,

rum, inquit, *quinto Kal. Januarii Lutetiam Parisiorum invadunt, atque incendio tradunt*, ac paulo post, *Dani Sequanæ insistentes cuncta libere vastant, Lutetiamque Parisiorum aggressi, Basilicam Beati Petri, & sanctæ Genovefæ incendunt & ceteras omnes, præter Domum Sancti Stephani, & Ecclesiam sancti Vincentii atque Germani, præterque Ecclesiam Sancti Dionysii, pro quibus, tantummodo ne incenderentur, multa solidorum summa soluta est. Alii Danorum emporium, quod Dorstatum dicitur, vi capiunt, totamque Batavorum insulam, & cætera loca contermina diripiunt. Frothaldus Episcopus Carnotum insistentibu sibi Danis in eadem civitate pedibus fugiens, fluviumque Auduram notatu transiens, aquis interceptis moritur*. Normanni vero, quorum hic sermo fit, alii in insulis Sequanæ, aut locis circumvicinis, alii in Frisia sedes habebant; Præter istos erant alii Normanni seu Dani, qui Namnetis ad Ligerim morabantur, & de istis idem Annalista scribit. *Hi vero, qui apud inferiora Ligeris morabantur, Turones & omnia circumquaque loca usque ad Blisum* (Gallice Blois) *castrum deprædantur*; de eorumdem excursionibus, plura narrantur ab auctore anonymo vitæ S. Genovefæ cum de translatione reliquiarum ejus hac occasione facta agit, atque ab Ermentario in vita S. Filiberti monasterii Hiensis fundatoris, & primi Abbatis nonnulla memorat Pagius, quorum acta Bollandus, & Mabillonius exhibent, quæ ibidem videri possunt. Galliarum strages, & Parisiorum præcipue deprædationem lamentabili stilo, Hieremiæ threnos imitans, prosequutus est Paschasius Radbertus lib. 4. Inter cetera. *Quis umquam*, ait, *crederet, vel quis umquam cogitare potuisset in nostris partibus, quod transcurso tempore omnes accidisse conspeximus, doluimus, ac deflevimus, & valde pertimuimus; unde & adhuc hodie non minus pertimescimus, ut Piratæ diversis admodum collectis ex familiis, Parisiorum attingerent fines, ecclesiasque Christi hinc inde cremarent circa litus. Quis umquam quæso crederet, quod latrones &c.* hæc, & alia in eamdem rem; ac addit. *Fateor enim, quod nullus ex Regibus terræ ista cogitaret, neque ullus habitator nostri orbis audire potuisset, quod Parisium nostrum hostis intraret*. Ac exigentibus Francorum peccatis, præcipue Sacerdotum, & Principum, id contigisse

Jesu Chr. an. 857.

Bolland. die 3. Januarii Mabill. act. Bened. secul. 4. part. 1.

Paschasius Parisiorum deprædationem deplorat.

JESU CHR. AN. 857.

giſſe fatetur, quæ nihilhominus augebantur; *Sed quotidie ad majora exardeſcimus ſcelerum mala* addit.

Lotharii Regis ab uxore divortium.

4. Et sane hoc eodem anno in Regno Lotharii grave scandalum exortum eſt ex divortio Lotharii Regis cum uxore sua Theotberga; Unde Annaliſta Bertinianus inter hujus anni geſta, hæc etiam adnotat *Lotharius concubinit abutens, uxorem ſuam Reginam abiicit*; quam falſi criminis inſimulavit, quaſi hæc olim, cum Hucberto fratre carnalem copulam habuiſſet? Nec defuere poſtea Episcopi, qui regiæ libidini, qua erga Valdradam hoc tempore ardebat, aſſentarentur; ex quibus Guntarius Colonienſis, & Theogaudus Trevirenſis Metropolitani; de quibus infra non ſemel redibit ſermo; diu enim tum in Galliis, cum Romæ apud Nicolaum Pontificem eadem divortii cauſa agitata fuit.

S. Eulogius Apologeticum ſcribit.

5. Hoc anno arabicæ perſecutionis octavo, duos tantum martyres Cordubæ fuiſſe, Rudericum ſcilicet, & Salomonem narrat Eulogius in Apologetico, quorum nullam in libris tribus memorialis ſanctorum mentionem fecerat; unde cognoſcitur ante illorum martyrium abſolutos fuiſſe. In Apologetico vero, uti jam ſupra innuimus, obloquentium temeritatem arguit, qui Cordubæ pro Chriſtiana fide certantes, martyrum titulo, & honore indignos judicabant; eo quod non ab Idolorum cultoribus, ut olim, ſed a Mahumetanis, qui unum Deum colebant, perſecutionem ſuſtinerent; nec in eorum obitu, vel per eorum reliquias, eadem patrarentur miracula, quæ in ſinceris martyrum actis legebantur. Quare ne Chriſtianorum ardor in fide tuenda, & ab Mahumetanorum injuriis vindicanda tepeſcerent, hæc, aliaque obmurmurantium commenta Eulogius confutanda ſuſcepit; egregieque Apologetico vulgato præſtitit; quo Ruderici, & Salomonis certamina, & martyrium narrat; quorum corpora in flumen projecta, poſt dies viginti illæſa ac integra, non aliter ac ſi die eadem occubuiſſent, inventa, multo cum honore, ac Epiſcopi, totiuſque cleri, ac populi concurſu ſepulta ſunt; de illorum inventione hæc inter cetera prodit. *Ego interim peccator Eulogius, qui geſta Beatorum meo elucubranda ſtylo dudum decreveram: cum rumor conſummatæ paſſionis eorum ubique diſcurreret: expletis Miſſarum ſolemnis, ipſo-*

JESU CHR. AN. 857.

ipſorum inviſenda corpora, quadam vegetatus audacia adii, ac propius quam cætera ſpectantium turba accedere non veritus ſum. Et teſtis eſt Redemptor meus, qui hoc commentarium diſcuſſurus eſt, quia non mentior, quod tanta decoris pulchritudine deciſa illa cadavera fulgebant, ut crederes, ſi a quoquam ſciſcitarentur, protinus locutura. Nonnulli etiam e turba Gentilium venientes ſumebant lapillos flaminis, qui cruore Martyrum erant aſperſi, & lymphis abluentes, projiciebant in pelago, ne Chriſtianis in emolumentum exiſterent Lipſanorum, nescientes quod nihil obeſſet, ab his partem adimere, quibus totam decreverat Dominus poſſeſſionem donare. Quomodo autem hoc eodem tempore barbaricus Mahumetanorum furor in ipſas Eccleſias, adjectaſque iis turres, quas campanilia dicimus, ſævierit his verbis narrat: *Per idem ergo tempus graviter in nos præſidialis graſſabatur inſania, itaut nonnullas apud Cordubam olim Patriciam, nunc autem florentiſſimam Arabici Regni urbem, baſilicarum turres everteret, Templorum arces dirueret, & excelsa pinnaculorum proſterneret, quæ ſignorum geſtamina erant ad conventum canonicum quotidie chriſticolis innuendum.* Hæc Eulogius, qui cum martyrum geſta deſcripſiſſet, martyreſque vindicaſſet, martyribus biennio poſt ſociari meruit; uti infra dicturi ſumus.

6. Ab Imperii adminiſtratione Theodoram matrem jam diu Michael Imp. ex ephebis vix egreſſus removerat; quam etiam hoc anno *Aula ejectam in monaſterium, cui Laſtria nomen, dimiſit*; ait Leo Grammaticus; cum ſupra adnotaverit; *Eam tot modis contriſtare contendiſſe, quot rationibus eam colere prius ſimulaverat: & ſorores præterea ſuas Theclem, Anaſtaſiam, & Annam ad Cariani ædes deductas, palatio ejecit; Pulcheriam velut matri dilectam in Laſtriorum monaſterium relegavit: Paulopoſt vero cunctas in unum collectas, in eodem Laſtriorum monaſterio*; ubi matrem relegaverat; *in monachas detondit.* His ſubdit Curopalata. *Poſtea vero non ſemel, ſed & iterum miſſis miniſtris, illarumque fiſco illata ſubſtantia, privatas ac velut e vulgo fœminas, non regio cultu vivere ipſas coegit.* Quæ nam inde in ipſum Michaelem tragœdiæ ſecutæ ſint, ſuo loco videbimus.

Theodora Auguſta ex aula ejicitur.

apud Theoph. pag. 461.

JE-

Jesu Chr. an. 858.

JESU CHRISTI an. 858. Nicolai I. Papæ an. I. Ludovici Imp. 4. Michaelis Imp. 17.

Benedicti Papæ obitus, & gesta. *Anast. pag. 404.*

1. Cum per *annos duos*, *menses sex*, *dies decem* Romanam Ecclesiam sanctissime administrasset Benedictus Papa Tertius, hoc anno die octava Aprilis vivere desiit; de cujus gestis, & liberalitate in ornandis urbis ecclesiis, cum plura adnotet Anastasius; hæc etiam addit. *Hic constituit, ut cum Episcopus vel presbyter, aut diaconus moritur, Pontifex una cum omnibus Episcopis, & Presbyteris, & Diaconibus, necnon & reliquis clericis ad ejus sepeliendum corpus, & commendandam Deo animam conveniret. Similiter etiam ipsi facerent, cum Pontifex ab hac luce migrasset. Quod non solum docuit, sed & fecit. Cujus justitiam sequens successor ejus in causa pietatis ejus, sicut & in cæteris, tamquam hæres devotissimus imitatus est.* Ita quidem ubi defunctus est Benedictus, (ut testatur Anastasius in Nicolao) Diaconorum humeris delatus est ad sepulturam; inter quos fuit ipse Nicolaus diaconus, qui & ei successit in Pontificatu. Ad postremum de eo: *Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrem, creans Presbyteros sex, diaconum unum, Episcopos per diversa loca sexaginta sex: sepultus vero est in Basilica B. Petri Apostoli.*

Nicolaus Pontifex eligitur, ejus gesta.

2. Post Benedicti Papæ obitum, cum per dies paucos Romana sedes vacasset, communibus Cleri, populique Romani votis, præsente ipso Ludovico Imperatore, Nicolaus Romanus Pontifex electus, & triduo post ordinatus fuit; *Eo autem tempore*, cum Benedictus obiit, *invictissimus Roma Lodovicus Cæsar discesserat, qui ejus cum transitum cognovisset, condolens, & concitus ad eam reversus est*; ait Anastasius. Hinc factum ut diebus viginti, ab obitu Benedicti, exactis, Nicolaus consecraretur, cum nequaquam in eam rem, aut Imperatoris consensus, aut ejusdem missorum adventus expectandus esset. Inter plura quæ de Nicolai Papæ laudibus narrat Anastasius, hæc præcipue adnotamus; *Nicolaus natione Romanus ex patre Theodoro regionario, sedit annos novem, menses duos, dies viginti. Hujus insignis beatissimi actus, omnibus a primordio pueritiæ suæ fulserunt, inlactisque moribus claruerunt. Tanta enim sacro-*

sacrorum comptus erat pulchritudine operum, ut nihil ludis, nihilque, ut pueri solent, delectaretur &c. Quem sacris, humanisque litteris excultum Sergius Papa in Patriarchio Lateranensi revocatum, Subdiaconum, eoque e vivis erepto, Leo Papa Diaconum ordinaverat, cui cum Benedictus succesſisset, ita Nicolaum Diaconum diligebat, ut *per nullum horæ momentum sine illo esse delectaretur. Quidquid ecclesiasticarum rerum utilitatibus congruere intuebatur, cum eo promulgans definitioni tradebat, prudentissimas sui contemplans arbitrii opes, sensusque clarescere virtutem, utriusque enim observantiæ, utiliora suo conamine faciebat &c.*

Jesu Chr. an. 858.

3. Cum itaque prudentiæ, ac miræ dexteritatis in rebus ecclesiæ administrandis non obscura indicia hactenus Nicolaus diaconus dediſſet: poſt Benedicti obitum miro cleri, populique Romani conſenſu Pontifex eligitur, & conſecratur, ut narrat Anaſtaſius; *& celeri gressu Principis Apostolorum Petri aulæ properaverunt, in qua confugiens latitabat, dicebat enim indignum se tanti regiminis gubernacula esse susceptorum. Impetum vero, qui aderant, facientes de eadem basilica abstrahentes, sacris adclamationibus in Patriarchium Lateranense introduxerunt, Apostolicoque solio posuerunt. Postmodum vero a nobilissimorum cœtibus, cunctoque etiam populo in Basilicam B. Petri Apostoli deductus, præsente Cæsare consecratus est, Apostolicaque sublimatus in sede fuctus est Pontifex, & Missarum solemnia supra sacratissimum corpus beatifice celebravit. Qui densis optimatum, populique agminibus cum hymnis, & canticis spiritualibus in Patriarchium iterum Lateranense perductus est. Coronatur denique, Urbs exultat, Clerus lætatur, Senatus, & populi plenitudo magnifice gratulabatur. Tertio igitur consecrationis ejus die cum Augusto convescens sapienti famine resplendebat, claritateque plenus epulabatur in Christo. Finitoque convivii apparatu consurgit, Cæsaremque specialem, & veluti charissimum deosculans filium, immenso circumdedit amore:* quibus gestis Ludovicus Imperator urbe egreſſus eſt, in loco, qui dicitur Quintus, ideſt quinto ab urbe lapide tentoria fixit.

Nicolaus Pontifex ordinatur.

Anast. pag. 406.

4. Cumque aliquandiu ad Quinti locum subſtitiſſet Ludovicus Imp. ad eum cum Proceribus & Optimatibus Romanis Nicolaus Papa tranſiit, ſubdit Anaſtaſius, his ver-

Ludovici Imp. in Roman. Pontificem obſequia.

JESU CHR. AN. 858. *Anast.* 406.

verbis, *quem cum vidisset, Augustus obvius in adventum ejus occurrit, frænumque Cæsareis suis manibus adprehendens pedestri more, quantum sagittæ jactus extenditur, traxit. Cum quo ingressus tentorio imperiali salubribus ad invicem fruebantur eloquiis. Mensisque epulis perornatis pariter cibum speciali sumpserunt alacritate. Cibis vero mensisque remotis plura serenissimus Cæsar beato præsuli contulit dona. Atque his gestit Ludovicus post mutua benevolentiæ signa, & ab Nicolao accepta revertitur, ut narrat Anastasius.* Nicolaus vero in urbem reversus Pontificatus sui initio urbis ecclesias varia supellectile exornavit; hoc unum hoc loco adnotare juvabit, mirabili Dei providentia tunc factum, ut difficillimis hisce temporibus, is Pontifex ordinaretur, qui doctrina, prudentia, & fortitudine catholicam fidem, & ecclesiasticam disciplinam in Oriente, & Occidente labefactatam, ne penitus deperiret, tueri posset: cujus insignia facta, & scripta, ob Lotharii cum Theotberga divortium, ob Photianum schisma, & Rhotadi Svessionensis Episcopi cum Hincmaro Remensi dissidia, ob Bulgarorum conversionem, ut alia prætereamus, suis annis narraturi sumus.

Photiani schismatis initia, & causæ.

5. Ac primo de Photiani schismatis initiis ejusdemque causis agendum. Nam hoc anno cum Ignatius CP. Patriarcha undecimum sedis annum explesset, atque duodecimum ageret, factione Bardæ Patricii, penes quem summa erat Imperii administratio e throno inique deponitur, tyranniceque in carcerem horrendum detruditur, atque Photius eunuchus ex laico indigne sufficitur, consecraturque die Natalis Domini, & per sæcularem potentiam retinetur. Inde initium sumpsit magna tragœdia, quæ haud uno vel altero actu finita est, sed ad multorum annorum curricula propagata, & sub pluribus Romanis Pontificibus ducta, cuncta gemitibus replevit, atque doloribus. Præcessisse autem concilium, quo ab iniquis & excommunicatis Episcopis ipse sanctus depositus est Ignatius, testatur Nicolaus Papa in prima epistola ab ipso scripta ad Imperatorem, quod & testificatione ejusdem Imperatoris Michaelis constat. Quin etiam ante concilium celebratum, multis adversariorum fatigatum angustiis atque pressuris, ipsum Ignatium sponte deseruisse thronum, & ecclesiam reliquisse, declarant primæ

mæ litteræ Nicolai Papæ ad Michaelem Imp. ſuo loco inferius recitandæ. Sed videamus quæ de his ſcripſere veteres Græcorum hiſtorici. Joannes enim Curopalates antiquus hiſtoricus rem geſtam ſic aggreditur. *Hic Ignatius ſanctiſſimus, Bardæ propter uxoris inſontis repudium, & cum cognata ſibi ſponſa conſuetudinem, Eccleſia interdixit; ſiquidem divinos Canones non curabat. Cui poſtquam multum ſupplicans Bardas ut eum ſibi placaret, veniam impetrare non potuit: omnino deſperata re, ad injuriam & ultionem animum adjicit, eumque ex Eccleſia expellendum curat.* Nicetas, qui res geſtas Ignatii, vitam ejus ſcribens, proſecutus eſt, tradit ſæpe ab Ignatio redargutum Bardam ob eamdem turpitudinem cum Cognata. Verum ille non declinans a ſcelere, ubi die anni hujus in eccleſiam ſe conferret Eucariſtiæ ſumendæ cauſa, rejecit eum Ignatius a communione Corporis ſacri; cujus reicauſa in eum Bardas inſaniit, furitque: in invidiam & odium præterea Ignatius ductus eſt, quod non paruiſſet Imperatori, cum ei præcepit, ut matrem Theodoram in monacham invitam tonderet: nam facinus indignum deteſtatus, illud perpetrare noluit. Acceſſit ad hæc præterea, quod Bardas accuſavit eumdem Ignatium, quod contra Imperatorem, Gebum quemdam ſeduxiſſet. Erat Gebus iſte ſtupidus homo, & mente non valde ſibi conſtans, qui paucis diebus ante Dyrrachio venerat, habitu quidem Eccleſiaſtico indutus. Hic cum ſe filium Theodoræ Imperatricis ex alio viro diceret, ei pleriique ex populo quaſi regnaturo inhærebant; tunc autem in inſula, Acuta, dicta, pro cautela tenebatur cuſtoditus. Hæc erant quæ in virum ſanctiſſimum objiciebantur, a Niceta recitata, qui mox ſubdit, his de cauſis ipſum relegatum fuiſſe in insulam, cui erat nomen Terebinthus, ubi poſt tres dies rogatus eſt ab epiſcopis ad hoc miſſis, ut oblato libello ſedi Patriarchali renunciaret, quod impetrare nullo modo potuerunt. Sed iidem iterum rem tentantes, ad hoc ipſum miſerunt Patricios, & magiſtratus cum Epiſcopis, ut libellum renunciationis ab ipſo acciperent, quod facere omnino recuſavit. Eadem fere de ſchismatis initio, & cauſis ceteri Græci hiſtorici narrant Nicetas, & Leo Grammaticus, cujus hæc ſunt verba. *Rumore per urbem ſparſo Bardam Cæſarem cum nuro propria corruptam tenere conſuetu-*

JESU CHR. AN. 858. *apud Theoph. pag. 463.*

JESU CHR. AN. 858.

dicem, eademque ad Patriarcham delata. Ignatius ut hoc ſcelere abſtineret, frequentius admonuit, ne plurimis offendiculum præberet, qui virtutis & omnis temperantiæ exemplo eſſe debuerat. Ille autem Patriarchæ morem non geſſit. Ad communionem igitur Bardam certo tempore accedentem, repulit Patriarcha, ceu qui canonibus & monitis non obtemperat. Hic iræ plaga percuſſus animum, monitorem velut ſceleratum, & morum corruptorem Eccleſia ejecit, infinitiſque vexationibus & tormentis crudelibus ſubjecit, adeo ut dignitate ſe abdicaret. Ignatio reſiſtente, loco ipſius, Photium Secretariorum Ducem virum ejus temporis eruditiſſimum Patriarcham ordinari curat, etſi Ignatius, repetitis etiam precibus, & diriſſime vexatus, ut Patriarchali throno ſponte renunciaret, conſtantiſſime recuſaſſet.

De Photii genere, & geſtis.

6. Antequam de illegitima Photii ordinatione, ſeu invaſione in Epiſcopum, vel Patriarcham CP. agamus, de ejusdem genere, & geſtis nonnulla ſunt præmittenda, quem nobilitate illuſtrem, divitiis pollentem, ingenio etiam præclarum, ac litteris, humanis præſertim, diſertiſſimum fuiſſe prodit Nicetas in Vita Ignatii, Protospatarium quoque, & a ſecretis Michaeli Imp. Humanæ autem gloriæ cum venator eſſet, ac Patriarchalis throni cupidiſſimus, ſtructis Ignatio Patriarchæ inſidiis, ut in præfatione ad quartum concilium CP. adnotat Anaſtaſius, Michaele Imp., impioque Barda aſſentionibus ſibi conciliatis, viam ſibi ad eam ſedem ſtravit; & ex laico repente Epiſcopus ordinatus eſt. *Prima die ex laico monachus*; ait Nicetus; *ſecunda efficitur Anagnoſtes, tertia Subdiaconus, quarta Diaconus, quinta Presbyter, ſexta denique Patriarcha, ſedem Patriarchalem conſcendens, alta voce populo pacem annunciavit, nihil pace dignum cogitans.*

Qua die, & a quibus ordinatus ſit Photius.

7. Qua die, vel a quibus ordinatus fuerit Photius, deinde narrat Nicetas; ab Gregorio ſcilicet, Syracuſano olim Epiſcopo depoſito, & excommunicato; cui cum Ignatius ordinationi ſuæ adeſſe prohibuiſſet, mortales cum eo ex tunc inimicitias conceperat; & *in eodem odio perſeverans, ſui ſimiles ſibi jungens, Petrum Sardarum Epiſcopum cognomento Miſerum, & Eulapium Apameæ, iis uſus eſt in Photii initiatione comminiſtris. Quod igitur undecim annis, quibus Ignatius ſedit, magno labore machinatus eſt, hoc*

hoc tempore eſt conatas explere, ipſo die Natalis Domini, quo Photius ab eo eſt conſecratus &c. Cumque juxta canonum ſtatuta, nonniſi depoſito Epiſcopo, alter in ejus locum ordinari poſſet, larvatam in Palatio ſynodum Epiſcopi aliquot, cum monachis quibuſdam Ignatio infenſis celebrarunt, cujus meminit auctor libelli ſynodici his verbis. *In palatio etiam ſynodo vili coacta, Photium, qui primus a ſecretis fuerat, ſubrogarunt.* Id tamen ab Photio, Epiſcoporum plurimos, qui ordinationi ejus conſenſerant, chirographo exegiſſe, memorat Nicetas, *Ut paternum Ignatio honorem tribueret, omniaque ex ejus voluntate gereret, nec ulla in re moleſtus eſſet.* Jesu Chr. an. 858.

8. At Photius, *vix poſt duos a creatione ſua menſes, id eſt anno ſequenti, juramento ſuo violato, primum Ignatii familiares conjecit in vincula, diriſque plagis & flagris multavit; deinde rurſus blanditus, muneraque, & honores pollicitus, Chirographa petiit, & omnibus modis ſtuduit adverſus Ignatium ex iis cauſam reperire: cumque nihil horum quæ ipſe cupiebat, inveniret, ſceleratо Bardæ, perque Bardam Michaeli leviſſimo ſuggerit, ut mittat, qui in Ignatium velut Imperio inſidiantem ſevere inquirerent. Ergo crudeles Præfecti, atroceſque ſatellites extemplo Terebinthum petunt, omniaque genera quæſtionum inſtituunt, famulos Ignatii tormentis omnibus excruciant. Poſtquam vero defecerunt ſcrutantes ſcrutinia, nec quicquam deprehenderant, quo jure in illum animadverterent, aperto ſcelere in illum graſſantur &c., Deinde vectibus geminis ferreis, latronum inſtar pedes ſtrinxerunt, anguſtoque concluſum ergaſtulo, duobus duntaxat pueris adminiſtris illi conceſſis, reliquerunt. Tota autem vis & vexatio eo pertinebat, ut Ignatius abdicationis libellum ſcriberet, ſponteque throno Patriarchatus cederet &c., ac tandem auguſto menſe appetente, in navigium conjectum Mitylinen deportant.* Epiſcopi quoque Sancto Ignatio addicti in libello, quem anno 869. Concilio Conſtantinopolitano legendum tradiderunt, crudelitatem Photii adverſus Ignatium pluribus exponunt: *Nonne dentes ejus* (nempe Ignatii) *radicitus evulſit* (ſcilicet Photius) *faciens eum in facie percuti? Nonne pedes ejus ferreis vinculis munivit*, & cetera a Baronio hoc anno recitata, ex Epiſcoporum libello, octavæ ſynodo oblato, actione Ignatius, ut Sedi CP. renunciaret, vexatur.

JESU CHR. AN. 858. secunda, quo vexationes, Photii jussu, in Ignatium peractæ recensentur.

Alii Episcopi Ignatii causa ab Photio vexati.

9. In alios etiam Episcopos cum Ignatio communione, & amicitia conjunctos, eadem crudelitate a Photio sœvitum fuisse eadem in synodo congregati Episcopi conquesti sunt. Si enim talibus summis Sacerdotibus, scilicet *Papæ Nicolao, ac studiosissimo Patriarchæ Ignatio, talia operatus est: nobis utique humilibus mentis munditia qualia fecerit, non ignoratis. Multi enim ex nobis cum infidelibus gentibus in Prætorio mulctati sunt, fameque & siti seu cæteris miseriis afflicti, ad secandum marmora pro lignis damnati sunt. Alii autem pro eo ut aut lignis ferirentur, spatha percutiebantur, his qui feriebant non ut Sacerdotes, neque ut homines carnem ferentes, sed ut inanimata corpora percutientibus. Illud vero, quos calcibus submittebant, & huic pœnæ subjectis viscera evellebant, ut leve tormentum habebant. Id præterea, quot monilibus ferreis afficiebat, & catenis vinciebat, fœnum post multos dies in escam præbens, humanitatem multam esse putabat. Quot autem in tenebris & umbra mortis, in fœtoribus mortiferis includebant, nec tegebant cum facerent, sed gloriantes, & cachinnantes magna voce, nescientibus cum feritate atque jactantia loquebantur ludentes: & rogati ut talibus misericordiam præberent, magis insaniebant & deterius causabantur. Alios etiam in extremitates orbis, in alienigenarum loca fecit. His atrocitatibus submissi nos, & in summum Sacerdotem nostrum, & viros, qui cum illo perseverabant, pejora his committi videntes, afflicti & fatigati sumus, tam in aliis fieri aspicientes, quam ipsi talia patientes. &c.* Hæc autem hoc anno cœpta, insequente sunt propagata; de quibus frequens infra occurret sermo. Nunc cetera hoc anno gesta prosequimur.

Caroli Regis subditi ab Ludovico opem implorant.

10. Atque imprimis de Francorum Regum dissidiis, Caroli scilicet Aquitaniæ Regis, & Ludovici Regis Germaniæ agendum, de quibus cum plura referant Francorum Annalistæ, hæc ex Fuldensi huc afferimus. *Mense Julio collectis & ordinatis exercitibus, legati ab Occidente*; ad Lodovicum Regem, *venerunt Edalbertus Abbas, & Otto Comes, postulantes eum, ut populo periclitanti & in angustia posito præsentia sua subveniret. Quod nisi celeriter fieret & ex*

& ex parte ejus ſpe liberationis privarentur, a Paganis cum periculo chriſtianitatis quærere deberent defenſionem, quam a legitimis & orthodoxis dominis invenire non poſſent. Tyrannidem enim Caroli ſe diutius ferre non poſſe, teſtati ſunt, &c. Ludovicus *precibus legatorum favens, votis populi præſentiam ejus deſiderantis, cum divino adjutorio ſe adfuturum promiſit. Mediante autem menſe Auguſto Vangioni collecto comitatu per Aliſatiam profectus, venit in Galliam ad Villam Regiam in regno Caroli, quæ vocatur Panticona, ubi occurrerunt ei fere omnes Primates partium illarum, exceptis eis, quos tunc Carolus ſecum in præſidio habuit, pugnans contra Normannos ſupra Ligerem fluvium, qui ut audivit Ludovicum eſſe intra terminos Regni ſui, dimiſſa obſidione cum exercitu occurrit in loco, qui vocatur Briacus, viſaque multitudine Orientalium, ſimul & eorum, qui e ſuis contra tyrannidem ejus conjuraverant, cum ſe virtute cerneret imparem, nec poſſe ſine grandi periculo ſuorum cum fratris copiis in acie congredi, depoſito tamen, & quaſi ad pugnandum milite ſe ordinato, ipſe quidem cum paucis latenter abſceſſit. Exercitus vero in loco certaminis derelictus, cognito ducis abſceſſu ad Ludovicum tranſivit. Ille vero ſedato impetu populi Karlum perſequi cupientis, ad diſponenda regni negotia, quaſi libera utens poteſtate, diligentiam, curamque convertit.*

JESU CHR. AN. 858.

11. Cumque Carolus ſuorum ſuſpectam haberet fidem, ante Ludovici adventum, cum in Carisiaco Palatio eſſet anno *Incarnationis dominicæ* 858. *Regni Caroli* 18. *indict.* 2. 12. *Kal. Aprilis*; ut ſibi fidem ſervarent, Epiſcopos, & Comites, qui illic cum eo erant, rogavit, & juramenti tunc præſtiti formulam ex Hincmari epiſtola, refert Balutius, qua ſe nihil adverſus eum umquam acturos, aut conſilia inituros fore ſpondebant; iiſque viciſſim Rex juravit, ſe omnium jura, honoremque ſervaturum. Hincmarus vero Archiepiſcopus, Imo Epiſcopus, Irminfridus Epiſcopus, Hincmarus Epiſcopus, nepos Archiepiſcopi, Hilduinus Abbas, ſubſcripſerunt, deinde Comites duodecim, ut ibidem videre eſt.

Epiſcoporum, & Comitum juramentum Carolo Regi præſtitum, & Regis Epiſc. & Comitibus. *Balut. capit. Reg. Franc. to. 2. p. 100.*

12. Interea cum Lodovicus Germaniæ Rex, in Caroli ditionem cum exercitu tranſiſſet; ac in Attiniaco Palatio menſe Novembri hujus anni eſſet; ad eum Episcopi Remen-

Epiſcoporum litteræ hortatoriæ ad Ludovicum Regem.

JESU CHR. AN. 858. *Balut. ut sup. pag. 102.*

Remenſis & Rothomagenſis per Venilonem, & Gercanraum ex Cariſiaco Palatio ubi convenerant, litteras dederunt, quibus ſe ad eum Remis ſicuti ab Ludovico rogati fuerant, ſeptimo Kal. Decembris convenire non poſſe ajebant; eaque occaſione accepta commonitoriam epiſtolam ad eum miſerunt, ut qua ratione Eccleſiæ, & Imperii turbatas res componere poſſet, Sacerdotali libertate admonuerunt, quam ut pote ſua ætate ineditam annalibus ſuis Baronius integram inſeruit, nunc vero cum ubique proſtet, ejuſdem ſummam exhibere ſat erit. Quare *Epiſcopi Remorum diœceſeos, atque Rothomagenſis, qui adeſſe potuimus, domno Lodovico Regi glorioſo*; ac de acceptis ab eo epiſtolis hæc adnotant. *Litteras dominationis veſtræ quique noſtrum habuimus, quibus inſiſtis, ut vobis octavo Kalend. Decemb. Rhemis occurreremus, quatenus ibi nobiſcum, & cum cæteris fidelibus veſtris de reſtauratione ſanctæ Eccleſiæ, de ſtatu, & ſalute populi chriſtiani tractaretis. Sed nos ad placitum illud occurrere non potuimus, & propter intommoditatem, & brevitatem temporis, & propter inconvenientiam loci, & (quod eſt lugubrius) propter confuſionem tumultus exorti*; *&c.* nec ſe in ea temporis anguſtia ad Archiepiſcopos ſuos litteras dare, vel recipere potuiſſe addunt, ſine quorum conſenſu ad ſynodum Epiſcopi convenire non poterant. Quoad tractatum vero *de reſtauratione ſanctæ eccleſiæ, & ſtatu, & ſalute populi chriſtiani, quod nunc vos nobiſcum habere velle dicitis, juſtius, & rationabilibus illud habere potuiſſet, ſi noſtris, quin potius divinis conſiliis & obſervationibus, atque obteſtationibus ſuperno reſpectu obtemperare voluiſſetis, quia non noſtra ſcripſimus, mandavimus, diximus, ſed quæ dictante charitate, quæ Deus eſt, in litteris ſacris invenimus, & quæ naturæ inſita recognovimus, &c.* & ſane poſt aliqua, jam multa ab iidem in eamdem rem ſuggeſta fuiſſe in memoriam revocant; *Primo quidem quod per Hildegarium venerabilem Epiſcopum ſcriptis, & dictis: Secundo per Æneam Pariſiorum Epiſcopum litteris, & verbis, deinde per Hincmarum Rhemenſem, & Venilonem Rothomagenſem Archiepiſcopum, idem per eoſdem cum aliis, quos ipſi vocaſtis, ea quæ ſaluti fuerint congrua, ſufficienter audiatis, quando, ſicut & ante petivimus, ut frater veſter, & omnes fideles illius*

ante

ante veſtram, fideliumque veſtrorum præſentiam in rationes loco & tempore congruo veniſſemus, & quæ mala geſta forent, veſtro conſilio & auxilio cum Dei adjutorio fierent emendata. Quare Ludovicum longa, ſeriaque exhortatione admonent, ut fraternæ charitatis, & pactionum initarum memor, male erepta relinquat & corrigat, eccleſias reſtauret, earumque privilegia intemerata cuſtodiat, monaſteriis ablata electionis jura reſtituat, quod Carolus ejus frater divina inſpiratione, ſacerdotumque, & ſedis apoſtolicæ admonitu facere jam cœperat; rectores ac rectrices monaſteriorum ſecundum priſtinum ordinem & habitum ſuum vivere curet; hoſpitalia peregrinorum, præcipue Scotorum, conſervare in ſuo ſtatu ſtudeat, aliaque multa in hunc modum. His commotus Ludovicus, Epiſcopalibus monitis parere fategit, eique anno ſequenti indulgentia in ſynodo Mettenſi ab Epiſcopis tributa eſt, uti ibidem dicturi ſumus. JESU CHR. AN. 858.

13. Commonitoriæ epiſtolæ ad Ludovicum ex Cariſiacenſi conventu datæ in qua fabula de Caroli Martelli damnatione inſerta legitur, meminit Hincmarus in epiſtola ad Carolum Regem, *Nolite negligere illa capitula, ait, quæ ſynodus de Cariſiaco per Venilonem, & Erchenraum tranſmiſit ad hunc Attiniacum, præterito anno Hludovico fratri veſtro, & me tranſmittente Hincmarus filius meus vobis dedit, quando vobiſcum in Burgundia fuit. Sed relegite illa diligenter, quia, mihi credite, plus pro vobis, quam pro illa facta fuerunt. Capitula ſeptem* hæc etiam addunt Epiſcopi: *Et ſi Eccleſiam Dei ſicut nobis ſcripſiſtis quæritis reſtaurare, debita Epiſcopis, & ſibi commiſſis Eccleſiis privilegia intemerata, ſicut divinitus conſtituta ſunt, cuſtodite. Præcepta & immunitates & honores eorum, ſicut avus, & pater veſter conſervaverunt, conſervare curate.* Et pluribus interpoſitis pergunt. *Quia vero Carolus Princeps, Pippini Regis pater, qui primus inter omnes Francorum Reges ac Principes res Eccleſiarum ab eis ſeparavit atque diviſit, pro hoc ſolo maxime eſt æternaliter perditus. Nam S. Eucherius Aurelianenſium Epiſcopus, qui in monaſterio S. Trudonis requieſcit, in oratione poſitus ad alterum eſt ſæculum raptus, & inter cætera, quæ Domino ſibi oſtendente confexit, vidit illum in inferno inferiori torqueri; &c.* his alia ad adſtruendam

Hincmari epiſt. ad Carolum. *Hincm. ep. 5. to. 2. p. 142.*

JESU CHR. AN. 858. Normannorum in Gallias irruptiones.

endam dictis fidem addunt, quæ nos jam supra suo loco inter fabulas relegavimus.

14. Interea dum civili bello, fraternaque inter Carolum, & Ludovicum discordia exarderent Galliæ, dumque de reintegranda inter eos pace, ageretur, solitas Normanni in Gallias irruptiones egerunt; de gestis hoc anno, hæc narrat Bertinianus Annalista. *Berno dux partis Pyratarum*, ideſt Normannorum, *Sequanæ insistentium ad Carlum Regem in Vermeria Palatio venit, ejusque se manibus dedens fidelitatem statim jurat. Pars altera eorumdem Piratarum Ludaicum Abbatem Monasterii S. Dionysii, cum fratre ipsius Guazleno capiunt, eisque redemptionis suæ gravissimam multctam imponunt, ob quam multi thesaurorum Ecclesiarum Dei ex regno karli ipso jubente exhausti sunt. Sed his minime sufficientibus ab eodem Rege, & omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ceterisque viris potentibus multa ad suppletionem prædictæ summæ certatim conlata sunt.* Post pauca subjungit: *Karlus Rex insulam Sequanæ vocabulo Oscellum* (vulgo a similitudine Roſtrum aſini, Gallice *Liſle de Bedaſne* alias *Oiſſel* ut notat Hadrian. Valeſius in Not. Galliarum) *Danos in ea commorantes obsessurus mense Julio aggreditur. Ubi ad eum Carolus puer filius ejus ab Aquitania pervenit. Cum quo Pippinum jam laicum suscipit, & ei Comitatus ac monasteria in Aquitania tribuit. Lotharius etiam Rex ad eamdem Insulam mense Augusto properat, avunculo* (seu patruo) *adjutorium conlaturus. Ubi usque IX. Kal. Octobr. absque profectu obsidionis demorantes tandem ad propria remeant.*

Ethelvulphi Regis Anglorum obitus; ejus liberalitas in Rom. eccleſiam.

15. Hoc etiam anno, ut idem Annaliſta adnotat. *Edilvulp.*, ſeu Ethelvulphus, *Rex occidentalium Saxonum moritur, relictam ejus Judith Reginam Adalboldus filius ejus uxorem ducit.* Eademque alii Anglorum annales. Ex quibus Aſſerus hujus ætatis ſcriptor, ad hunc annum hæc addit. *Vixit ergo Ethelvulphus duobus annis postquam a Roma pervenit*, in Angliam, *Æthelbaldus filius ejus duobus & dimidio annis post patrem Regni gubernacula rexit.* De Ethelvulpho Rege narrat Matthæus Veſtmonſtarienſis, inter cetera legata, juſiſſe. *Singulis annis, Romam tercentas denariorum mancusas deportari, qui taliter dividerentur ibidem, centum mancusas scilicet in honorem B. Petri Apostolorum Prin-*

Principis, ſpecialiter ad emendum oleum, quo implerentur omnia luminaria eccleſiæ Apoſtolorum in veſperis Paſchæ, & tantumdem in galli cantu. Et centum ibidem mancuſas in honorem S. Pauli iiſdem de cauſis. Centum præterea mancuſas univerſali Papæ præcepit exhiberi ad ſuas eleemoſinas ampliandas.

JESU CHR. AN. 858.

16. De illicitis autem cum Juditha noverca Ethelbaldi nuptiis, hæc etiam Veſtmonſtarienſis narrat. *Defuncto autem illo*, (deſt Ethelvulpho patre) *idibus Januarii, & apud Vintoniam ſepulto, Ethelbaldus filius ejus, contra Dei interdictum, & chriſtianorum dignitatem, nec non & contra omnium Paganorum conſuetudinem, Thorum patris ſui aſcendens, Juditham Caroli Francorum Regis filiam in matrimonium duxit, effræniſque duobus ac dimidio annis, Occidentalium Saxonum poſt patrem Regni gubernacula rexit.* Is porro anno 860. vivere deſiit, ac Regnum Etherberto fratri reliquit, qui *annis quinque Regno pacifice gubernato, univerſalem viam adiit*, ideſt obiit, ait Aſſerus.

Ethelbaldi cum Juditha incæſtæ nuptiæ. *Vilkins concil Britann. tom. 1. pag. 186.*

17. Cum Imperii adminiſtrationem Bardas Curopalates a Michaele Imp. creatus ſuſcepiſſet, expeditione in Saracenos hoc anno ſuſcepta, Samoſatam, munitam prope Euphratem urbem obſedit, quo cum eſſet, *Tertia obſidionis die*, ait Porphyrogeneta, *quæ prima dierum, ipſaque dominica fuit, ipſa hora, quæ myſterii impartiendi erat*, tanto cum impetu Agareni Romanorum caſtra aggreſſi ſunt, ut omnes fuga ſalutem quæſierint, ipſeque Imperator Michael *ægre tandem ſervatus eſt, ſuis omnibus, caſtrorumque impedimentis in hoſtium poteſtate relictis*. Conſentit Geneſius, qui deſinente hoc ſeculo ſub Conſtantino Paleologo res CPoli geſtas narravit, prodiitque in collectione hiſtoriæ Bizantinæ Venetiis editæ tomo 23. quo etiam auctore ſcimus, biennio poſt, cum bellum inſtauratum eſſet, Petronace, & Barda fratribus, ac Romani exercitus ducibus, inſignem de Saracenis victoriam Romanos tuliſſe, ac ex accepta prope Samoſatam clade infamiam diluiſſe. Tum ſubdit idem Geneſius pag. 46. *Etium Bardas poſtquam cum fratre hoſtes viciſſet, tunc Cæſar acclamatus fuit in diebus Paſchatis indictione decima*, ideſt anno 862. ait Manſius Pagium corrigens, qui hanc Romanorum victoriam cum anno 860. alligavit nota 8. 9.

Saraceni Romanos prope Samoſatam vincunt.

Manſi not. ad an. 858.

JESU CHR. AN. 859. Joannis monachi precibus Petronax Saracenos vincit.

18. Quidquid de anno victoriæ sit, id, teste Porphyrogeneta, certum est, precibus magis, quam armis Saracenos fugatos, cœsosque fuisse; nam cum Michael Imp. Petronacem Bardæ fratrem ex Thracia adversus Saracenos proficisci jussisset, is vero in monte, prope Ephesum incertus quid ageret, esset. *Eo illic morante, rumor quidam præcurrens Joannem illum monachum, famaque celeberrimum, proceræ virum staturæ, nudis semper pedibus incedentem, & in Latro domicilium habentem ultro venire annunciat. Virum solitarium, nec unquam cella exeuntem, illa mirabatur ætas. Audiens itaque de illo Patricius, haud procul eum abesse asello invectum, festinus illi occurrit, ac pedes ejus complectitur. Ad quem statim Joannes*, Vade, *inquit*, contra Saracenos, Imperialibus parens litteris: *Vade, Deum enim liberatorem, tibique præeuntem habebis; si modo omnis alterius amuleti loco, charissimum illi Joannem in omnium scutis depictum palam gestaveris: adjecitque hanc unam, nec aliam esse causam, cur hoc iter susceperit. Petronax* Sancti viri precibus armatus ad *Lalacaonem* fluvium de Amere Saracenorum Duce celeberrimam victoriam retulit; is enim desperata salute, in medios enses primus se hostibus objecit, ubi tum ipse tristi fato cadit, tum suos omnes, ne uno quidem cladi superstite perdit, ejusque filius fugiens Petronæ traditur. *Sic ergo Petronas erectis de Amere trophæis, magna deinceps veneratione ac cultu Monachum prosequebatur, alium eum divinum vatem vocans.*

JESU CHRISTI AN. 859. NICOLAI PAPÆ AN. 2. LUDOVICI IMP. 5. MICHAELIS IMP. 18.

Ob Ignatii depositionem divisi Episcopi duo concilia celebrant.

1. Cum Photius CPolitanam sedem nefarie, ac tyrannice, ejecto in exilium Ignatio legitimo, & sanctissimo Patriarcha, invasisset, ut anno proximo diximus, cumque sedi suæ etsi sæpe rogatus, vexationibusque arctatus, sponte renunciare Ignatius recusasset, ac de illata in sanctum virum injuria plures tum ex Episcopis, cum ex inferioris Sacerdotii, & ordinis clerici reclamantes, suæ dignitati Ignatium restituendum esse dicerent, atque ob eam causam in duas quodammodo partes Orientalis orbis divisus esset; Episcopi qui Ignatio favebant, ne Bardæ patricio & Curopalatæ

tæ aperte reſiſtere viderentur, aut ſchiſmati occaſionem præberent, Photium quidem uti Ignatio in Patriarchali throno ſocium receperunt, ita tamen, ut ſicuti ipſe chirographo ſuo promiſerat, eidem Ignatio honorem, obſequiumque præſtaret. At cum pactis conventis non ſtetiſſet Photius, ac Ignatium habito CPoli in æde Apoſtolorum concilio depoſuiſſet, tunc adverſæ partis Epiſcopi, alterum CPoli in æde Irenes concilium celebrarunt, quo Præſide Metrophane Smirnenſium in Jonia Metropolitano, Photium anathemate percuſſum depoſuerunt, ut idem Metrophanes in epiſtola ad Manuelem Patricium data pluribus refert, qui etiam de perſecutione in eos, Photii impulſu, & Bardæ opera excitata, hæc ſubdit. *Quo etiam tempore nos ejus*, ideſt Photii, *iniquitatem arguimus, & hac de cauſa in illo conciliabulo iniquiſſimam depoſitionem nos itidem paſſi ſumus, & in fœtidiſſimum carcerem apud Numeros* (erant longæ porticus *Magni Palatii* in quibus excubabant Prætoriani milites ad Imperatoris cuſtodiam delecti, a numeris militaribus *Numeri* appellatæ, ut videre eſt apud Ducangium lib. 2. Conſtantinop. Chriſt. cap. 4. num. 32.) *multis diebus fuimus conjecti atque detruſi. Nobiſcum etiam fuit ipſe Patriarcha Ignatius ferreis vinculis devinctus & cuſtoditus, & alii præterea multi in Prætorii carcere, qui deinde illinc educti, in exilium miſſi ſunt. Patriarcha quidem Mitylenem, reliqui vero alii alio. Photius interea ſeparatim ad beatiſſimum Papam Nicolaum quatuor Metropolitas Romam miſit, & per eos illi omnia ſignificavit, quæ ad Ignatii damnationem faciebant.*

Jesu Chr. an. 859.

concil. tom. 8.

Episcopi Photium damnant, perſecutionem ea de causa ſuſtinent.

2. Cumque in Irenes ſacra æde adverſus Photium Metrophanes cum ſuis concilium celebraret, alterum, auctore Barda, Photius in æde Apoſtolorum habuit, in quo, ut in vita Ignatii narrat Nicetas. *Congregata ſua iniquorum caterva in ſacro templo glorioſorum Apoſtolorum, privationem promulgat adverſus Ignatium abſentem, nec non illum anathemate damnat: ipſe ſcilicet accuſator factus & judex, & quoſcumque videbat huic animo ſuo, & iniquæ huic actioni adhærentes, & rebus quæ fiebant ſubſcribentes, inter præcipuos amicos & charos comminiſtros habebat: qui vero huic judicio iniquo habito ſe objicientes, hæc approbare nolebant, hos prætorio, & carceribus variis modis puniendos tradebat.*

Photius in concil. Ignatium condemnat.

JESU CHR. AN. 859. *Cum igitur multi murmurarent, & hæc injuſta acta Photii reprehenderent, quinimmo a propriis operibus, nec non a ſuamet conſcientia redarguerentur, conſilium iniit Photius, pravum magis quam ſapiens*: ut ſcilicet legationem ad Nicolaum Pontificem mitteret, qua res a ſe geſtas ab eo confirmari petebat, nam ſubdit poſt pauca.

Photius legationem ad Nicolaum Pontificem mittit.

3. *Iniit itaque conſilium Photius Legatos mittendi ad antiquam Romam, & a Nicolao Papa legatos petere, occaſione videlicet, ut Eccleſiam corrigeret, nec non ut illos, qui hæreſim Iconomachorum tuerentur, a Chriſtiano nomine omnino reſcinderet*; *revera autem id curabat, ut Romanorum manu & auctoritate firmiorem redderet Ignatii depoſitionem. Mittit igitur Theophilum Epiſcopum Amorii, & Samuelem Epiſcopum Chonorum ſub Laodicea exiſtentem, quem deinde Archiepiſcopali honore decoravit, & alios duos. Per hos etiam falſa ſcribere ad ſummum Pontificem non veretur. Scribit enim Ignatium propter ſenium, & infirmitatem, & corporis imbecillitatem Eccleſiæ renuntiaſſe præfecturam, & ab illa receſſiſſe, & in quamdam inſulam profectum, in monaſterio manere, cum omni honore & cultu & obſequio, tum ab Imperatoribus, tum etiam ab univerſa civitate habitum*. Hucuſque Nicetas rerum inſpector de conciliabulo, & legatione Photii ad Nicolaum Pontificem. Porro Photius etiam ſuaſit Imperatori, ut & ipſe eadem ex cauſa ad eumdem Papam legationem mitteret: ut omnia facilius impetraret. Quod & Imperator fecit, ut ipſe Nicolaus teſtatur in epiſt. ad univerſos fideles ſanctæ Eccleſiæ. Quid autem tum Photius, cum Imperator miſſa legatione ab Nicolao Pontifice petierint, & res geſtæ indicant, & Nicolaus in epiſtola ad omnes Patriarchas, & Epiſcopos data teſtatur, qua nonnullis de exorto ſchiſmate ob injuſtam Ignatii depoſitionem, & Photii inaugurationem prænotatis, ſubdit: *Tunc inito conſilio, Imp. Michael, qui & ipſe Bardæ Patricii verſutiis ſuaſus, Photii parti favebat, ad Apoſtolatum noſtrum legatis cum epiſtolis deſtinatis, accuſationes quaſdam adverſus Ignatium deferentibus, petiit a ſede Apoſtolica ut Miſſos daremus, qui ſcandala ipſa ſedarent, & ſchiſmata diſiparent*. Hæc ibi de legatione a Photio Romam miſſa, qua Romanæ eccleſiæ dignitas, & Primatus auctoritatis & juriſdictionis mirifice commendatur, ac confirmatur, dum hoepiſt. 1.

mi-

minum ſuperbiſſimus Photius, primæ Orientalis eccleſiæ Patriarcha, ac poſt Romanum Pontificem ſedis dignitate ſecundus, geſtorum ſuorum confirmationem ab Nicolao petiit, ac ut ad componendas eccleſiæ ſuæ, ob exortum ſchiſma, turbas, legatos mitteret, hortatus eſt, ſpeciemque pietatis referens, ut etiam pullulantem Iconomachorum errorem, auctoritate ſua comprimeret, ſuadet, ut his verbis narrat Anaſtaſius. *Porro fatus Imperator Græcorum inventa pro imaginum depoſitoribus occaſione ſacrarum, Miſſos Apoſtolicæ ſedis per ſuprafatos ſuos legatos CPolim dirigi poſtulavit, intentans, ſcilicet, cauſam Ignatii Patriarchæ, & Photii CP. eccleſiæ pervaſoris, cupiens hinc eumdem ſanctum virum Ignatium judicio ſedis Apoſtolicæ callide per invidiam, ut poſtmodum potuit condemnare, Photiumque neophytum ipſi eccleſiæ ſubrogare.* JESU CHR. AN. 859. *Anaſt. tom. 1. pag. 409.*

4. Quænam autem fuerint vel munera a Michaele Imp. miſſa, & miſſorum nomina, & dignitates, ex eodem Anaſtaſio ſcimus, dum ait: *Hujus*, ideſt Nicolai Papæ, *temporibus Michael filius Theophili Imperatoris CPolitanæ urbis Imperator ob amorem Apoſtolorum miſit ad B. Petrum Apoſtolum dona per Epiſcopos quorum hæc ſunt nomina, Methodius Metropolitanus & Samuel Epiſcopi & alii duo, qui depoſiti fuerant ab honore Epiſcopatus, Zacharias, & Theophilus, & alius Imperialis miniſter laicus, nomine Arſa Protoſpatharius: miſit ſcilicet patenam ex auro puriſſimo cum diverſis lapidibus pretioſis, albis, praſinis, & hyacinthinis.* Calicem inſuper ex auro aliaque pretioſa dona, eaque occaſione ut Ignatii condemnationem Apoſtolica confirmaret auctoritate, petiit. Ejuſdemque legationis meminit Nicolaus Papa in epiſtola data ad Orientales Epiſcopos, qui CPolitano Patriarchæ ſubjecti erant, & ad Clerum eccleſiæ CPolitanæ his verbis. *Dum quod hinc a nobis fieri deberet, vel qualiter tanti rumoris certitudinem noſſe poſſemus, inceſſanter & anxie cogitaremus, ecce repente cum epiſtola regia quidam Epiſcoporum, quorum unus erat Gangrenſium Metropolita cum Arſa viro glorioſo Spathario, Auguſtalem ferentes legationem ad Sedem Apoſtolicam pervenerunt, accuſationem in ſcriptis adverſus jam fatum conſacerdotem noſtrum Ignatium, & in verbis excuſationes pro Photio deferentes, & ut a Sede Apoſtolica Miſſos daremus &c.* Michaelis Imp. legatio & munera Romam miſſa. *Labb. Nicolai epiſt. 4.*

Quatuor Epiſcopos Romam

JESU CHR. AN. 859.

mam ad Nicolaum una cum Arſa miſſos eſſe, habet libellus Epiſcoporum in Actione ſecunda octavæ Synodi, quorum Epiſcopatuum nomina recitantur ab Anaſtaſio Bibliothecario in notis ad eamdem Synodum appoſitis. Scilicet: Methodius Metropol. Gangrenſium, Samuel Chomarum Epiſcopus, Theophilus Zacynthi, & Zacharias Tauromeniæ, qui omnes Legati Epiſcopi, Photii litteras detulerunt ad Nicolaum, qui eos audivit in baſilica S. Mariæ, ad Præſepe nuncupata, non tamen ad communicationem cum reliquis Epiſc. admiſit, licet ad audientiam recepiſſet eos per ſatisfactionem libelli & juramenti. Hæc habent Acta Octavæ Synodi teſtificatione Marini Apoſtol. Sedis diaconi in Actione quarta.

Photii epiſtola ad Nicolaum Papam.

5. Eaque occaſione per legatos ſuos duas ad Nicolaum Papam litteras Photius dedit, quarum altera, ut ſupra ex Niceta audivimus, Nicolaum rogabat, ut pro tollendo ſchismate, componendisque eccleſiæ CP. rebus missos mitteret, altera vero, Nicolaum ordinationis ſuæ certiorem reddens, ac se invitum, reluctantemque ordinatum fuiſſe addebat, ac fidei ſuæ cnnfeſſionem, catholico Epiſcopo dignam inſeruit, quas dolo plenas, mendaciisque refertas fuiſſe Baronius adnotat; & ſane eo verborum cortice, humilitatisque ſpecie referta eſt, ut Baſilio, Auguſtino, vel Ambroſio digna videatur: poſt plurima, quibus Epiſcopale munus exponit, vixque ab incorporeis, ut ait, Cherubin rite ſubeundum, ſeque eo indignum fuiſſe teſtatur, ac ſe invitum, cum ſponte CPolitanæ ſedi Ignatius renunciaſſet, ordinatum fuiſſe narrat his verbis. *Nuper itaque cum is*, ideſt Ignatius *cui ſponte nos ſacerdotio fungi obtigerat, eo honore abiiſſet: neſcio quomodo impulſi magna me vi aggrediuntur, & qui cenſebantur in Clero, & Epiſcoporum Metropolitanorum conventus, & ante hos, cumque iis, pietate præſtans, Chriſtumque diligens Imperator, in omnes quidem benignus & æquus & humanus (quid enim? verum dicendum non eſt?) nec quemquam eorum qui ante ipſum imperarunt æquitate parem habens, mihi vero tum inhumanus quidem viſus ac violentus, admodumque formidandus. Is enim una cum commemorato ſacerdotum cœtu nihil remittebat de vi & impreſſione mihi facienda, ſed quamobrem me dimiſſurus non eſſet, excuſatione utebatur consentientis ſacer-*

Photius mentitur, & Imp. adulatur.

sacerdotum voluntatis & studii, seque etiam si vellet, non posse postulatum meum perficere. Ad sacerdotes autem ac cæterum Clerum (magnus enim numerus convenerat) ne obsecrationis quidem meæ verba clare perveniebant: si quibus vero ea incidebant, non recipiebant; cum hoc unum & meditati essent, & dicere instituissent, me omnino vel nolentem hoc præfecturæ onus suscipere oportere: postquam vero omnes mihi viæ precum verbis faciendarum obstructæ sunt, profiliebant lacrymæ ac desperationis caligo cum omnia interiora confusione implesset, & in ipsos usque oculos irrupisset, in rivum mutabatur. Nam cogitatio (desperata semel salute verbis consequenda) naturam ipsam ad supplicationem & lacrymas excitabat, his sperans auxilium & opem nancisci se posse, quamvis voluntate ac proposito suo decideret. Nec enim sic remiserunt se, qui vim faciebant, quoad contra voluntatem meam, illorum vero ex sententia res perfecta est. Sic in mediis de cætero tumultibus, iis judiciis, quæ scit, qui novit omnia, toleranter dego. Sed satis quærens tempestivum est dicere proverbium. Quoniam vero omnium optima est fidei communio, maximaque omnium causa veræ dilectionis, ut id cum vestra sanctitate purum & insolubile vinculum faciamus, censuimus nostram, vestramque fidem breviter tamquam in columna scribendam. Inde orationes vestras fervidius promptiusque attrahentes, nostrumque in vos affectum explicantes. His ut diximus integram suæ fidei confessionem subdidit.

JESU CHR. AN. 859.

6. Quid accepta legatione Nicolaus egerit, aut ad Photium, & Imperatorem rescripserit, dicemus anno sequenti: Nunc autem ex Anastasio hæc tantum addimus: *Tunc summus Pontifex Imperatori ad hoc pessimæ cogitationis ignarus, duos Episcopos illuc Rodualdum scilicet, & Zachariam direxit, præcipiens, ut quidquid de sacris imaginibus quæstio afferret synodice definiret*, utpote de quæstione jam ab ecclesia definita: *& ipsius Ignatii Patriarchæ, Photiique neophyti causam solemniter inquirerent tantum, & sibi renunciarent &c.* quæ inde secuta sunt, cum auro corrupti S. Pontificis legati, consensum suum in injustam Ignatii abdicationem, ac Photii ordinationem præbuerunt, anno sequenti hæc acciderunt, quo dicenda reservamus.

Nicolaus legatos suos CPolim mittit, ut inquirerent, ac referrent. *Anast. pag. 409.*

Labb. Nicolai epist. 4.

7. De

JESU CHR. AN. 859. De gestis hoc anno inter Francorum Reges.

7. De gestis hoc anno 859. inter Francorum Reges hæc narrat Bertinianus Annalista. *Carlus* (Calvus nempe) *Rex recuperatis viribus fratrem suum Ludovicum nec opinantem aggreditur, & de Regni sui finibus pellit, Lotharius Rex ad Carlum patruum suum festinat, & die Dominico initii quadragesimæ in Arca Palatio publice sacramentis vicissim per se ipsos datis se se iterum confirmant*; ideſt in loco Arcæ dicto, (Gallice *Arches*) paulo post *Carlus Rex per diversa loca conventus Episcoporum agit, sed quarto a Tutlo Leucorum milliario in villa Saponaria*, locus ab Tullensi urbe leuca circiter distante, ubi hodie ecclesia extat teste Mabillonio lib. 4. de re diplomatica pag. 322. ibique cum Lothario, & Carolo nepotibus suis Regibus Synodo Episcoporum assistens, libellum accusationis adversus Guenilonem Senonum Metropolitanum Episcopum porrexit. *Quæ tamen actio propter absentiam ejusdem Guenilonis Episcopi dilata est. Inde ad colloquium sui Ludovici Regis in Insula Rheni inter Autumnacum & Confluentes properat. Cujus colloquii effectus differtur usque ad 8. Kal. Novembris apud Basiliam Civitatem. Quo Ludovico adveniente Karlus propter Lotharii absentiam ab itinere cæpto revertitur. Aquitani ad Karlum puerum* (Caroli Calvi filium) *omnes convertuntur. Pippinus Rotberto Comiti & Britonibus sociatur.* Paucis interpositis: *Lotharius fratri suo Ludovico Italorum Regi quandam regni sui portionem attribuit, ea videlicet quæ ultra Juram montem habebat*, (ideſt Genuam, seu Genevam a Scriptoribus modo Jenuam, modo Januam, alias Genuam, alias Gennavam, vel Jenebam appellatam) *Lausonam, & Sedunum civitates, cum Episcopatibus, Monasteriis, & Comitatibus, præter Hospitale, quod est in monte Jovis, & Pipincensem Comitatum. Guanilo interea Episcopus Senonum absque audientia Episcoporum Carolo Regi reconciliatur &c.*

Conventus Basileæ indicitur.

8. His subdit Annalista Fuldensis conventum ad urbem Basileæ condictum fuisse, *Interea*, Ludovicus Germaniæ Rex, *cum suis habita locutione Thiothocem Fuldensis cœnobii Abbatem ad Ludovicum Regem Italiæ nepotem suum, & ad Nicolaum Apostolicum apologetica intentione Romam misit*; ut quæ hactenus male gesserat, & præcipue eo quod Caroli Regnum anno proximo ingressus. civile bellum excitaverat:

rat: *responsa eorum, si esset possibile ad dictum regale placitum perlaturum, a quibus honorifice susceptus, cum de gestis præteriti anni Regem per omnia rationabiliter excusavit infamia, ideſt excusando liberasset Apostolica fultus epistola*, non Episcopus, ut ex Lambeciano Codice legendum esse ait Pagius nota tertia, *rediens, juxta lacum Brigantium ad Regem* (Carolum) *venit, de loco prædicto placito jam tum reversum, quia ad dictum diem, vel locum placiti neuter sibi Regum occurrerat; Qui cum de legatione sua Regi per omnia satisfecisset, accepta licentia ad proprium rediit monasterium*, Thioto scilicet Fuldensis Abbas. Hæc summatim de rebus gestis hoc anno inter Francorum Reges supracitati Annalistæ. JESU CHR. AN. 859.

9. Nunc de causa Venilonis Senonensis Episcopi, in concilio Tullensi agitata, & de Ludovici Germaniæ Regis reconciliatione cum nepotibus suis Carolo Rege, & Lothario, in eum ob invasionem Regni Caroli anno proximo peractam exacerbatis, est agendum.

10. Cum etenim Remensis, & Rothomagensis provinciæ Episcopi anno proximo ex Carisiaco Palatio commonitoriam ad Ludovicum Germaniæ Regem epistolam dedissent, qua eum hortabantur, ut quamplurima nefaria hactenus, suo consensu, aut jussu gesta emendaret, eaque exhortatione commotus, emendaturum se cuncta promisisset si ad se venientes, quæ pacis, & sui muneris essent, suggessissent; iidem Episcopi, ne tanto officio deessent, Metis hoc anno congregati, nobilem ad Ludovicum Regem cum Vormatiæ esset, legationem destinarunt, legatisque suis communitorium dederunt, quo quid cum eo agendum, quidve ab eo exigendum esset, antequam ab perpetratis sceleribus absolutionem tribuerent, admonebantur: legationis principes, ut in commonitorii inscriptione legitur fuere Hincmarus, Guntharius, & Venilo Archiepiscopi, deinde Herluinus, Hildegarus, Adventus, Ebbo, Hincmarus (Archiepiscopi nepos) Erchanraus Episcopi, ac *de indulgentia Ludovici Regis pro seditione, & excessibus in regno fratris sui Caroli perpetratis*, inscribitur, ideſt de indulgentia Ludovico oblata, & data pro patratis sceleribus Integram epistolam Balutius, Labbæus, & Baronius exhibent. Legatio Episcoporum ad Ludovicum Germaniæ Regem. *Concil. to. 8. pag. 668. Baluz cap. to. 2. pag. 121.*

11. Ac primo de dissidiis inter Ludovicum, & Ca- Commonito-

JESU CHR. AN. 859. rium legatis datum.

rolum ex factioſorum hominum perverſitate excitatis agunt. *Unde talia & tanta in Eccleſia nobis ad regendum divina dignatione commiſſa, & in hoc regno perperam admiſſa ſunt, ut ipſo etiam auditu horribilia cognoſcantur, etſi hæc diſcordiæ peſtilentia diutius, operante humani generis antiquo hoſte, duraverit, quam exitialis & mortifera exiſtet, ipſi ſcitis.* Quare legatos ſuos Epiſcopi admonent, ut tam apud Ludovicum, quam apud Carolum Regem, & Lotharium properantes, veram firmamque inter eos, non verbis tantum, ſed re ipſa pacem concilient. Si hæc Ludovicus promiſerit, pœnitentiam, quæ de patratis ſceleribus gerit, *Tunc demum promittat*; ajunt Epiſcopi; *ſe ab illorum perditorum hominum tuitione atque favore, per quos tam graviter Deum offendit, diſjungere & qui quaſi ad ejus fidem, ſed potius infideliter ad eum venerunt: ad rectam rationem in proximo placito ante fratrem ſuum Carolum, & nepotem ſuum Lotharium, ſicut Deo teſte, apud Marſnam propria manu firmaverit, venire ſi potuerit faciat, & quæcumque illorum recta ratio ſignificaverit, digne honore ſuo fruatur. Et qui per rectam rationem ante ſeniorem ſuum juſtificari non potuerit, rationabilem miſericordiam illi obtineat. De illo vero quem recta ratio, & juſtum judicium condemnaverit, & Rex Chriſtianus cum Rege Regum Chriſto condemnet, & alienæ perditioni ſe non commiſceat; & quia, ut Paulus dicit: Non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui male facientibus conſentiunt, digni ſunt morte*, quod etiam ſacræ ſcripturæ, & Patrum teſtimoniis confirmant.

Quibus conditionibus abſolvendus, quæve pœnitentia imponenda eſſet.

12. *Tandem ſi ſe promiſerit adjutorem & cooperatorem Dei pro viribus de cætero & rationabiliter futurum, qualiter Eccleſia Dei, quæ in ſuo Regno, ac Regnis noſtrorum Principum una eſt ſicut & unum Sacerdotium, ſecundum qualitatem periculoſi temporis in anoquoque ordine reſtituatur, & ſacerdotes Dei debita privilegia, & Eccleſiaſticum vigorem obtineant, & populus juſtitiam habeat & pacem: congregatis vobis, & noſtro, immo divino Spiritu, qui eſt remiſſio omnium peccatorum per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem, illi peccata in noſtris parochiis per illum, & ab illo commiſſa, Eccleſiaſtica pietate, & canonico more dimittite, eique indulgentiam poſtulanti donate: atque*

que illum ſacræ communioni, qua ſe ipſe privaverat excommunicatis communicans, reſtituite. Quod etiam adductis Patrum teſtimoniis confirmant; ac tandem legatos admonent, ut ſi Regem ad implendas ſuperius deſcriptas conditiones paratum inveniſſent, eum quidem abſolverent. *Sin alias, vos nullo modo cum eo, quem abſolvere non potueritis, ligare nolite: quoniam nec coram Deo, nec in ſynodo nos in eo auctores habebitis. Si igitur aliter, quod abſit, præſumpſeritis, vos & in ſynodo, & coram Deo pro facto irrito dabitis rationem*: Hæc & alia ibidem pro legatorum admonitione. JESU CHR. AN. 859.

13. De legationis exitu extat Epiſcoporum relatio ad Epiſcopos ceteros data, qua narrant ſe pridie nonas Junias Vormatiæ litteras Ludovico tradidiſſe, iisque acceptis, veniam ab eis eum petiiſſe. *Volo vos precari, ut ſi in aliquo veſtros animos offendi, ut hoc mihi perdonetis, ut in antea ſecurus vobiſcum loqui poſſimus &c.* cui cum Hincmarus legationis præſes dixiſſet, nihil ſe contra eum odii, aut iræ retinere, ſed tantum de iis, quæ adverſus eccleſiam & populum patrata fuerant conſilium dare, idemque aſtantes reliqui confirmarent, Ludovicus Epiſcoporum relectis litteris, ſine Epiſcoporum conſenſu, & conſilio, ſe nihil facturum dixit. *Vos mihi tranſmiſiſtis*, addens, *veſtram epiſtolam cum capitulis*: quibus ſubſcribere jubebatur, ut reconciliationem promereri poſſet: *Vos veniſtis cum cauſa facta. Nos ſumus hic niſi duo vel tres, qui ſine aliis huc exilivimus: in illas cauſas intrare non poſſumus antequam cum noſtris Epiſcopis inde tractemus, quia, Deo gratias, nihil ſine illorum conſilio feci, & poſtea inde reſpondeam. Nos autem expectabamus, ut conſilium a nobis de ſua ſalute oblatum ipſe quereret, & tunc ei ſecundum illud ſcriptum donaremus conſilium. Ipſe autem de ſuo gradu reſpondit, quod in illud ſcriptum non intraret, antequam cum ſuis Epiſcopis conſideraret.* Sicque re infecta diſceſſerunt; Epiſcoporum nihilominus votis annuiſſe Ludovicum, & cum nepotibus ſuis Carolo, & Lothario pacem iniiſſe, ac cum iis colloquium habuiſſe narrat Annaliſta Bertinianus, cujus verba ſupra exſcripſimus. Relatio Epiſcoporum de geſtis cum Ludovico. *Concil. ut ſup. pag. 680. Baluz. pag. 127.*

14. Pro eadem ineunda Regum concordia, aliiſque eccleſiaſticis cauſis pertractandis Tullenſis ſynodus in villa Saponaria dicta, magno Epiſcoporum concurſu ex tota Tullenſis ſynodus apud Saponarias.

JESU CHR. AN. 859. *Concil. to. 8. pag. 675. Baluz. pag. 129.*

Gallia, ac ex duodecim provinciis, Francorum Regum consensu hoc anno celebrata est. *Anno Incarnationis* 859. *mense Junio, indict.* 7. Nicolai Papæ an. 2. Caroli Calvi 19. Nepotum Lotharii scilicet, & Caroli 4. ac quantam pro ineunda inter Reges pace sollicitudinem gererent, capite primo testantur, ut charitas fraterna, & concordia pacis reformetur inter fratres Principes Ludovicum scilicet & Karolum; & ut status Ecclesiæ pene collapsus, & pax ac justitia in populo Christiano restitueretur, gratias etiam Deo agunt, quod inter Carolum, Lotharium, & Carolum alterum pax integra vigeret, deinde de aliis ecclesiasticis causis agunt, quorum prima fuit, de quodam diacono, cujus nomen Tortoldus, qui Episcopalem potestatem in urbe Bojacensium usurpaverat, quam causam Venilonì Senonensi Archiepiscopo synodus commisit, *Ut adjunctis secum tribus aliis memoratum Diaconum evocatum audiant, & secundum auctoritatem canonicam de eo definiant*; quod si judicibus se sisti recusaverit, *anathemate feriatur*. Eadem fere causa capite quinto occurrit, de Anscharìo Subdiacono, qui vivente Lingonensi Episcopo, ejusdem sedem invaserat, quia tamen Anscharius synodo præsens peccatum suum confessus, veniam petierat, mitius cum eo egerunt Tullenses Patres, & accepto pœnitentiæ libello, quo se ab iis inposterum abstenturum cum juramento promittebat: liber dimissus est; ita tamen ut ad Ecclesiam Lingonensem, quam antea afflixerat, nequaquam ultra aspiraret. Capite sexto Venilonis Senonensis Archiepiscopi causa agitur: nam adversus eum 18. Kal. Julii Carolus Calvus libellum synodo obtulerat, quo plura eidem objiciebat, præ ceteris, fidem sibi non semel juratam ab eo violatam fuisse conquerebatur, dum adveniente hostiliter in Regno suo Lodovico fratre, Venilo cum eo & colloquium habuerat, auxiliumque præbuerat: ut ibidem capitibus tredecim idem Carolus Rex exposuit: Quare synodus libello accepto, *Inducias ac dierum dilatio est concessa, & certa accusatio per Episcopos, & synodicas litteras præfato Archiepiscopo est intimata secundum regulas divinitus promulgatas*; quid vero in hac causa actum sit, non constat, hoc unum scimus ex synodica epistola a Metropolitanis, & Episcopis subscri-

Episcoporum pro pace ineunda sollicitudo.

De ecclesiasticis causis in Tullensi synodo agitatis.

De Diacono, & Subdiacono, qui Episcopalem potestatem usurpaverant.

Caroli Regis libellus adversus Venilonem Senonensem Archiepisc.

scripta, ac ad Venilonem data, qua Caroli Regis querelas in eum delatas exponunt, scimus, inquam, judices in ea causa Remigium Lugdunensem, Venilonem Rothomagensem Archiepiscopos, cum Herardo Turonico, & Radulpho Bituricensium Episcopis delegatos fuisse: *Ceteris*, ut ajunt, *nostrum judicium suo consensu approbaturis*: eumdemque admonent, ut post dies triginta ab acceptis litteris, judicio se sistat, ac suffragante veritate objectis criminibus se purgaret: *Sin autem in defensione defeceris, sententias a majoribus institutas excipias*. Eamdem tamen causam paulopost sedatam fuisse, sive quod Venilo se se purgaverit, aut ab Carolo, & Episcopis veniam obtinuerit, nam nullibi posthac in synodis, aut publicis actis ejusmodi causæ mentio occurrit, quin eumdem in gradu suo perseveravisse constat, nam eum Tullensi synodo altera anno sequenti adfuisse, & subscripsisse acta ejusdem probant: tom. 8. conc. Labb. pag. 706. cumque Herardus Turonensis Episcopus unus ex electis in ea causa ab Tullensi synodo judicibus, ob infirmitatem adesse non posset, ex data sibi, ut ait, ab synodo potestate, suas vices Rotberto Cenomanesium Episcopo delegavit: ut in epistola ad Venilonem data, idem narrat Herardus pag. 694. atque de Venilonis causa hactenus.

Jesu Chr. an. 859. Venilonis causa agitur. *Concil. ut sup. pag.* 682.

15. Capite septimo de Attone Virdunensium Episcopo quæstio agitata est, eo quod is post monasticam professionem in monasterio S. Germani Autissiodorensium, contra regulas ecclesiasticas inde discedens ad ordinem Episcopalem pervenerat. *Unde definitum est dari sibi commeatum veniendi ad aliam synodum, sicut sacra sancit auctoritas*, unde ejusdem causa delata est. Caput octavum admonitionem continet ad Episcopos Brittaniæ minoris datam, qua hortantur, ne se a suo Metropolitano divellerent, & ut Salomonem ducem hortarentur, ut fidem Carolo Regi datam servaret: neve cum excommunicatis communionem inirent: extatque synodalis epistola in eam rem data, qua eos, ut Herardo Turonensi Metropolitano debitam exhiberent reverentiam, hortantur. *Ita ut præter ejus præsentiam, aut consensum, nullus in regione vestra canonice possit ordinari Episcopus, nec vos generale aliquid sine ejus consensu posse sancire &c.*, ac tandem

Quæstio de monacho Episcopo ordinato.

Synodi epist. ad Episcopos Britonum.

JESU CHR. AN. 859.

dem niſi obtemperaverint, canonicam in eos ſententiam ſe laturos fore minantur: ſynodicæ autem epiſtolæ commonitorium addiderunt, quo ea, quæ Salomoni Duci ſuggerere debebant, indicabant *Ut permittat* ſcilicet, *totius Britanniæ Epiſcopos debitam reverentiam Metropolitano inferre, ut facultates quanto animæ ſuæ periculo Britannorum dominationem invaſerit, cum domno noſtro Regi Carolo fidelitatem prius juraverit. Ut recordetur, gentem Britannorum Francis ab initio fuiſſe ſubjectam, & ſtatutum dependiſſe tributum, ac per hoc diligenter ad nuper omiſſam reverti debeat conſuetudinem. Ut proprietates a parentibus relictas, vel quolibet modo rationabiliter acquiſitas, juſtos poſſeſſores habere permittat. Niſi enim ſe ab hac auducia & impietate retraxerit, & divina pœnitudine deleverit, quod reliquit: noſtræ auctoritatis affectu vobis admonentibus, cito ei Deus uſurpatam auferet poteſtatem, & debitam inferet ultionem. Pro diverſis criminibus excommunicatos ne recipiat pari cum vindicta conſtringi.* Hæc ad Salomonem Tullenſis ſynodus, ad quem etiam in eadem causa extat Nicolai Papæ epiſtola, qua eumdem Regem rogat, ut dejectorum Epiſcoporum cauſam apud Turonenſem Archiepiſcopum, vel apud Apoſtolicam ſedem retractari permittat, ut ibidem videre eſt; Concil. tom. 8. pag. 509.

Concil. to. 8. pag. 686. Admonitio ad Salomonem ducem Britanniæ.

Synodica epiſt. ad Epiſcop. Britanniæ ob varia ſcelera excommunicatos.

16. Cumque ejuſdem Brittanniæ Epiſcopi aliquot ob varia ſcelera excommunicati jam fuiſſent; iique ad ſynodum Tullenſem confugientes, inducias petiiſſent, uſque ad futuram proximam ſynodum, horum cauſam ſynodus diſtulit, ut capite nono legitur; *Qcia niſi ſe correxerint, in futura ſynodo generali unanimitate terribili anathemate ferientur.* Extatque ejuſdem Tullenſis ſinodi epiſtola ad eos data, ideſt Roberto, Odoni, Heriveo, Truando, Ingelboldo, Trotmundo, item Heriveo alteri, Magenardo, Cadoloni, & ceteris, & quidem ajunt patres *bonis filiis*, quibus nequaquam pro more ſalutem Epiſcopis Epiſcopi dixerunt, ſed tamquam diſcolis *ſalutarem converſionem* optant, quos cum in pluribus arguant, inter cetera hæc eis exprobrant. *Plurimi veſtrum abjecto timore Dei Templa violant, vaſa Dei & in diverſis ſpeciebus theſaurum auferunt, & depoſita, ideſt commendata propter Paganorum incurſionem in ſuos uſus transferunt, & ſacrilegium jam*

JESU CHR. AN. 859.

jam publice ſine timore committunt. Poſſeſſiones eccleſiæ, Deo datæ ab his, qui ante vos Chriſtiani fuerunt propter redemptionem animarum, & propter templorum Dei inſtaurationem, & eorum victu & veſtimento, qui ſine ceſſatione laudes Deo perſolvunt, & propter ſtipendium pauperum, & ſi opus eſſet, redemptionem captivorum, *vos Deo auferris, & quia ſtatim non vindicat, quaſi cum ſecuritate poſſidetis &c.* & poſt multa, quibus eos ad dignam pro exceſſibus eorum pœnitentiam agendam excitant; hæc tandem in fine epiſtolæ ſubdunt. *Paterna pietate minas Dei, & promiſſiones vobis proponimus, ut ab omnibus vitiis, quæ pacem præſentem & futuram gloriam tollunt, cum feſtinatione recedetis, & ad Dominum ex toto corde converſi faciatis bona opera, quibus ſpem ſalutis habere poſſitis. Pro criminibus, quæ ſuperius expoſita ſunt, nos excommunicatos a quibuſdam Epiſcopis comperimus. Sed ipſis intercedentibus damus ſpatium, ut ad noſtram piam admonitionem deponatis mortiferam ſocietatem, & peccatorum conſuetudinem: ne forte, ſi in veſtra contumacia perſiſteritis, cogamur vos anathemate generali contra noſtram voluntatem propter miniſterium ferire.*

Cetera Tullenſis ſynodi geſta.

17. Capite autem decimo ejuſdem Tullenſis synodi, *Relecta ſunt quædam capitula ſuper quibus quorumdam fratrum ſenſus diſſentire probantur*; ideſt canones hinc inde contra Gotheſcalcum, aut pro Goteſcalchi doctrina, ſex ſcilicet priores Valentinæ ſynodi, qui paucis ante diebus in ſynodo Lingonienſi confirmati, in hac etiam Tullenſi relecti ſunt, quatuor etiam ſynodi Cariſiacæ adverſus Gotheſcalcum. Quare ſynodus diſſidentes Epiſcopos, quorum præcipui erant Remigius Lugdunenſis, & Hincmarus Remenſis, hortata eſt ut reſtituta eccleſiis, & Regno pace, ſimul conveniant, *& prolatis ſanctarum ſcripturarum, atque catholicorum doctorum ſententiis, quæ ſuniora ſunt concordi unanimitate ſequantur*. Sequenti capite ab Carolo Rege, & Rodulpho Bituricenſi Epiſcopo ſynodus petiit, ut privilegium annuente Rege monaſterio S. Benedicti conceſſum ſervaretur, ut ſcilicet proprium ſemper ex monachis Abatem haberet, quod tunc Rodulphus Archiepiſcopus irregulariter habebat. Tandem, nonnullis de Parochiis quibuſdam ſecundum eccleſiaſticam auctoritatem ſtatutis capite 13. &

ul-

JESU CHR. AN. 859. Pia conventio Epiſcoporum, & Abbatum in precum communicatione.

ultimo ut mutuis ſe orationibus dum viverent, & poſt obitum ſubvenirent, ſe invicem Epiſcopi hortati ſunt, ad eamdemque precum communionem Abbates quoque admiſerunt, ita ut. *Singuli pro cunctis per ſingulas hebdomadas feria 4. miſſam celebrarent. Poſt vocationem autem cujuslibet eorum ſuperſtites obtineant, ut pro eo qui deceſſerit, in ſedibus ſeptenæ miſſæ, totidemque vigiliæ Domino perſolvantur: a Presbyteris autem monaſteriorum, ſive villarum, tres miſſæ, totidemque vigiliæ dependantur, exitus autem uniuſcujuſque viciſſim piis currentibus litteris innoteſcat. Præſentes etiam abbates in tam profutura ſocietate recepti eadem ſe conditione junxerunt.*

Canones in Tullenſi ſynodo recĕti, & confirmati.

18. In eadem quoque Tullenſi ſynodo canones in Lingonienſi ſynodo, ante dies quindecim editi coram Carolo Rege ab Epiſcopis editi, recĕti, & confirmati ſunt, quorum ſex primi, in cauſa Gotheſcalchi in ſynodo Valentina editi fuerant, de quibus ſupra egimus, ceteri uſque ad decimum ſextum ad eccleſiæ diſciplinam reſtaurandam editi ſunt, quorum hæc eſt ſumma, *Septimus, ut concilia Epiſcoporum ſaltem ſemel quot annis fiant: & in palatiis ſaltem ſemel intra biennium generalis Epiſcoporum & ſacerdotum. 9. Ut Epiſcopi monaſteria ſtrenue viſitent & diſponant. 10. De ſcholis ſacræ ſcripturæ, & humanæ literaturæ inſtituendis. 11. De Eccleſiis inſtaurandis. 12. Ut unicuique congregationi profeſſionis ſuæ liceat habere prælatos. 13. De nonis ac decimis per eos ſolvendis, qui eccleſiæ poſſeſſiones retinent. 24. Ut hoſpitalia uſibus ad quos ſunt inſtituta reſtituantur. 25. Ut miſeris per idoneos judices juſtitia reddatur. 26. De raptoribus, adulteris, & rapacibus coercendis &c.*

Labb. concil. tom. 8. pag. 690.

De ſtudiis promovendis Epiſcoporum ſollicitudo.

19. Maximam porro ex canone decimo, in ſtudiis divinarum, humanarumque litterarum promovendis ſollicitudinem, tunc Epiſcopos geſſiſſe patet, eo quod id non ſemel in ſynodis antea decretum, necdum impletum viderent. Quare Epiſcopos hortatur ſynodus, ut ubicumque idoneos viros invenerint ad docendum, divinarum, humanarumque ſcientiarum ſcholas aperirent. *Quia, quod nimis dolendum eſt, & perniciosum maxime, divinæ ſcripturæ veraxæ & fidelis intelligentia jam ita dilabitur, ut vix ejus extrema veſtigia reperiantur.*

21. Hu-

JESU CHR. AN. 859. Caroli Calvi ſtudium pro litterarum ſtudiis.

20. Humanas quidem divinasque litteras Carolus Magnus in Galliis mirifice propagaverat, ut ſuo loco diximus: at diu in honore non ſteterunt, nam etſi ſucceſſores ejus Ludovicus, Lotharius, & Ludovicus ſecundus, ceteriique Galliarum Reges, easdem tueri conati ſint, pro temporum tamen conditione, Carolo e vivis ſublato, decreſcere coeperunt, tum ob civilia, & externa bella, cum ob Nortmannorum annuales fere irruptiones, quibus factum eſt, ut inter bellicos tumultus & litteræ ſilerent, bonæque vileſcerent artes, ut pluribus auctores hiſtoriæ litterariæ Francorum in præfatione ad ſeculum nonum proſequuntur. Non modicam nihilhominus hoc tempore in ſtudiis, boniſque artibus poſtliminio revocandis curam adhibuiſſe Carolum Calvum ſcimus ex Herico monacho Antiſiodorenſi in præfatione ad vitam S. Germani, Carolo Calvo, cum jam Auguſtus eſſet, dicata, ut ibidem videre eſt.

Bardas Cæſar litteras CPoli reſtituit.

21. Caroli exemplum imitatus eſt impius Bardas, qui Cæſar uno aut altero ab hinc anno a Michaele Imp. creatus, dum Michael judicris vacaret, ipſe *interim negotia publica adminiſtrabat*, ut ait Porphyrogeneta, in vita Michaelis Imp. cap. 26., *ac ſibi ipſi Imperium animo deſtinabat, cujus quandoque ſibi ipſe compos fore videretur. Cæterum hæc quidem in futurum illi repoſita; interim vero ſæcularis ac profanæ ſapientiæ cura ſuſcepta (cum jam plura luſtra humaniores litteræ Imperatorum barbarie ac inſcitia obſoleviſſent, ac prope extinctæ eſſent) Mathematicarum diſciplinarum ſchola ad Magnauram* (Palatium a Conſtantino M. conditum, de quo Ducangius lib. 2. Conſtantinopolis Chriſt. cap. 5. num. 2.) *conſtitutis, magnifice rurſus florere, ac velut repubeſcere eas fecit. Nec tamen hoc Bardæ facinus, quamquam ſummam præferret honeſtatem, gloriaque celeberrimum eſſet, ejus noxas reliquas elucre valuit. Præerat huic ſcholæ ac Doctor Philoſophiæ erat, magnus ille Philoſophus Leo, ſanguinis quidem proſapia Joannis Patriarchæ patruelis, gradu vero Theſſalonicenſis quondam Epiſcopus. Tunc autem ceſſare juſſus atque amotus, quod Iconomachorum hæreſis cultor erat, huic negotio præpoſitus, opera ſua ac induſtria inſcitiam procul abigebat atque fugabat.* Paulo poſt: *Theodorus ejus diſcipulus, Geometriæ ludo præſidebat: Theodegius Aſtronomiæ, Cometas linguæ græcæ, Gramaticæ. Sic Bardas*

JESU CHR. AN. 859.

dum large sumptus suppeditat, ac quo scientiarum desiderio accensus videbatur, sæpe ipse quoque scholas frequentans, discipulorumque animos confirmans, intra justi temporis morus, velut alas doctrinis addidit, eisque plumescendi (ut sic dicam) ac profectus maximi compendium fecit. Hæc ibi.

De Michaele Psello Leonis præceptore.

22. Cum vero Cedrenus & Curopalates narrent Leonem Philosophum Grammaticam & Poeticem CPoli, ceteras vero disciplinas in Insula Antro Psello magistro didicisse, hinc colligi posse ait Baronius, quando vixerit Psellus, qui Metaphrastem vita functum laudavit. Verum Allatius in Diatriba *de Psellis*, & in Diatriba *de Simeonibus*, Metaphrastæ etatem antea ignotam, certam atque indubiam primus indicavit, demonstravitque eum sæculo tantum sequenti floruisse, & *Michaelem Psellum* Leonis Philosophi Præceptorem, qui hoc tempore vixit, diversum fuisse a Michaele Psello Juniori, qui Simeonem Metaphrastem, longe post ejus mortem laudavit. Sed de Metaphraste ejusque scriptis opportuniori loco infra sermo fiet.

Nortmannorum irruptiones in Galliis.

23. De Nortmannorum excursionibus hoc anno hæc narrat Bertinianus Annalista. *Piratæ Danorum longo maris circuitu, inter Hispanias videlicet, & Africam navigantes, Rhodanum ingrediuntur: depopulatisque quibusdam civitatibus, ac monasteriis, in Insula, quæ Camarias dicitur se disponunt*, legendum *sedes ponunt*, nam ex eodem Annalista constat, eos ibi moratos esse, ut dicemus anno sequenti). *Dani noviter advenientes monasterium Sancti Vualarici, & Samarobrigam Ambianorum civitatem, aliaque circumquaque loca rapinis, & incendiis vastant. Alii quoque eorum Insulam Rheni Patavum simili furore invadunt. Hi vero, qui in Sequana morantur, Noviomum civitatem noctu aggressi, Imonem Episcopum cum aliis nobilibus, tam Clericis, quam Laicis capiunt, vastataque civitate secum abducunt, atque in itinere interficiunt. Qui etiam ante duos menses Ermenfridum Belvagorum* (ideſt Episcopum Bellovacorum) *in quadam villa interfecerant. Sed & anno præterito Blatfridum Bajocassensium Episcopum necaverant. Ossa beatorum Martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii metu eorumdem Danorum in pagum Mauripensem, in villam sui juris Novientum devecta sunt, atque XI. Kalendas Octobris in loculis diligenter collocata.* Eademque refert, adnotat Pagius, mo-

nachus Anonymus Centulenſis, qui vitam S. Richarii Centulenſis Abbatis hoc tempore ſcripſit, a Mabillonio ſeculo ſecundo Benedictino recitata. Necem tamen ab Normannis Hermenfrido Bellovacenſi, & Immoni Noviomenſi Epiſcopis illatam, ex Annaliſta Bertiniano hoc anno retulimus. ait idem Mabillonius, etſi utrumque ad menſem octobris anni ſequentis perveniſſe ſciamus ex actis concilii Tullenſis apud Tuſiacum, cui ambo ſubſcripti leguntur. Jesu Chr. an. 859.

24. Interea Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, cum Carifiaca capitula ab ſe olim adverſus Gotheſcalcum edita ab Remigio Lugdunenſi, aliiſque paſſim refutari, ac iis contraria in Valentina, Lingonienſi, & Tullenſi ad Saponarias, ſynodis confirmari vidiſſet, ne penitus ſua cauſa excidiſſe videretur, alterum de Prædeſtinatione librum capitibus 38. diſtinctum vulgavit, ac Carolo Calvo inſcripſit, quo crambem recoquens, veterem Prædeſtiniatianorum hæreſim ab Gotheſcalco renovatam fuiſſe ait, in eamque rem plurima ſanctorum Patrum teſtimonia, abſque ullo delectu, ut ait Mabillonius, congeſſit, in id unice intentus, ut probaret, neminem a Deo ad pœnam æternam prædeſtinari, ſed unicam tantum prædeſtinationem ad vitam æternam confitendam eſſe. Paulo poſt adverſus eumdem Gotheſcalcum, & Ratramnum, librum alterum Hincmarus edidit, quo utrumque erroris arguebat, eo quod in hymno Martyrum retinendum cenſebant eum verſum. Hincmarus alterum de Prædestinatione librum vulgat.

Te trina deitas, unaque poſcimus &c.

Quo exitu id Hincmarus tentaverit, re ipſa conſtat, cum eumdem verſum diu retinuerit eccleſia, ac adhuc retineat in officio Corporis Chriſti ab Divo Thoma concinnato, uti jam ſupra monuimus.

25. Ad annum Arabicæ perſecutionis decimum, & ultimum devenimus, quo Eulogius Cordubenſis Presbyter, in locum Veſtremiri Toletani Epiſcopi, ſi ſupravixiſſet, Epiſcopus a clero, & populo Toletano electus, in ea perſecutione Cordubæ cum Leocritia virgine ex Mahumetanis orta, & ab Eulogio in Chriſto genita, ejuſdemque exemplo, & exhortatione ad ſubeundum martyrium animata, martyr & ipſe occubuit: utriuſque paſſionem, Alvarus Cordubenſis ejuſdem familiaris, ſinceriſſimo ſtylo deſcripſit, cujus hæc S. Eulogii Presbyteri & Leocritiæ virginis martyrium. *Bolland. die 11. Martii.*

JESU CHR. AN. 860.

est summa. Eulogius itaque cum Leocritia, quæ in eadem domo manebat, tentus, ac Præfidi oblatus, cur virginem apud se retineret, minitando exprobravit, cui cum hoc muneris sui tamquam Presbyteri esse dixisset, ad Christi scilicet fidem errantes perducere. *Tunc præses turbido vultu virgas inducere jussit, eum minitans flagellis perimere, cui sanctus dixit: quid istis flagellis exercere cupis: animam inquit, tuam per hæc educere volo &c.* ac varie tentatus tandem martyrium capitis obtruncatione complevit *idus Martii die Sabbato hora nona*. Post aliqua in martyris laudem, miraculum narrat, *quod ad laudem sui nominis Christus est super corpus martyris operatus*, dum Astigitanæ civitatis incola, luminaria super corpus ejus splendescere, chorosque Sacerdotum psallentium vidit. De Leocritiæ martyrio hæc subdit. *Beatissima virgo Leocritia multis oblectationibus delinita, multisque promissionibus impulsata: tandem divino munere soliditate fidei roborata, quarta post ejus martyrium die extitit decollata, ac in flumine Betis projecta. Sed aquis nec submergi potuit, nec celari: erecto enim corpore pergens, mirum omnibus visum præbuit, & sic a Christianis edutta, in basilica S. Genesii martyris, quæ sita est ad locum Tertios extitit tumulata*. Hactenus de sanctis martyribus, quibus Cordubensis ecclesia illustrata est.

Leocritiæ martyrium.

JESU CHRISTI AN. 866. NICOLAI PAPÆ 3. LUDOVICI IMP. 6. MICHAELIS IMP. 19.

Urbs duplici Tyberis inundatione affligitur. *Anast. tom. 1. pag. 408.*

1. Duplici Tiberis inundatione urbem, confiniaque ejus hoc anno desinente vexatam fuisse narrat Anastasius his verbis. *Hujus præclari Pontificis, idest mensis octobris die 30., indictione octava*, seu potius nona, ab septembris initio, *fluvius, qui appellatur Tiberis alveum suum egressus, & se per campestria dedit, & cum intumuit inundatione aquarum multarum, ingressus est per posterulam, quæ appellatur S. Agathæ, in urbem Romam hora diei secunda, transcendensque in aliquibus locis ingressus est in ecclesiam S. Laurentii, quæ vocatur Lucinæ. Inde se extendit, & ingressus est in monasterium S. Silvestri, ita ut ex gradibus qui ascendunt in basilicam B. Dionysii, præ multitudine aquarum, ne unus quidem videretur, excepto eo, qui superior*

rior erat. Et exinde se extendit per plateam, quæ vocatur Via lata, & ingressus est in basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ ibidem est, tantumque intumuit aqua, ut etiam portæ ipsius ecclesiæ non viderentur præ multitudine aquarum; & inde ascendit per plateas & vicos usque ad Clivum Argentarium. Et exinde redundans ingressus est per porticum, quæ est posita ante Ecclesiam S. Marci. Inde impetum faciens, cœpit decurrere in cloacam quæ est juxta Monasterium S. Laurentii martyris, quod vocatur Pallacini: Ab ipso die cœpit deinceps aqua paulatim minui, & fluvius, multo damno facto in suum alveum reversus est: nam muros & domos everiit, & agros desertavit, evellens segetes, & eradicans arbusta. Simili modo in mense Decembris, die vigesimaseptima, natali S. Joannis Evangelistæ, Indictione supra scripta, egressus alia vice Tyberis alveum suum omnia fecit, ut supra: Atque his de Nicolai Pontificis liberalitate in ornandis ecclesiis nonnulla adnotat, quem etiam formam aquæ, quæ Avia, vel Accia dicebatur, restaurasse, ac hospitium pro Pontifice, ejusque familiaribus ad ecclesiam S. Mariæ in Cosmedin ædificasse narrat, at majora nos revocant. JESU CHR. AN. 860.

2. Cum etenim Nicolaus Papa legatos Michaelis Imp. & Photii nuper in CP. Patriarcham ordinati cum litteris accepisset, ut anno proximo diximus, legatos & ipse suos illuc mittere censuit, qui res hactenus in Ignatii depositione, & Photii inauguratione gestas diligentius inspicerent, sibique referrent, atque ad id muneris Rodoaldum Portuensem, & Zachariam Anagniæ Episcopos delegavit, iisque litteras ad Photium perferendas dedit, quibus ordinationi ejus se assensum suum suspendere testatur, utpote cum viro, qui præter canonum regulas, ex laico Episcopus fuerat ordinatus. Quare post dilectionis indicia data, & ordinationis ejus reprehensionem, hæc subdit. *Quapropter vestræ consecrationi consentire nullo modo possumus, donec nostri, qui a nobis Constantinopolim sunt directi, revertantur, qualiter per eos cognoscamus vestræ observationis actus, & ecclesiasticæ utilitatis constantiam, & quo studio circa Catholicæ fidei defensionem vosmet exerceatis. Et tunc si dignum fuerit, ut tantæ sedis præsulem, ceu convenit, honorabimus, & fraterna dilectione amplectemur. Mense Septembri die vigesimaquinta, Indictione nona*; tunc inchoata. Hæc scribens ad Photium Nico- Nicolai Papæ legatio CPolim missa. *Apud Labb. concil. tom. 8. pag. 276. & 268.*

JESU CHR. AN. 860.

Nicolaus, in mandatis Legatis dederat, ne ullo pacto cum Photio communicarent, antequam id ipſe Pontifex decreviſſet, ut teſtatur ipſe Nicolaus in epiſtola ad omnes Chriſti fideles, quam Encyclicam nominare conſuevit, ubi ait: *Photii vero conſecrationem non ſolum minime admittendam eſſe decrevimus, verum etiam ipſis Legatis noſtris, ne cum illo niſi quaſi cum laico uſque ad notitiam noſtram communicarent, frequenti & omnimoda juſſione præcepimus: ſolum ſcilicet iiſdem de venerabilibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque genitricis ſemper virginis Mariæ, ac Sanctorum ipſius imaginibus, quidquid quæſtio afferret, juſte ac pie definire licentium dantes.* Sic igitur hæc inveniuntur Legatis data in mandatis, ut cauſam inter Ignatium, & Photium cognoſcerent tantum, non definirent: Et cum Photio ipſo, ut Epiſcopo, non communicarent; quæſtionem vero de ſacris imaginibus exortam, ſæpius judicatam, iterum definirent.

Nicolai litteræ ad Michaelem Imperatorem. *pag.* 270.

3. Eodemque tempore ad Michaelem Imp. litteras Apoſtolico throno dignas Nicolaus dedit, ac primo nonnullis de Romanæ eccleſiæ dignitate, qua ſupra ceteras eminet, adnotatis, de geſtis CPoli in Ignatii depoſitione, & Photii ordinatione adnotat, non ſemel SS. Patrum ſanctionibus ſtatutum fuiſſe, atque ſervatum, *Qualiter abſque Rom. ſedis, Romanique Pontificis conſenſu, nullius inſurgentis deliberationis terminus daretur. Igitur a vobis Conſtantinopolim congregatum concilium (ut veſtris apicibus noſtris intimatum eſt auribus) hujus tenoris ſeriem parvipendens, ab inſtitutis prædictis manum conſiderationis ſuæ reflectere non trepidavit: adeo ut Ignatium ſupra jam nominatæ urbis Patriarcham, ſine Romani conſultu Pontificis ibidem cœtus conveniens proprio privaſſet honore. Quod quantum ſit reprehenſione dignum, teſtes illi, qui ei oppoſiti ſunt, manifeſtant; quia tales, quos in epiſtola veſtra legimus, canonica inſtitutio prohibet, & invidioſe datos manifeſte claret, quoniam nec ipſe proprio ore manifeſtavit (ut directionis veſtræ aſſerunt litteræ) illa quæ ei objiciebantur, neque accuſatores illius ſecundum ſacrorum Canonum inſtituta probaverunt. Cæterum his etiam ſic injuſte peractis, ad deteſtabiliora inconſiderationis ſuæ votum ſupradictam populi catervam dirigendo, de laicorum habitu qui ei præeſſet, delegit paſtorem. O quam præſumptuoſa temeritas! ille præponitur ovili divino,*

no, qui neſcit adhuc dominari ſpiritui ſuo. Nam qui ignorat diſponere vitam ſuam, per gradus Eccleſiæ minime ductus, quomodo corrigere quibit vitam alienam ſubito electus? &c. Ad hæc autem demonſtranda ipſe Pontifex citat divinam Scripturam, Conciliorum Canones, Pontificum Romanorum decreta, & inter illa, quod Hadrianus Papa indulgens tandem ob neceſſitatem temporis, ut Taraſius ex laico ordinaretur Conſtantinopolitanus Antiſtes, prohibuerit omnino ne ab ea Eccleſia id amplius tentaretur. His decurſis ad cauſam Ignatii veniens, quid eſſet agendum inſinuat, ur ſcilicet in altero Concilio coram Apoſtolicæ Sedis legatis Ignatii cauſa retractaretur, & an juſta, vel injuſta ejuſdem depoſitio fuerit, diſcuteretur. JESU CHR. AN. 860.

4. His nonnulla Nicolaus inſerit de juribus Romanæ eccleſiæ reſtituendis, juriſdictione ſcilicet per eccleſias Illyrici, ab Theſſalonicenſi Epiſcopo Romani Pontificis nomine exercenda, ſicuti olim in more fuerat, & ut patrimonia Romanæ eccleſiæ in Calabria, & Sicilia poſita reſtituerentur, rogat, Legatoſque CPolim miſſos Michaeli Imp. commendat. Legati interea Nicolai Papæ Rodoaldus ſcilicet & Zacharias Epiſcopi CPolim hoc anno cum litteris Pontificis ingreſſi, illiberaliter excepti ſunt, itaut per integrum trimeſtre, nec loqui eis, niſi cum ſuis permiſſum fuerit, ut idem Pontifex in epiſtola altera ad Photium his verbis conqueritur. *De miſſis ſiquidem noſtris, quos petitos in ſervitio B. Petri Principis Apoſtolorum pro utilitate ſanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ contra depoſitores imaginum, vel alias neceſſitates ingruentes, nec non pro cauſa ſolummodo depoſitionis ſæpefati viri Ignatii inquirenda, in illas partes direximus, ſilendum non eſt, quod cum eis (ſicut dicunt) per centum dierum ſpatium, omnium niſi ſuorum perſonis loquendi facultas fuiſſet denegata; ut Apoſtolicæ Sedis Miſſi non digne ſuſcepti ſunt, neque ut decuerat, retenti. Quod pro non alia cauſa geſtum putaremus, niſi ut inquirendi locum de depoſitione præfati viri non invenirent*: Hæc de Legatorum adventu & Imperatoris illiberalitate Nicolaus. Quæ autem poſt hæc ſequuta ſint, anno ſequenti dicenda erunt. Nicolai Papæ legati minus digne CPoli excipiuntur. *tom. 8. pag. 286.*

5. Interim hoc loco adnotare juvabit, quidquid contra Nicolaum Pontificem, vel Ignatium Imperatoris nomine geſtum fuit, Photio, & Barda auctoribus contigiſſe, nam Photius & Bardas omnium ſcelerum auctores.

JESU CHR. AN. 860.

nam Michael Imperatoris insignibus, & nomine retento, nil nisi ludicrum, obscænum, vel crudele gerebat, ut in ejus vita Porphirogeneta, Cedrenus, Leo Grammaticus, aliique narrant, quæ exscribere non tam piget, quam pudet.

Francorum Reges inter se mutuo conciliantur.

6. Cum hactenus non fine maximo Francici Imperii damno Francorum Reges, cum patris nepotibus, vel inter se fratres dissiderent, hoc tandem anno, in loco Confluentium dicto, vulgo Coblent, ubi cum Reno Mosella confunditur, in unum collecti, jurata sibi invicem fide, pacem injerunt, ut his verbis adnotat Bertinianus Annalista ad hunc annum, *Ludovicus, Carolus, Lotharius Reges Kal. Junias apud Castrum, quod Confluentes vocatur, conveniunt, ibique de pace inter se diu tractantes, tandem concordiam atque amicitiam ipsi per se juramento firmant &c.*

Synodus Confluentium. *Labb. tom. 8. pag. 698. Balut. capit. Reg. Franc. tom. 2. pag. 138.*

7. Reconciliationis acta in synodo Confluentium firmata, integra adhuc extant, ac quinque Regum gesta exhibent, quibus Episcopi, Abbates, & ex laicis plurimi interfuerunt, atque ut ibidem. *Hæc sunt nomina Episcoporum, qui anno Incarnationis Dominicæ 860. nonis Junii in Secretario basilicæ Sancti Castoris considerunt cum nobilibus laicis firmitatem, quam glorioſissimi Reges nostri Ludovicus, Carolus, atque Lotharius inter se fecerunt octavo Idus Junii in eodem monasterio, & qui hæc capitula ab omnibus observanda acceptarunt. Hincmarus, Iuntherius, Alefridus, Salomon, Adventius, Atto, Theudericus, Leutbertus, Gedebardus, Christianus, Vulfadus Abbas, Vvitgarius Abbas. Hæc nomina laicorum. Conradus, Everardus, Vicarnarius, Extangarius, Arnulphus, Berengarius, Luitharius, Lutharduſ, Hunfriardus, Adalbertus, Leuthulphus, Hetnodulphus, Adalardus, Luitfridus, Gislebertus, Huto, Matfridus, Boso, Rithuenus, Bernoldus, Burchardus, Hessi, Arnustus, Hynodulphus, Ratbotus, item Chuanradus, Sigeri, Harmainus, Vvigricus, Atto, Christianus, Herimannus, Sigardus:* post recensita nomina, sequitur juramentum mutuo præstitum, cujus forma & series hujusmodi est. *Amodo, & quamdiu vixero, istum fratrem meum Carolum, & nepotes meos Ludovicum, & Lotharium, atque Carolum, ad Dei voluntatem & sanctæ Ecclesiæ statum & honorem atque defensionem, & ad nostram communem salutem & honorem, & ad populi Christiani nobis commissi salvamentum & pacem, & ad legis*

Jesu Chr. an. 860.

legis & juſtitiæ & rectæ rationis conſervationem (quantum mihi Dominus ſcire & poſſe donaverit, & ipſi me obaudierint) vero conſilio, & ſecundum quod mihi rationabiliter & ſalubriter poſſibile fuerit, recipiens, ſincero auxilio adjutor ero ad Regnum illorum conſervandum &c. ita tamen additum eſt, ut ipſi erga me ſimilem promiſſionem faciant, & conſervent: & omnium malorum præteritorum, & contrarietatum, & ſupplantationum; atque malarum machinationum, atque molitionum, ſeu nocumentorum invicem actorum abolitio ita inter nos & apud nos fiet, & a noſtris cordibus penitus avellatur cum omni malitia & rancore, & nec in memoriam ad retribuendum dumtaxat mali, vel contrarietatis, atque exprobrationis, ſeu improperii de cætero exinde quidquam veniat. Plura deinde in ejuſdem pacis confirmationem ibidem adduntur, ut ſcilicet bona fide cuncta peragantur; ut ſibi mutuo auxilientur, ut rebelles contumaceſque, quorum opera pax & tranquillitas Regni perturbata fuerat, ſibi invicem tradant, & e finibus ſuis quiſque ejiciat. Idemque ſervandum circa eos, qui ob aliquod grave crimen ab Epiſcopo correpti, vel excommunicati, in alterius Regni fines tranſire ſolebant cum adultera, vel moniali rapta, ut pœnæ ſe ſubtraherent, quos omnes diligenter requiſitos impoſterum ad Epiſcopum remittendos eſſe promittunt, ut debitæ pœnæ, & ſatisfactioni ſubjaceant.

Cetera ſynodi capita pro eccleſiæ diſciplina reſtauranda.

6. His addiderunt, ut Epiſcopi peccantium correctionem magis, quam excommunicationem curarent, & ut contumaces Regis auctoritate petita, ad meliora revocare curarent, ut veniam pro delictis commiſſis petentibus abſolutionemque plenam darent. *Ut de rapinis & depræda-tionibus, & de conſpirationibus, ac ſeditionibus, & de raptu fœminarum, ſicut Eccleſiaſticæ & Chriſtianæ leges, atque progenitorum Capitula continent, ita in omnibus conſerventur. Ut alia etiam capitula eorumdem progenitorum noſtrorum de ſanctæ Eccleſiæ honore, & populi nobis commiſſi lege, & juſtitia in omnibus, & ab omnibus conſerventur. Ut noſtri fideles unuſquiſque in ſuo ordine & ſtatu veraciter ſint de nobis ſecuri, quia nullum ab hinc in ante contra legem, juſtitiam, & auctoritatem, ac juſtam rationem, aut damnabimus, aut dehonorabimus, aut opprimemus, & indebitis machinationibus affligemus, ſed illorum ſcilicet vera-*

JESU CHR. AN. 860.

citer nobis fidelium communi consilio, secundum Dei voluntatem, & commune salvamentum, ad restitutionem sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad statum Regni, & honorem regium, atque pacem populi commissi pertinenti assensum præbebimus in hoc, ut non illi solum non sint nobis contradicentes, & resistentes ad ista consequenda, verum etiam sic sint nobis fideles & obedientes, ac veri adjutores atque cooperatores vero consilio atque sincero auxilio ad ista peragenda, quæ præmissimus, sicut per rectum in suo ordine ac statu suo Principi & seniori esse debent. Ut sic simul & conjuncti & nos fratres, & nepos noster ad invicem, & nos cum fidelibus nostris, & fideles nostri nobiscum, & omnes simul cum Deo nos conjungamus, & ut nobis sit propitius illi pro devoto munere offeramus, & unusquisque omnium nostrum absque sua propria excusatione, & justificatione recognoscamus, in quibus aut singillatim, aut communiter, aut contra illius mandata, & decreta suorum Sanctorum fecimus, aut consensimus in ordine Ecclesiastico & statu Regni, & per singula in medium illa producamus, & nemo nostrum suo, aut amico, aut propinquo & confœderato, immo nec sibi ipsi sæculariter parcat, ut spiritualiter & salubriter parcere possit, quoniam sicut præmisimus in præcedenti capitulo, vero consilio & sincero auxilio illa in commune certatim emendari totis viribus procuremus, quantocius rationabiliter poterimus. Atque hæc omnia tum a Regibus, cum a subditis servanda esse promittunt. Eademque *ut certius credantur, manibus propriis subterfirmavimus.* Hinc sequitur Ludovici Regis annunciatio, seu declaratio, qua hæc se servaturum esse promittit, ac lingua Theotisca explicavit. Carolus deinde *Romana lingua pronunciavit, & maxima parte lingua Theotisca recapitulavit.* His gestis fratrem suum Carolum Ludovicus Rex rogavit, ut quotquot ex subditis suis, eo relicto, suas partes hactenus secuti fuerant, rogavit, inquam, ut in suam gratiam reciperet. *Et Dominus Carolus excelsiore voce lingua Romana dixit: Illis hominibus, qui contra me fecerunt, & sicut scitis, ad fratrem meum venerunt, propter Deum, & propter illius amorem, & pro illius gratia totum perdono quod contra me nimis fecerant, &c.* Quibus etiam bona ablata ab se restituenda esse promisit, dummodo sibi ipsi fidelitatis juramentum præstitissent, exceptis tamen

Labb. Balut. ut supra.

tamen Alodiis, quæ ex ejusdem Caroli donatione acceperant; atque inter eos Venilonem Senonensem Episcopum, ex rebellibus suis præcipuum, in gratiam receptum fuisse non dubitamus, quem Senonensem sedem retinuisse scimus. Cumque ad sua rediissent Reges, hæc eadem fere capitula, vel eorum saltem summam per missos suos, Regum quilibet vulgari fecit, quorum exemplaria Balutius inter capitularia Francorum Regum edidit, quæ ibidem videri possunt. Initam autem inter Reges pacem, diuturnam non fuisse conijcit Baronius, quam Caroli immoderata dilatandi Regni cupiditas violavit, ut ex Ludovici, & Lotharii epistola ad Nicolaum Papam data constat, qua de Caroli perfidia conqueruntur, ac Pontificem rogant, ut his malis medendis in Gallias transire dignetur, vel per legatos suos remedium afferat; at cum dubiæ fidei ea epistola sit, ac ab conciliorum editoribus, aliisque scriptoribus prætermissa, plura inde transcribere superfluum putamus, & quousque inter Francorum Reges pax perduraverit, historiæ series docebit.

JESU CHR. AN. 860.

pag. 145. seq.

Bar. n. 16. ad 32.

6. Interea desinente hoc anno: *Sub die XI. Kal. Nov. indict. 9. Anno Christi 860. Nicolai Papæ 3. Caroli Regis 21.* Tullense concilium apud Tusiacum, seu in villa Tusiaca, ab Episcopis provinciarum quatuordecim celebratum est; quorum nomina numero 60. in subscriptionibus leguntur, ex his tamen aliqui absentes subscripserunt, ac quadraginta circiter præsentes adfuisse adnotat Pagius. Canones in eo quinque editi sunt, quorum primo temporum acerbitatem deplorant, *Propter pertinaciam multorum qui cum sint sacrilegi, templum Dei in se ipsis corrumpentes, sacras res ex oblatione & voto fidelium sacris locis contraditas invadere non timent*; quos ideo diro anathemati subijciendos esse decernit. Canone 2. Virgines, vel Viduas Deo dicatas, vel etiam in seculo viventes, si privatim, vel publice, luxuriose vixerint, in ergastulo ad vitæ exitum ad pœnitentiam agendam conjiciendas esse jubet, viros vero, qui vim eis intulerint, ecclesiastica censura plectendos esse addit, atque Principes, & judices, ut auxilium præbeant, admonet 3. Perjuratores, falsosque testes debita censura corripiendos esse ait. 4. Ab ecclesiarum foribus, & omni christiana societate eos arcendos esse decernit

Tullense concilium apud Tusiacum. *Labb. concil. tom. 8. pag. 702. seq.*

Tullensis synodi canones contra raptores bonorum ecclesiæ.

JESU CHR. AN. 860.

qui rapinas, incendia, ſtupra, homicidia, hisque ſimilia crimina perpetrant, uſquedum humiliter ſe pœnitentiæ curriculo ſubmittant. Quinto denique Clericos, monachoſque vagos, abſque regula viventes, ad Epiſcopos, vel Abbates ſuos remittendos eſſe decernit. *Quia peccatis noſtris agentibus plura loca Deo dicata, incenſa & vaſtata ſunt a perfidis Chriſtianis, & a crudeli etiam gente Nortmannorum ſub hac occaſione multi laſcivi clerici, & monachi, relicto religionis habitu retro abierunt &c.* quos ideo revocandos eſſe jubet.

Synodi Tullenſis epiſtola ſynodalis.

7. Ejuſdem ſynodi extat ſynodalis epiſtola *Omnibus Dei fidelibus, & ſanctæ Eccleſiæ filiis*, data cum eadem temporis nota, quam in synodi præfatione posuerant, qua præcipue bonorum eccleſiæ pervaſores exagitantur; ac quantum, qualeque sacrilegium eſſet, exponunt; nec ex peccati hujus frequentia sacrilegium minui, aut peccatum probant; *Rapinæ* inquiunt, *& depræda tiones, quæ in iſtis Regnis jam ex conſuetudine ſic ab omnibus pene tenentur, quaſi peccata non ſint, aut quaſi levia peccata ſint &c.*, hæc & alia plurima, quæ ibidem videri poſſunt, synodi hujus nullam Baronius mentionem habere potuit, cum ea ætate nondum edita eſſet.

Nuptiarum cauſa ad aliam ſynodum dilata.

8. Ad eamdem synodum, Regimundus Comes querimoniam detulit adverſus Stephanum virum illuſtrem, cui filiam ſuam nuptui dederat; Stephanus autem ea uti nolebat ut conjuge, quod cum ejus propinqua carnale quondam commercium habuiſſet. Viſum eſt Patribus cauſam illam ad synodum Aquitaniæ remittendam; & *Hincmaro* juſſere, ut ad *Rodulfum* Bituricenſem, & *Frotarium* Burdigalenſem Aquitaniæ Metropolitas, totius synodi nomine ſcriberetur, ut ad cauſam illam definiendam ex Epiſcopis, & Magnatibus illius regionis conventum cogerent; quid vero poſt hac in ea cauſa geſtum ſit nullibi conſtat in quam rem longior extat Hincmari Remenſis Archiepiſcopi epiſtola, synodi Tullenſi nomine ſcripta ad Rodulphum Bituricenſem, & Frotarium Burdigalenſem Aquitaniæ Metropolitanos, quibus hæc causa ab synodo delegata fuit, eaque epiſtola, ſibi hanc ſcribendi provinciam ab synodo eadem ab Epiſcopis provinciarum 14. delegatam ſibi fuiſſe narrat: Cumque hoc eodem anno Domin. Incarn. 860., indict. 9. men-

Labb. ut ſup. pag. 716.

pag. 616. ad 735.

mense Novembri, Regimundi Comitis litteras synodus accepisset adversus Stephanum, eo quod cum eidem filiam suam legaliter desponsam tradidisset, is sub prætextu copulæ habitæ ante nuptias cum affine filiæ Comitis Regimundi sibi desponsatæ, intactam hactenus reliquerat, idque se Confessoris sui consilio, & conscientiæ stimulis ductum, ne peccatum committeret, fecisse, testatus est, atque ex Episcoporum consilio, & mandato ad eam thalamo suo sociandam paratum se esse addidit: cum autem ab synodo accusator Regimundus, ejusque filia Stephano nupta abessent, causam se nequaquam definire posse Episcopi dixerunt, integramque Rodulpho, & Frotario commiserunt, ut altera indicta synodo Episcoporum, & Procerum testibus adhibitis, & juramento præstito totam causam legaliter audirent, ac definirent, ut ibidem videre est. Jesu Chr. an. 860.

9. Inter Tullensis synodi Metropolitanos quarto loco subscriptus legitur. *Ado humilis Viennensis Episcopus*, qui Agilmaro in illa sede paulo ante subrogatus fuerat: Hic, cum monachus Ferrariensis esset, permissu Lupi abbatis sui primo Prumiam, dein Romam, ac Ravennam, eruditionis ecclesiasticæ causa profectus, indeque revertens Lugduni a Remigio Pontifice ob eruditionis præstantiam retentus fuerat: ubi cum versaretur, in locum Agilmari Viennensis antistitis electus est, agentibus Remigio Lugdunensi, & Ebone Gratianopolitano. Id factum hoc ipso anno colligitur, tum ex actis Concilii Lingonensis, circiter Kalend. Junias anni superioris celebrati, cui Agilmarus interfuit, tum ex Tusiacensi hujus anni, cui Ado subscripsit undecimo Kalend. Novemb., tum denique ex synodo Viennensi, quam Ado ipse habuit Anno Christi 870. Episcopatus sui anno decimo. Adonis electioni post pridie nonas Julias factæ obstitit Gerardus illius Regionis Dux seu Comes ab eam causam, quod Adonem e monasterio fuga elapsum credebat; at ab ea infamia Adonem Lupus Ferrariensis purgavit, datis ad Gerardum, & Bertam uxorem ejus litteris, quibus *Nihil impedire si Deus eum vocaret, quo justa ejus infirmari posset electio &c.* Ado Viennensis Episcopus ordinatur.

Lup. epist. 122.

10. Quare ab Remigio Lugdunensi, & Ebone consecratus, professionem fidei suæ pro more ad Nicolaum Pontificem misit, ut ab eo litteras communionis acciperet. Adonis litteræ ad Nicolaum Papam.

JESU CHR. AN. 860. pam, & Pontificis ad Adonem.

ret. Extat Nicolai epistola ad eum cum pallio missa, quæ litteris ejus perlectis, aliquali mœrore se affectum fuisse Nicolaus Papa ait, *eo quod quatuor synodos observantes, quintam, & sextam prætermiseritis*, & ut mentem suam eo de argumento clarius explicaret, jubet. Pallium interea ab eo petitum misit, ac privilegia Viennensis ecclesiæ olim concessa, epistola altera confirmavit, ad quem etiam aliæ plures inscriptæ sunt, ut infra dicturi sumus; prima tamen Nicolai Papæ epistola ad eum data a Baronio anno 863. inserta, Labbæi diligentiam fugit, quam ideo in ejus collectione invenire nequaquam potuimus, & si duos ad ejus epistolas appendices addiderit.

Nicolai ep. apud Labb. tom. 8. pag. 567.

Variæ Normannorum irruptiones.

11. Cum non tam frequentes, quam annuæ in Galliis Normannorum, seu Danorum irruptiones essent, pacem ab iis hoc anno Carolus, tribus millibus argenti libris oblatis redemit, ait Annalista Bertinianus, cujus summæ exactionem subdit, *de thesauris ecclesiarum, & omnibus mansis, ac negotiatoribus etiam pauperrimis, ita ut etiam domus eorum, & omnia utensilia adpretiarentur, & inde statutus census exigeretur, fieri jubet &c.* His addit eosdem Danos, qui in Rodano sedem fixerant, audaciores factos Italiæ quoque limites ingressos; *Pisam civitatem, aliasque cepisse*, deprædasse, ac devastasse, cum nullam in iis tuendis curam infelices, & incauti Itali adhiberent.

JESU CHRISTI ANNUS 861. NICOLAI PAPÆ 4. LOTHARII IMP. 7. MICHAELIS IMP. 20.

Schismaticorum Concilium CPoli celebratum.

1. Hoc Christi anno 861. indictione nona signato CPoli Schismaticorum conciliabulum alterum celebratum fuit, quo Ignatii damnatio iterum conclamata est, & Photii electio confirmata, cui etiam Nicolai legati, vel minis concussi, vel muneribus illecti adfuerunt, itaut gloriaretur Michael Imp. eam synodum Episcoporum numero, & dignitate Nicænæ æqualem fuisse, ut Nicolaus Papa in epistola ad eumdem data his verbis testatur. *Igitur quia ad instar Nicæni venerandi, cœtum Concilii vestrum, qui in depositione Ignatii Patriarchæ affuistis, totidem numerari fere dicitis, miramur. Et quid prodesse consideramus ejus numeri collegium posse, ubi ipsius sententiæ prævaricantur, cujus & numerus imitatur?*

Nicolai ep. 5.

JESU CHR. AN. 861.

tur? Quod nou laude quam reprehenſione dignum ducimus, qui omnino magis peccatis eſt cumulus, ubi multiplex fuerit agmen prævaricatorum. Ita quidem Photius miræ in rebus gerendis dexteritatis, & calliditatis effecit, ut ad ſynodum Conſtantinopoli congregandam, vocarentur legati Sedis Apoſtolicæ una cum maximo Epiſcoporum numero, ut quo minus veritate polleret, numero ſaltem prævaleret. Nominavit autem ipſe hanc ſynodum ob numeroſitatem ſuam & præſentiam Legatorum Romani Pontificis Œcumenicam. Ita apud Theodorum Balſamonem eam appellatam invenies, dum eam interpretatur. Cæterum ipſe Nicolaus Papa ſynodum hanc hec nomen Synodi habere voluit, in qua omnia, ut in ſilva per latrones, per vim & metum ſunt acta, vim facientibus miniſtris Imperatoris Legatis Apoſtolicæ Sedis, ut depoſitioni Ignatii aſſentirentur. Quinimmo idem Pontifex conventum hunc ſatanæ, latrocinalem Synodum appellare conſuevit, idque multiplici nomine; primo quidem ob illa, quæ in ea Ignatius paſſus eſt, deinde quia Legati Apoſtolicæ Sedis minas & terrores perpeſſi ſunt, & litteræ Apoſtolicæ falſatæ a Photio in eadem ſynodo ſunt recitatæ.

Quid Ignatius ibidem paſſus ſit.

2. De geſtis autem ibidem acturi, primo, quæ, quantave a nefariis viris paſſus ſit Ignatius videamus, de quo Niceta in ejus vita, eumdem ab exilio Melitinenſi revocatum fuiſſe narrat, multaſque ærumnas, tum in exilio, tum in reditu eum ſuſtinuiſſe addit a Niceta regii exercitus Drungario, cognomento Oryphas, qui ut rem gratam Photio faceret, variis miriſque modis ſanctum virum in itinere vexavit; Photius autem conciliabulum ſuum in Apoſtolorum Templo congregaſſet, ubi Imperator cum Principibus, & tota fere urbe aderat: *Cum igitur conveniſſent, primum quidem Bahanem Præpoſitum, Augurium, Cucumerum videlicet nuncupatum, & alios quoſdam Romanos abjectos homines ad Ignatium mittunt apocriſarios. Qui cum acceſſiſſent, ajunt illi: Magna & ſacra Synodus te vocat ad ſe: Veni quam primum reſponſurus ad ea quæ juſte & injuſte tibi objiciuntur. Tunc B. Ignatius: Dicite, inquit, rogo vos, quomodo veniam, ut Epiſcopus, vel ſacerdos, vel famulus? Hi vero dixerunt, ſe neſcire quid ad hæc reſpondere deberent. Sed audi: Nunc diſcendentes, ad eos qui nos miſerunt, revertemur,*

Ignatius ad ſynodum vocatur.

JESU CHR. AN. 861.

mur, & certum responsum afferemus. Crastina itaque die iidem accedentes dicunt: Legati antiquæ Romæ Rodoaldus, & Zacharias per nos indignos hæc significant tibi, ut ad sanctam & generalem Synodum incunctanter venias, ut tua tibi dilectat conscientia. Quam primum igitur ille pontificalibus indumentis ornatus, cum Episcopis, & sacerdotibus, & magno numero monachorum & secularium hominum discessit, pedestris incedens. Cum vero appropinquaret templo S. Gregorii Theologi, ubi Crux in marmorea columna in media via publica erecta est: Joannes Patricius cognomento Coxes illi obviam fit, inquiens, quod ab Imperatore missus fuerat illi comminando, quod nisi consueto habitu monastico procederet, mortis illi pœna imminebat. Quod cum Ignatius fecisset, illi revertentes concilio retulerunt. Et jam aderant septuaginta duo falsi testes, quos multo antea paratos habebant, homines videlicet impios & gregarios omnes, quibus præerat Leo ille Patricius, Creticus nuncupatus, necnon Theodotachius etiam ipse Patricius, cui pro perjurio mercedem proposuerunt Magistri dignitatem: cum quibus & alios ex omni genere hominum, præsertim pauperrimos, cum collegissent, quin etiam ex iis qui Anabaptistæ nuncupantur, & ex omni ordine (ut breviter dicam) turpissimos quosque & sordidissimos dignitatum pollicitationibus conduxerunt, singulos adducentes, ut jurejurando affirmarent, quod Ignatius ille videlicet, qui duodecim paulo minus annis Ecclesiæ præerat, nullo rite eligendi ordine consecratus, Ecclesiam occupaverat.

Sententia in Ignatium lata.

3. Tam vaga accepta & admissa accusatione, quasi Principum favore, & potentia sedem invasisset; sicuti Photio contigerat; Apostolorum canon coram synodo lectus est, quo habetur. *Si quis Episcopus mundanorum Principum favore usus, per eos ecclesiam obtinuerit, deponatur*; alteram canonis partem, qua cum eo communicantes deponuntur, ne in se ipsos sententiam ferrent, nam Episcoporum plurimi ab Ignatio ordinati fuerant, malitiose præterierunt. His vero Anastasius in præfatione ad octavam synodum addit, insimulatum quoque fuisse Ignatium, quod in sanctum Methodium prædecessorem suum contumeliosus fuerit, quod sane falsissimum fuisse idem Anastasius probat. *Post multa igitur verba tum contentionem & moras*, sequitur Nicetas, *secundum nullam justitiæ legem, sed sola potentia furiose utentes*,

JESU CHR. AN. 861.

tes, exuunt Ignatium veſtibus quas habebat, lacerit & ſordidis illum induentes pontificalibus indumentis, quibus deinde verſa vice expoliant. Erat autem ſubdiaconus quidam mente inſanus, quapropter Ignatius Patriarcha illum antea de gradu clericali dejecerat: hic primus auferens Ignatio ſuperbumerale, & reliqua indumenta pontificia, clamabat, ut moris eſt. INDIGNUS. *Zacharias autem & Rodtaldus, & alii quidam profani eaſdem mittentes voces iniquæ illi ſententiæ ſimul ſubſcripſerunt.* Hic finis damnationis Ignatii in latrocinali illa ſynodo factæ, quæ autem hæc ſequuta ſint, ſuo loco inferius, rerum geſtarum ſervato temporis ordine, dicturi ſumus. Hanc ſynodum poſt Paſcha celebratam fuiſſe Nicetas his verbis indicat, cum de Photio ſubjungit. *Suggerit Imperatoribus, ut Ignatius ad ædem Apoſtolorum deductus, primus exauctorationem ſuam ipſe publice pro ambone legat &c. Pentecoſte ſancta dies complebatur, cum ecce tibi armatorum manus domicilium in quo degebat corona præter omnium expectationem repente cingit,* ut iterum ad ſynodum duceretur; At Ignatius ſervili indutus veſte, cuſtodibus deceptis aufugit, ut pluribus in ejus vita idem Nicetas narrat, & cum nocte obſcura navem ascendiſſet, ad Proconeſi inſulas, & Propontidis navigavit, *Aliam ex alia mutans, & in ſolitudine errans, & montibus, & ſpeluncis, atque foraminibus terræ;* Photius vero *ſua ſpe fruſtratus, omnia monaſteria, & omnem civitatem inquirebat, ſicubi invenire poſſet Ignatium, tamquam facem a conſpectu ignis avulſam. Dum igitur nihil eorum quæ volebat perficere potuiſſet, Imperiali mandato gravem illum Orypham deſtinat, ut cum ſex curſoribus inſulas omnes, & maritimam regionem percurrat, & ſicubi Ignatium capere contigerit, quam primum occidant, quaſi totius Imperii perturbatorem & everſorem.* Sed quæ poſtea contigerunt, cum nutu Dei eum habitu mutato latentem, quamvis aliquando proxime accedentes, invenire minime potuiſſent, reverſi præda vacui Conſtantinopolim, idem Nicetas ſic ſubdit. *Menſis Auguſtus inſtabat, & tremoribus magnis Conſtantinopolitana civitas concutiebatur, & cum omnis domus agitaretur, omnes timor mortis occupabat, clamantes unam eſſe terræmotus hujus cauſam, unum peccatum & impietatem, quæ adverſus Patriarcham Ignatium exercebatur.*

Ignatius ſub habitu mentito aufugit.

JESU CHR. AN. 861. *Quadraginta vero diebus cum duraſſet terræmotus, ita eorum ſævitiam repreſſit, ut Principes, Michael ſcilicet & Bardas juraverint, quod neque ipſe ſacer vir Ignatius exul, neque ii apud quos latebat, ſi manifeſtaretur, malo ullo forent obnoxii, ſed illi liceat abſque moleſtia ad ſuum reverti monaſterium. Hæc igitur cum audiſſet Chriſti athleta Ignatius ſeipſum manifeſtat quam primum Patricio illi Petronio, qui dum Imperatoris avunculus eſſet ex matre, torquem ipſam Imperatoris cum attuliſſet, obſidis inſtar, præbuit Patriarchæ. Hic vero eam collo ſuſpendens, ad Bardam illum delatus ſtetit. Cui ille: Cur, inquit, inſtar fugitivi cujusdam ad aliam ex alia regione percurrens peregrinaris? Hic ergo inquit: Chriſtus Rex & Salvator noſter præcepit, ut ſi vos perſecuti fuerint, ex hac civitate fugite in aliam, ille itaque victus virtute illius viri, illæſum & immunem præcepit in ſuo manere monaſterio, & ita terræmotus quievit.* Hucuſque de Ignatio Nicetas, ea adnotans, quæ hoc anno contigerunt.

Libellus Romam miſſus pro Ignatii cauſa. *Labb. to. 8. pag. 1263. Jerem. cap. 9.*

4. Totius tragœdiæ hactenus geſtæ ſeriem narrat Theognoſti monachi libellus Ignatii nomine ſcriptus, & ad Nicolaum Papam miſſus, quo primum de iis, quæ ante conciliabulum, quo depoſitus fuit, deque causa perſecutionis adverſum ſe excitatæ adnotat. *Quis dabit capiti meo aquam*, ut ait ſcriptura, *& oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo ea, quæ mihi contigerunt mala, & perſequentium me barbarum immanitatem? In frigore enim, & nuditate, & fame, & omnibus aliis malis inſtar furiarum me exagitarunt, quindecim quidem diebus in frigidiſſimo loco, & tempore brumali, ſecreta videlicet apud ipſos parte clauſum detinuerunt, & vinctum, rebus neceſſariis, & omni conſolatione privatum, præſertim cum gravi morbo jam detinerer, immaniter nihilominus me trahentes, etiam membra omnia mihi fuſtibus comminuerunt. Qua vero de cauſa hæc mihi contigerunt? ecce jam aperio*, atque totam Ignatii cauſam retractans, narrat ſe Imperatoris, & Bardæ odium incurriſſe, eo quod inceſtas Imperatoris nuptias reprobaſſet, eaque de cauſa plagis, & exilio affectum fuiſſe addit.

Quæ paſſus ſit Ignatius.

Ignatius, legatis Nicolai recuſatis, ad

5. His ea ſubdit, quæ geſta ſunt, cum Ignatius ad ſynodum vocatus, ibidem adfuit, uti ex actis ſupra narravimus, deinde de dictis a ſe, vel geſtis cum Rodoaldo & Za-

& Zacharia Nicolai legatis CPoli', hæc ſubdit. *Interea colloquio habito petii, ut mihi liceret ſalutare Rodoaldum, & Zachariam tuos legatos. Qua re mihi conceſſa, illos ſalutavi. Interrogavi etiam de cauſa illorum adventus. Qui dixerunt: legati ſumus Papæ Nicolai, & miſſi ſumus, ut res tuas judicemus; iterum interrogavi, an litteras haberent ſanctitatis tuæ. Qui reſponderunt, non habere, quoniam non veniebant ad Patriarcham, ſed ad eum, qui a propria ſynodo jam fuerat damnatus: & parati erant ea facere, quæ Canones præcipiunt. Ad hæc ego: Adulterum igitur Photium primum e medio tollite: ſi vero hoc facere non poteſtis, nec judices eritis. Ipſi autem iterum reſponderunt: Ita vult ille, Imperatorem videlicet indicantes*; cumque ſæpius eum rogaſſent, ut ſponte ſedi ſuæ renunciaret, nec obtinuiſſent, iterum ut concilio, cui Nicolai Papæ legati aderant, ſe ſiſteret, ortati ſunt. *Ego vero dixi*, ait Ignatius, *quod illuc non accederem. Neque enim videram judices illos, legatos ſcilicet aliquid juxta Eccleſiaſticas regulas facere, cum adulterum & intruſum Photium ab Eccleſia non ejicerent, ſed potius cum illo comedebant, & cujus munera jam diu acceperant (nam apud Rhædetum urbem illis obviam miſſæ ſunt veſtes ſacræ multæ:) quapropter tales judices nullo pacto ego accipio, ſed ad Papam me adducite, & inde judicium libenter accipio*, ac ex Innocentii Papæ primi in cauſa Chryſoſtomi, & ex Sardicenſis concilii canone, illegitimam Photii ordinationem, pendente appellatione ad Romanam ſedem, fuiſſe diſerte probavit. Quare poſt multa in ſuam cauſam dicta, & in adulterum Photium, quem ex laico paſtorem, & ab excommunicato ordinatum fuiſſe narrat, cujus etiam in ſui depoſitionem tyrannice geſta commemorat. Tandem Nicolai Pontificis auctoritatem, patrociniumque implorans, ſubdit. *Hæc brevibus verbis tibi manifeſtavi. Tu vero ſanctiſſime domine, oſtende in me viſcera miſericordiæ, & juxta illum magnum Paulum dic etiam. Quis infirmatur, & ego non infirmor; in mentem revoca prædeceſſores tuos Patriarchas Fabianum inquam, Julium, Innocentium, Leonem, & ut breviter dicam, omnes, qui pro veritate adverſus injuſtitiam viriliter ſe geſſerunt, & hos imitare, & ad vindictam noſtri, qui tot injuſta paſſi ſumus, exurge.* Hactenus libellus ad Nicolaum miſſus: libelli vero auctor

JESU CHR. AN. 861. ipſum Pontificem appellat.

2. *ad Corinth.* 11.

JESU CHR. AN. 861. & lator Romam tardius advenit, quem ideo Nicolai Papæ legati, & legatio ab Michaele Imp. missa prævenerunt.

Quid Nicolai Papæ legati CPoli passi fuerint.

6. Antequam vero reditum legatorum Nicolai Papæ Romam enarremus, quas CPoli injurias pertulerint, quamque turpiter minis territi, victas tandem dederint manus, ac Ignatii depositioni consenserint, videamus; postquam centum ibidem dies absque audientia detenti fuerunt, ut anno proximo diximus, gravioribus etiam minis eos tentatos fuisse, Nicolaus Papa in epistola ad Michaelem Imp. his verbis narrat. *Pervenientes igitur isti missi nostri CPolim, minis Imperii tui (sicut ipsi postea nonnumquam fatebantur) deterriti, & horrendis terroribus impulsi, spretis monitis nostris, contemptis & epistolis sibi a nobis coram tota Ecclesia nostra datis, imo posposito timore Dei, sicut postea claruit, in contrarium verterunt omnia quæ sibi fuerant imperata.* Hæc ipse. Inter alia autem terricula, illud non leve fuit, quod missi sunt aliqui nomine Imperatoris significare iisdem Legatis Apostolicæ Sedis, quod nisi in omnibus obsequerentur voluntati ejus, fore ut in exilium longe longius ablegarentur, ubi sic ageretur cum ipsis, ut fame coacti suos cogerentur manducare pediculos. Habentur ista in alia epistola ad Photium a Nicolao Pontifice data. Cæterum aliquamdiu restitisse Legatos, ne damnaretur Ignatius, testatur idem Pontifex Nicolaus, qui illis in mandatis dederat, ut non consentirent depositioni Ignatii, nec probarent ordinationem Photii. Quapropter cum non solum ecclesiæ canones, tam in depositione Ignatii, quam in ordinatione Photii ex laico in Episcopum ab Gregorio Siracusano olim Episcopo excommunicato ordinatum, violati fuerint, omniaque ibidem per vim gesta, Latrocinalis synodus eadem congregatio a Nicolao Papa dicta merito fuit, de qua hæc etiam in eadem epistola octava ad Michaelem Imp. data addit. *Illi qui tunc convenerunt contra jam dictum venerabilem virum, aut suspecti, & ab hinc & nudus tertius inimici ejus erant, aut excommunicati, aut depositi, aut subjecti ipsius Photii, aut certe inferioris dignitatis extiterunt, quorum omnium nullus personam legitimorum judicum habere sine dubio poterat.* Et inferius aliquot ex ipsis qui primum locum tenere videbantur, nominat dicens:

Nicolai ep. 9.

epist. 8.

Qui fuerint in causa Ignatii judices.

Quis

JESU CHR. AN. 861.

Quis de conſidentibus ibidem non de prædictis extitit hæreticis atque ſchiſmaticis? Nonne Gregorius Syracuſanus millies condemnatas? Nonne Eolampius, Petrus, item Petrus qui pro nefandis actibus ſuis & ore confeſſis, depoſitionem, deinde anathema inciderunt, & alii quos enumerare longiſſimum eſt? Ecce quales inter cæteros erant qui contra præfatam regulam centum quinquaginta Patrum, os contra venerandum patrem ſuum aperire non ſunt veriti. Et cum eſſent ligati, ligare, & cum eſſent mortui, & in ſuis penetralibus jam fœtidi, virum per totum mundum redolentem mortificare conati ſunt, & malæ opinionis nidore aſpergere tentaverunt. Et poſt multa de Epiſcopis Photio tantum ſubjectis, ita: *Hic autem (ut de Patriarchis omittamus) nec unus Epiſcopus civitatulæ, aut quilibet ignotæ perſonæ adverſus tantum pontificem ſententiæ extitit promulgator, qui non de ſuffraganeis, & ſubjectis ejus fuerit.* Sed ea quoque ex parte Latrocinalis dicta eſt ſynodus illa, quod (ut juſte queritur Nicolaus in judicio ſacerdotum) contra Canones ipſe Imperator eidem intereſſe voluit, uti Michaeli ſcribens Nicolaus exprobrat Conſtantini magni exemplum adducens, qui Epiſcoporum querelas, interpellatus, audire recuſavit.

De litteris Apoſt. Sedis a Photio falſatis. epiſt. 9.

7. Poſt plurima de litteris ſuis interpolatis, ſeu potius a Photio falſatis, & in latrocinali ſynodo lectis, in altera ad Michaelem Imp. epiſtola cujus initium eſt. *Quanto ſunt majora beneficia Dei*, hæc iterum Nicolaus Papa adnotat. *Quia ſuperius de falſatæ epiſtolæ per jam dictos tunc Rodoaldum, & Zachariam Epiſcopos ad te directæ ſcriptura memoriam fecimus, reſtat ut partim loca in quibus falſata eſt, inſpectis exemplaribus Græcis, quæ nobis per Leonem miſiſti, noſſe tribuitur aperiamus*, ac cuncta, quæ ibidem de Ignatii cauſa erant, prætermiſſa, cetera vero pro lubitu detruncata, ac commutata fuiſſe conqueritur, ut ibidem videre eſt.

Litteris Apoſt. Sedis nonnulla addita.

8. Nec ſolum in Apoſtolicis litteris nonnulla dempta, aut mutata fuerant, ſed etiam ad epiſtolæ finem periodum addiderant, quo contraria penitus iis, quæ legatis dederat Pontifex in mandatis, ſtatuiſſe, videretur. Unde Nicolaus Papa. *Noviſſimus epiſtolæ locus*, ait, *in quo nos quidem legatis noſtris commendantes, amplitudinem tuam apre-*

JESU CHR. AN. 861. *precati fueramus, de ipſis inter alia dicentes: Et cum in conventu Eccleſiæ ſederint pro Eccleſiaſticis definitionibus, nihil a vobis, vel ab aliis alicujus contrarietatis impetum ſentiant. Vos vero protinus ſubintuliſtis, quaſi non his continuatim ſubjunxiſſemus, perhibentes: A vobis enim quæ hujuſcemodi ſunt diſpoſitionis, & ſtatuta ſint & definita. Hoc præcepto, veſtra, utinam Deo placens, ſagacitas innuere volens, quæcumque a Legatis noſtris ſtatuta fuerunt, & definita, nos ſtatuiſſe & definiſſe per omnia dignoſcamur, qui tamen ſcriptus verſiculus nec a nobis prodiit, nec eis præter quod ad ſacras imagines pertinet, & id quoque irreprenſibiliter definiendum, ſive ſcripto, ſive verbo terminare quidquam vel deliberare præcepimus. Ita eſſe quæ diximus ſuperius a nobis annotatis ſententiis, teſtificantibus exemplaribus ejuſdem epiſtolæ noſtræ*; Deinde poſt aliqua, hæc de reliquis: *Cetera vero quæ ſuperſunt, per Legatos noſtros, quod ad divinitus protectum imperium tuum ecce direximus, inſpectis immutilatis exemplaribus, quæ illis tranquillitati; tuæ demoſtranda tradidimus, facillime potes agnoſcere* ac plura in tanti ſceleris deteſtationem addit. quæ nihilhominus apud Græcos frequentia fuiſſe dicit, ut ibidem videre eſt, vel apud Baronium.

Photii in Ignatium, alioſque ſævitia.

9. Nec minor Michaelis Imp. aut Bardæ Cæſaris in ea ſynodo ſævitia fuit, aut crudelitas, quam Photii, de quibus hæc scribit Nicolaus Papa in ſententia adverſus eumdem Photium lata in concilio Romano. *Poſtremo Epiſcopos, qui ei tamquam adultero, & pervaſori communicare noluerunt, exilio relegavit, & ſceleris complices in eorum ſubrogare locis non timuit. Et uſque hodie Eccleſiam Dei diverſis perſecutionibus impugnare non deſinit, ita ut & fratrem & Coepiſcopum noſtrum Ignatium ſanctiſſimum Patriarcham inauditis pœnis, & horribilibus tormentis afficere non quieſcat, ſed & omnes quotquot pro veritate & Fide cum eodem perſiſtere comprehenderit, quibus prævalet modis, perdere impræterm iſſe moliatur.* Cujus crudeli animo cum ſumma potentia non deeſſet, quam acerbe ſit perſecutus Catholicos, vix dicere quiſquam ſufficiet. Ex quibus complures captaſſe fugam, extorreſque ob ejus tyrannidem factos, Romam tamquam ad portum confugiſſe, idem Nicolaus affirmat.

10. Cum-

10. Cumque in hac eadem synodo post confirmatam Ignatii depositionem, & Photii ordinationem, de retinendo sanctarum imaginum cultu actum quoque fuerit, in diversis actionibus, sive sessionibus gesta in duas synodos distinxit Theodorus Balsamon, cum canones in ea vulgatos recenset. *Canones editi*, ait, *a sancta, & magna CPolitana synodo prima, & secunda, quæ congregata est in venerabili Templo sanctorum Apostolorum &c.* Utque synodo auctoritatem conciliaret, collectionem canonum, & SS. Patrum testimonia, & auctoritates vulgavit; quam Nomocanonem appellavit, attexuitque post septimæ synodi canones alios numero decem & septem de ecclesiastica disciplina tractantes, quorum postremus de laicis ad Episcopatum cito non promovendis erat. Ita quidem Photius, ex laico Episcopus, vulneri medelam afferre cupiens, ne imposterum ejusdem exemplo id fieret: cujus canonis idem Photius meminit in epistola ad Nicolaum Papam data, qua factum suum excusans, se antea id canone aliquo vetitum fuisse, ignorasse ait; utque rebus etiam suis consuleret, canone altero statutum est, ut quilibet Episcopus, vel Presbyter, qui se a Patriarchæ sui communione separaverit, Sacerdotio privaretur, ut eos, qui ejusdem communionem averšabantur, synodi auctoritate secum communicare compelleret, aut canonis auctoritate deponeret. Sed de latrocinali, ut eam appellat Nicolaus, synodo hoc anno CPoli celebrata hactenus.

Jesu Chr. an. 861. Canones in synodo CP. vulgati.

11. De reditu legatorum Nicolai Papæ Romam, deque gestis post eorum reditum a Nicolao dicendum superest, de quibus idem Pontifex in epistola ad universos Episcopos Patriarchatui CP. subditos, & ad Clerum CP., postquam ibidem gesta exposuit, hæc post plurima subdit. *Missi præterea nostri tandem reversi, mihi nil aliud renuntiavere, nisi depositum Ignatium, & Photium in sede Constantinopolitana firmatum. Post duos vero dies Legatus a nobis Imperialis, nomine Leo a secretis susceptus, duo volumina obtulit, quorum unum depositionis Ignatii gesta continebat, alterum vero de sanctis imaginibus habebat Acta. Per quæ videlicet cognovimus, quia nec Imperator epistolam nostram, qua fratrem & Coepiscopum nostrum ad solam audientium ante conspectum Missorum nostrorum accersiri decreveramus, in de-*

Post reditum legatorum Romam, quid Nicolaus gesserit. *Nicolai ep. 10. pag. 354.*

JESU CHR. AN. 861.

depositione ipsius consacerdotis nostri, quæ prius sicut putabatur facta, ostendit: nec iidem Missi nostri parilem ejus, ac per omnia consimilem, quam eis in Episcoporum conventu recitare jusseramus, demonstrare curaverunt. Sed nec quantum in eisdem voluminibus in Latinum sermonem ex Græco translatis reperitur, ordo legitimus & a sanctis Patribus usitatus in lectione ipsius epistolæ extitit observatus; quamvis ex his, quæ in conventu, qui posterius pro sacris imaginibus collectus est, ex ea lecta sunt, nonnulla addita, multa mutata, plura subtracta reperiantur; & per omnia talis effecta sit, ut aut nihil, aut parum aliquid nos per eum de crebro dicti comministri nostri Ignatii dispositionis causam videremur: Quidquid enim de ipsius recessu vel præjudicio, quidquid de sententia non a Romano Pontifice secundum morem in eum prolata, quidquid de violatis paternis definitionibus, quidquid de Photii scripseramus irregulari promotione, saltu quodam calliditatis transcendentes, etiam sanctorum Patrum instituta, quæ sancti Spiritus afflatu sunt edita, ne ad Concilii pervenirent notitiam, more suo, falsidici transcenderunt, & cum divinitus tributa talenta fuerint, velut in quodam sudario ligata, sub terra penitus absconderunt, atque litteras se ab Leone Imperiali legato accepisse addit, quibus ut depositioni Ignatii, ac Photii ordinationi consensum suum præberet, rogabatur, quod tamen se numquam facturum testatur. Litterarum autem Photii hoc initium est. *Charitate vere nihil venerabilius esse, aut præstantius, & communibus sententiis concessum est, & sacris eloquiis testatum*: & post multa de charitatis præstantia, donisque ex ea provenientibus, objurgationes sibi Nicolao Papa factas patienti animo tulisse adnotat subdens. *Quoniam nihil prohibet, quominus & fratres cum fratribus, & cum patribus filii in vero dicendo libertatem obtineant (nihil enim amicius veritate) licet & nobis libero sermone uti ac scribere non contradicendi studio, sed defendendi voluntate. Oportuisse nempe vestram in virtute præfectionem, ante alia omnia confiderantem invitos nos ad hoc jugum tractos esse, non increpare, sed misereri, nec despicere, sed condolere. Misericordia enim & humanitas iis, quibus affertur vis, debetur, non objurgatio aut contemptus. Vim enim subjimus: quantum autem, Deus, cui omnia*

Photii epist. ad Nicolaum Papam.

omnia etiam occulta aperta sunt, ipse simul scit: inviti detenti sumus: in custodia æque ac sontes habiti, custodiis observabamur: suffragium de nobis, nobis renuentibus, latum: creati sumus flentes, quærentes, ipsi nosmetipsos ferientes & afflictantes, sciunt hæc omnes: non enim in angulo facta sunt; ac impressionis, & (ut ita dicam) obtrectationis magnitudo historiam ad omnes pertulit. Quid igitur oporiet in eos, qui multa gravia & acerba passi sunt, invehi, objurgare, conviciis appetere potius quam misereri, & pro viribus consolari. Dein quanta cum dignitate nominisque sui celebritate, hactenus cum viris doctis vitam duxerit, narrat, ac per vim, invitumque ad Episcopatum promotum, hæc omnia perdidisse, longa oratione deplorat; Tum *canones*, inquit, *violati sunt, quod ad Pontificatus fastigium e laicorum ordine ascendisti. At quis violavit? is qui vim irrogavit, an qui per vim, & invitus attractus est, sed resistere oportuit. Quousque? restiti enim, & plusquam oportuit. Quod si sic non previdissem, infestorum ventorum procellas seviores fore, restitissem etiam usque ad ipsam mortem. Quales autem canones hi, quorum asseritur prævaricatio? quos ad hunc usque ad diem Constantinopolitanorum Ecclesia non accepit. Illorum dicitur transgressio, quorum tradita est custodia, quæ vero tradita non sunt, ea non custodita, transgressionis non inferunt crimen. Satis erant quæ jam exposui, ac multo etiam plura quam conveniebat. Nec enim ad hæc adductus sum, ut me justa defensione commendarem. Quomodo enim aliter esse posset; cum optabile mihi esset omnimodis hac procella liberari, & hoc levari onere? sic ergo sedis appetens sum, sic vehementer eam retineo. Non enim a principio quidem oneri thronus fuit, progressu vero temporis expetitus est: sed quemadmodam ingressus sum invitus, sic invitus sedeo. Quod autem initio mihi vis facta sit, cum ex aliis, tum ex hoc demonstratur, quod a principio usque adhuc velim cedere hac sede. At si mihi grata scribenda erant; non oportuit benigna, ceteroqui & laudabilia scribi: Accepimus, lætamur, & gratias agimus sapientissimo Deo, qui Ecclesiam gubernat. Hoc vero ex laicorum ordine, laudabile non est, idcirco ambi qui adhuc sumus, & perfectum assensum in Apocrisariorum nostrorum reditum distulimus. Verum scribi debuit, omnino non assentimur, non probamus, non accipi-*

JESU CHR. AN. 861.

Photii excusatio, eo quod ex laico fuerit ordinatus.

JESU CHR. AN. 861.

mus, nec vero umquam accipiemus; qui accurrit, qui præſulatum nundinatus eſt, qui non eſt juſtis ſuffragiis factus in omnibus improbum. Abi hac ſede, & de paſtoris munere. Qui ita ſcripſiſſet, mihi ſcripſiſſet jucunda, quamvis falſa pleraque. An vero oportebat, qui in ingreſſu affectus erat injuria, in egreſſu itidem injuriam accipere? & qui aliena protervia invitus ad hæc inciderat; magis etiam præciſe ac proterve expelli. Qui ſic affectus eſt, quique hæc cogitat, non valde curat, nec laborat de calumniis propulſandis, quarum hæc poteſtas ſola eſt, ut ei thronus adimatur.

Exemplis ordinationem ſuam, Photius tuetur.

12. His porro non ſine commoti in Nicolaum Pontificem animi indicio, adnotatis; hanc de Neophito non ordinando legem, neque ubique notam, vel receptam fuiſſe ſcribit, præclaroſque ſedis ſuæ prædeceſſores commemorat. Nicephorum, ſcilicet, & Tarafium, qui cum laici eſſent CPolitanam ſedem adepti, ſanctiſſime eamdem rexerunt eccleſiam, nec eadem ab omnibus exigi addit, quod Abrahæ, & Melchiſedech exemplo confirmat, qui ambo Deo accepti fuerunt, alteri tamen, ideſt Abrahæ circumciſionem Deus præcepit, quod a Melchiſedecho non exegerat. Eamdemque diverſitatem in canonum obſervantia in eccleſia quoque vigere addit: itaut *legitimis nuptiis Præſbyter Romæ uxori conjunctus non invenitur; nos vero eos, unico conjugio vitæ ſua moderati ſunt, edocti ſumus in Preſbyterii gradum efferre*, sicque alibi Diaconos in Epiſcopos, prætermiſſo Presbyterali ordine, ordinari ait, alibi vero id nefas eſſe fatetur, ac poſt alia: *Ita ubi nulla eſt prævaricatio fidei, nec communis & catholici decreti everſio, cum alii apud alios mores, & leges cuſtodiantur; nec cuſtodes injuſte agere, nec eos, qui non acceperunt, contra legem facere is, qui recte judicare norit, definiat &c.* Hæc, & alia plurima in eamdem rem, ut probet pro temporum, locorumque varietate, diverſam eſſe eccleſiæ diſciplinam; nec ſupra allato exemplo Nicephori, & Taraſii contentus, qui ex laicis CP. Epiſcopi ordinati fuerant, Ambroſii etiam inter latinos celeberrimi, & Nectarii CPolitani Epiſcopi, & Gregorii Nazianzeni, patris Gregorii Theologi, & Tharaſii Cæſarienſis exemplum affert, adnotans, quod non ſolum ex laicis Epiſcopi electi ſunt, ſed etiam

cum

cum nedum baptiſmate abluti eſſent, uti in Ambroſio contigerat.

JESU CHR. AN. 861.

13. Hæc autem defenſione non ſui, ſed eorum, qui antea ex laicis Epiſcopi CP ordinati fuerant, ſe ſcripſiſſe ait, ac ſe, ne ad impoſterum id fieret, canone prohibuiſſe. Nam de ſe ipſo: *De nobis autem unum dictum eſt, ac dicetur. Inviti huc adducti ſumus: uſque adhuc retinemur, & ſedemus, demonſtrantes autem nos obtemperare paternæ veſtræ charitati, aperteque oſtendentes, non contentionis cauſa hæc dicta eſſe, ſed beatorum noſtrorum Patrum purgationi, aſſenſi ſumus, ut ſynodice promulgaretur, ne poſt hac ad Epiſcopatus ſublimitatem confeſtim extollentur, qui ex laicis, vel monachis crearentur, niſi per ſacros deinceps gradus procederent &c.* Hæc de canone in ſynodo CPolitana edito de Neophitis non ordinandis, vel laicis, multiſque de munere paſtorali, ac periculis, ob plebis levitatem, corruptoſque mores, ob hæreſes ubique eaſque varias in Oriente, & in eccleſia CPolitana graſſantes, adnotatis, ad ea quæ Nicolaus Pontifex ad Imperatorem ſcripſerat pro reſtitutione provinciarum Illyrici, quæ ab Rom. eccleſiæ Metropoli avulſæ, CPolitano Patriarchatui ſubjectæ jamdiu fuerant, facilem aſſenſum iis ſe præbiturum Photius profitetur, niſi Imperio res communis eſſet: *Si quod volebamus in noſtra fuiſſet poteſtate ſitum, nec negotium cum Imperio divifum fuiſſet, dicenda cauſa non eſſet, ſed ipſa res, quæ cauſæ diſſione ac omni defenſione eſt potior, eſſet exhibita. Quoniam vero Eccleſiaſtica, & maxime jura, quæ de regionibus ſunt, & finibus, ſolent cum Reip. poteſtate ac adminiſtratione mutari: veſtræ religionis æquitas, noſtram ad concedendam aſſenſionem probant, id non obtinuiſſe, Reipublicæ adminiſtrationis, non noſtrum putet eſſe crimen &c.* Etenim libenter ſe juri ſuo cedere paratum eſſe addit. *Nam qui mihi aliquid eorum, quæ non habeam addit, is plus imponit oneris, curam enim & ſollicitudinem a me poſtulat, qui vero eorum, quæ mihi erant, aliquid in ſe transfert, gratiam a me init, levius enim mihi præfecturæ onus facit &c.* Hæc quidem Photius, modeſto viro digna, ſi dictis geſta conſenſiſſent.

De muneris paſtoralis periculis, & difficultatibus.

14. Tandem Pontificem rogat, ut canonum memor, non tam facile eos, qui ex Oriente devotionis prætextu Romam confugiebant, reciperet: *Canonum cuſtodia* ait, *a quo-*

Ne ab Oriente profugi Romæ recipiantur rogat.

JESU CHR. AN. 861.

vis bono debetur, magis vero ab iis qui divinæ providentiæ dignatione alios regunt, omnium sane maxime, quibus in eorum numero Primatus obtigit. Quare vestra debet amabilis beatitudo ecclesiasticam disciplinam ac modestiam in omnibus curæ habens, & canonicam tenens rectitudinem eos, qui sine commendatitiis litteris ad Romanam Ecclesiam hinc proficiscuntur, non temere ac fortuito recipere, nec sinere hospitalitatis specie odii fraterni jaci semina; nam quotidie ad vestram paternam sanctitatem eos, qui velint adire, & pretiosis ejus frui vestigiis, hoc mihi valde amabile est, ac multis aliis rebus anteponendum: at sine nostra scientia, & absque commendatitiis litteris peregrinationes nullo ordine suscipi: id nec nobis, nec Canonibus, nec vestro integerrimo judicio est acceptabile; variis etiam criminibus obnoxios, sub hoc prætextu canonicam vitare vindictam adnotat; *Habent enim*, ait, penæ effugium, *Romam sub orationis prætextu proficisci*. At de longiori Photii epistola ad Nicolaum data, hactenus, quam stylo doloso scriptam fuisse adnotat Baronius, animadvertens hac sua apologia Photium omnes expleſse numeros Phariseorum, quos dominus in evangelio acriter increpavit, quod mundarent, quæ foris erant, dum omitterent graviora.

Bar. n. 56. Matth. 23.

CPoli hactenus gesti Nicolaus Papa revocat.

15. Quid autem his a Photio litteris acceptis, aliisque ab Imperatore per Leonem legatum missis egerit Nicolaus, idem Pontifex in epistola ad Ignatium his verbis significat: *Dum apud nos idem Leo Imperatoris missus adesset, convocata tota, quæ apud nos est, ecclesia*, ideſt synodo, *professi sumus coram ipso, sicut & profitemur, pro dejectione vestra, & confirmatione Photii numquam mississe, numquam missuros esse: & in depositione vestra, vel promotione Photii numquam consensisse, numquam consensuros esse, & hæc sæpius dicta, & palam annunciata, atque in Apostolatus nostri epistolis taliter inserta, tam excellentissimo Imperatori Michaeli, quam Photio, destinatis præfato Leoni a secretis decretis deferenda tradidimus*. De iis vero quæ postea in hac causa Nicolaus Papa egit, vel scripsit, anno proximo, & sequentibus dicemus.

Concilium Rom. adversus Joannem

16. Dum hæc adversus contumacem Photium Nicolaus ageret, eadem animi constantia Joannis Ravennatis Archiepiscopi audaciam fregit, Ravennæ Archiepiscopos Exarchorum

rum primo, deinde Francorum auctoritate munitos, adversus Romanam ecclesiam non semel rebelles fuisse, supra adnotavimus. Horum exempla secutus Joannes, etsi multorum scelerum reus esset, Nicolai tamen Pontificis admonitiones, minas, ipsamque excommunicationem, Imperatoris protectione innixus spreverat, sed tandem a Ludovico Imp. ejectus, & Nicolai judicio remissus, vel invitus ab eo veniam petere, legemque accipere coactus fuit, de quibus Anastasius, qui his fortasse interfuit, hæc narrat. *Interea multi Ravennatum, qui a Joanne ejusdem urbis Archiepiscopo in rebus, & juris sui proprietatibus incommoda sustinebant, ad hunc beatissimum Papam, ut a tantis oppressionibus erueretur, veniebant. Quorum pie clamores audiens, ipsum Legatis suis & litteris sæpius Archiepiscopum, quatenus talibus cederet actibus, commonuit. Sed ille mente confusa, monita pii Patris contemnens, pejora prioribus addere minime contemnebat. Quanto autem benigna inspectio summi Præsulis illum, ut resipisceret admonebat, eo magis ad deteriora se divertebat, & super iniquitatem addere non desinebat. Nam quosdam temere excommunicabat, quosdam autem a visitatione Sedis Apostolicæ avertebat: & quorumdam res sine legali judicio occupabat; necnon & sanctæ Romanæ Ecclesiæ plurima prædia auferebat: Missos illius spernebat, & gloriam B. Petri Apostoli, quantum in se erat, evacuabat; præcepta etiam juris sancti Petri, si apud quoscumque inveniebat, frangebat, & ad jus sancti Apollinaris transferebat. Nam presbyteros & Diaconos non solum subjectos, sed etiam per Æmiliam constitutos, ad Apostolicam Sedem pertinentes sine canonico judicio deponebat, & alios carceri, alios autem fœtidis ergastulis retrudi faciebat, alios crimen quod non fecerant, confiteri cogebat. Constituta præterea Ecclesiastica absque Sedis Apostolicæ consensu deprimebat. Et vocatus a summo Pontifice Romam, se ad Synodum non debere occurrere jactitabat. Nec mirum cum postea ista fecerit, qui cautiones & indiculos, quæ solita sunt ab Archiepiscopis Ravennatibus in scrinio fieri initio consecrationis suæ, more Felicis decessoris sui falsavit; & quædam barbara scripta, quædam vero falsa composuit. Eodem tempore Papa prædictus ter ad Synodum suis litteris eum vocavit, & ille venire contemnens, a sancta Synodo communione privatus est.*

JESU CHR. AN. 861. Ravennatem Episcopum. *Anast. to. 1. pag.* 410.

JESU CHR. AN. 861.

est. Deinde Papiam pergens, Imperatoris auribus Ludovici Cæsaris molestiam intulit; solamenque mundanum quæsivit. Tunc largiente ei Augusto Legatos præcipuos, cum illis superbiæ repletus tumore, Romam pervenit; sed Pontifex almus, quod contra sacrorum Canonum regulas excommunicato ipsi Legati communicaverant, benigne eos redarguit. Illis autem quæ egerunt deflentibus, eidem Archiepiscopo a Domino conservandus Papa mittebat, ut in Kalendis Novembribus ad Synodum; a qua fuerat excommunicatus accurreret, plenamque satisfactionem ostenderet, necnon tantis prævaricationibus finem imponeret. Ille autem noluit, sed retrorsum abjens recessit. Quare interpellatus iterum Nicolaus Papa ab Æmilienſibus, & Ravennatenſibus, ut Ravennam tranſiret, ac Joannis tyrannidem comprimeret, horum votis annuens Pontifex, cuncta ab illo ablata reſtituit, Joannes vero ante Pontificis adventum Papiam iterum tranſierat, Ludovici protectionem imploraturus. At eum Luithardus Epiſcopus Papienſis, civeſque ejus urbis, utpote a Pontifice excommunicatum eo uſque averſati ſunt, ut neque eum, ſocioſque ejus ad colloquium admittere vellent, ac ab Imperatore repulſam paſſus, & ut Romani Pontificis judicio ſe ſubjiceret, hortatus, tandem vel invitus ceſſit, Romamque profectus, ſatisfactione Pontifici oblata, in communionem receptus eſt. Hactenus Anaſtaſius, qui præterea meminit Concilii Romani hoc anno in eadem cauſa celebrati, exhibens conditiones a Nicolao Papa appoſitas, quibus Joannes ſubſcripſit, ut Apoſtolicæ Sedis gratiam, communionemque promereretur; ejuſdem concilii acta auctiora a Bacchino inventa tomo ſecundo rerum Italicarum parte prima Muratorius inſeruit. Synodo Epiſcopi triginta ſex ſubſcripſerunt, deinde Presbyteri, & Diaconi Rom. eccleſiæ, quorum ibidem nomina recenſentur.

Altera Rom. ſynodus iterum Joannem Ravenn. Epiſc. excommunicat.

17. Joanne tamen in ſua pertinacia perſiſtente, vel redeunte, biennio poſt, anno nempe 863. altera Romana ſynodus habita eſt, in qua non ſolum de eccleſiarum depræ-dationibus, & Epiſcoporum vexationibus, ſed etiam a Nandeciſo Polenſi Epiſcopo hæreſis accuſatus fuit, cumque ſynodo adeſſe recuſaſſet, Patres excommunicationis ſententiam in eum tulerunt, ac capitula aliquot Romana ſynodus edidit, quibus primo Theopaſſianorum hæreſis condemnatur, deinde ſtatuta Leonis quarti Papæ, & Stephani quarti de electione & con-


image
not
available

JESU CHR. AN. 861.

ſane etiam Euxinum) *igni deſolarent, ac quaſi indagine, Regiam ipſam urbem* (*Michaele in expeditione adverſus Iſmaelitas occupato*) *cingerent. Verum hi quidem abunde Dei ira exſaturati, Photio, qui ad Eccleſiæ gubernacula ſedebat, Deum exorante, Urbique propitium reddente, domum rediere, nec multo poſt Legatis in urbem miſſis, divinum efflagitantes Baptiſmum, etiam impetravere &c.* Variaſque clades quibus ea ætate Orientalium Imperium vexabatur enarrat, plures ſcilicet barbarorum incurſiones, ac continui terræmotus quorum uno, die Aſcenſionis D. N. Jeſu Chriſti in Cœlum, *Exabrupti tertiam partem ſolo proſtravit*, ait auctor, murorum, ſcilicet urbis CP., ut ex Ducangio, adnotat Pagius. Ejusdem Ruſſorum excurſionis, & devaſtationis meminerunt ceteri auctores Græci, inter quos Leo grammaticus in chronographia; in Michaelis autem Imp. vita, addit, quod dum urbi inſtarent, Michael cum Photio Patriarcha, clero, & populo ad Templum Beatæ Virginis in Blanchernis oraturus intravit, ac paulo poſt, gravi exorta tempeſtate, Ruſſorum naves pene omnes naufragio perierunt; Nicetas vero in vita Ignatii. *Ea tempeſtate*, ait, *Rhoſſi, gens Schytarum a Ponto Euxino ad Stenum*, ſeu ad fretum CPolis, *excurſione facta, omnem circa regionem, omniaque monaſteria depopulati ſunt: Inſulanorum quoque Bizantinorum per populationem vaſa omnia diripuerunt, argentum abſtulerunt, captos ad unum omnes trucidarunt, ipſius denique Patriarchæ* (Ignatii ſci licet) *cœnobia barbarico furore & impetu incurſantes, tota ſupellectili direpta ſpoliarunt, duoſque ſupra viginti ex familiariſſimis captos in uno navigii trochantere omnes ſecuribus trucidarunt.*

Leo gramm. p. 463.

Ruſſi in fide ſuscepta non perſeverant.

20. Photius etiam in epiſtola ad Patriarchales ſedes Orientis, apud Baronium an. 863. num. 41. poſtquam de Bulgarorum baptiſmo verba fecit, de Ruſſis ſubdit. *Non ſolum gens iſta*, ideſt Bulgarorum, *a priori ſua impietate ad Chriſti fidem converſa eſt, verumetiam quod apud multos ſæpe numero eſt dictitatum, gens illa, quæ crudelitate, ac cædibus omnes ſuperat, qui Ruteni dicuntur, quique infinitos populos ſibi ſubjecerunt, & propterea multum elati adverſus Romanum Imperium manus injecerunt, nihilominus etiam iſti puram & immaculatam Chriſtianorum religionem, depoſita ſua illa Ethnica & impia ſuperſtitione, quam antea ſeque-*

quebantur, noſtram fidem ſuſceperunt &c. At eadem Ruthenorum gens, in varias tribus diſtincta, quæ Chriſti fidem hoc tempore ſuſceperat, paulopoſt in Idololatriam relapſa eſt, nam ſeculo proximo exeunte, cum iterum iis Chriſti evangelium prædicatum fuit, vix inter eos chriſtianus quisquam inventus eſt, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Bulgari Christi fidem suscipiunt. *Leo Gramm. pag. 462. Porphyrog. in vita Michaelis Imp. num. 14.*

21. Celebriores Ruſſis, ac in retinenda ſuſcepta fide conſtantiores fuere Bulgari quorum ad Chriſti fidem converſionem hoc tempore narrant Curopalates, Leo Grammaticus, Porphyrogeneta, ceterique ſcriptores. De his ſummatim hæc Zonaras narrat. *Soror Bulgariæ Principis aliquando capta, dum in aula degit, ſacro baptiſmate eſt initiata, & litteris erudita. Eam frater* (Bogoris a Porphirogeneta vocatus) *repetitam recepit*, ac pro ſorore; *Reddito viro erudito Theodoco Vuphara*, (quem Porphyrogeneta Monachum fuiſſe dicit). *Quæ cum in Bulgariam rediiſſet, fratrem ad Chriſtianam religionem perducere ſtatuit, aſſidue de ea cum illo diſſerens, & Chriſtianorum Myſteria, ut divina celebrant. Quamvis autem ille eadem e Cuphara quoque audiviſſet, non prius tamen a patriis moribus recedere voluit, quam peſtilentia, fames & ipſum, & gentem ad pietatem perduxit. Quæ cum populum univerſum premeret, neque ullum eſſet mali effugium, plurimis pereuntibus: Princeps ea de cauſa æger & animi dubius ad eum confugit, qui ſibi a ſorore annunciabatur, eumque depulſorem famis, & interitus populi invocat. Quæ invocatio cum depulſis malis efficax fuiſſet, cognita invocati numinis potentia, petiit mitti ſibi aliquem, a quo arcanis chriſtianæ religionis eruditus, ſacro Baptiſmate initiaretur. Idque miſſo Pontifice factum eſt. Cum autem eum Bulgari ob deſerta majorum inſtituta per ſeditionem e medio tollere conarentur, ille præcedente Crucis ſigno fretus, victis adverſariis effecit, ut omnes Chriſtianiſmum amplecterentur. Deinde per Legatos ab Imperatrice petiit, ut quia gens ſua locorum anguſtiis premeretur Romani agri aliquid ſibi concederetur, perpetuam pacem, & belli ſocietatem pactus. Annuit Imperatrix, & quidquid inter regionem, quæ Ferrea dicitur, ac prius Romanos, & Bulgaricos fines diſtinguebat, ac Debelzum interjacet, eis conceſſit. Eam regionem Bulgari cum acceppiſſent, Lagoram appellarunt.* Hæc ex Porphyrogeneta Zonaras, in eo tamen corrigendus, quod horum ali-

JESU CHR. AN. 861.

qua non ſuo tempore adtribuit; nam Leo Grammaticus, & Simeon Logotheta aliquanto poſtea id contigiſſe produnt, anno ſcilicet quarto Michaelis, cum ſolus imperaret, unde Simeon Logotheta. *Ejus Imperii*, inquit, *anno quarto Michael Imperator cum Cæſare terra marique adverſus Goborem*, (alii Bugarem dicunt, & quidem rectius) *Bulgarorum Principem copias eduxit, Bulgari apparatu audito, ac cum alias fame conficerentur, quaſi tacti e Cælo obrigeſcentes, omnique abjecta victoriæ ſpe ante etiam agones & prælia, nomen Chriſto dare depoſcunt, ac Romano ſubeſſe Imperatori, Michael vero in urbem inductos, ſalutari omnes lavacro donavit, eorumque Principem ex ſuo nomine Michaelem appellavit.* His de Bulgarorum rebellione in Principem ob mutatam religionem, deque victoria obtenta, & agris ab Imperatore conceſſis, nonnulla addit, quæ ex Zonara narravimus. Eos autem hoc tempore, cum Michael ſolus imperaret, ac Photius, Ignatio ejecto, Patriarchalem ſedem teneret, chriſtianam Religionem amplexos eſſe idem confirmat Photius in epiſtola ad Michaelem Bulgariæ Principem, de officio Principis, qua eum *dilectum filium, ac partus ſui ſpiritualis verum & genuinum genema* appellat, utpote quem baptiſmate eidem collato, in Chriſtum genuerat.

Prudentii Tricaſſini Epiſc. obitus.

22. De Prudentii Tricaſſini Epiſcopi obitu, hæc ad hunc annum adnotat Annaliſta Bertinianus. *Calindo cognomento Prudentius Tricaſſinæ civitatis Epiſcopus, natione Hiſpanus apprime litteris eruditus, qui ante aliquot annos Gotheſcalco Prædeſtinatiano reſtiterat, poſt felle commotus contra quoſdam Epiſcopos ſecum hæretico reſiſtentes, ipſius hæreſis defenſor acerrimus: indeque non modico inter ſe diverſa, & fidei adverſa ſcriptitans, moritur; ſicque licet diutino languore fatigaretur, ut vivendi, & ſcribendi finem fecit:* Hæc Annaliſta Hincmaro Remenſi, Gotheſcalchi acerrimo adverſario impenſe favens. De Prudentii operibus, quæ extant in bibliotheca Patrum, plura videri poſſunt vel apud Cellierum, Odinum, Caveum &c. præceteris vero apud auctores hiſtoriæ litterariæ Galliæ tom. 5. pag. 243. ſeqq.

Biblioth. PP. tom. 15. pag. 468. ſeqq.

Gisla Abbatiſſæ obitus, & nepotis oblatio.

23. Monaſterium Salvatoris, & Sanctæ Juliæ Brixiæ in Italia, novum dictum, rexit ad hunc uſque annum Gisla ſoror Ludovici ſecundi Imp., qui filiam ſuam, nomine Gislam, Deo vovit, atque in eodem cœnobio ſub monaſtico habi-

habitu consecravit, eo pacto, ut cellas, & curtes, ad ipsum monasterium pertinentes, diebus vitæ suæ possideret, regeretque secundum institutionem sancti Benedicti; &, si forte ante matrem decessisset, mater ejus abbatissa Ansilberga hæc omnia usu-fructuario itidem obtineret. *Data idibus Januarii, anno imperii domni Cludovici piissimi Augusti XI. indictione IX. Actum Brixia civitate.* Non diu supervixit Gisla abbatissa, soror Ludovici, mortua quinto Kalend. Junias ejusdem anni, uti discimus ex diplomate ipsius Imperatoris, dato pridie idus Januarias anni sequentis, quo diplomate sanctimonialibus ejusdem loci quædam prædia donat, ut ipso die congrua eis refectio exhiberetur. Idem Ludovicus hoc anno jura, & possessiones omnes monasterii Bobiensis confirmavit ad preces *Amalrici Cumensis ecclesiæ Episcopi & Abbatis Bobiensis, Actum Maringo Palatio regio, nonis Octobris, anno ejus Imperii undecimo, indictione nona.* Hæc Mabillonius ad hunc annum, qui singulis fere annis exemplum aliquod donationum, aut privilegiorum Monasteriis Galliæ, aut Italiæ exhibet, quæ longum esset exscribere, sicuti, & alia plurima ejusdem generis a Muratorio, tum in annalibus, cum in collectione maxima rerum Italicarum.

Jesu Chr. an. 862.

JESU CHRISTI an. 862. Nicolai I. Papæ an. 5. Ludovici Imp. 8. Michaelis Imp. 21.

1. Cum ecclesiasticæ æque, ac civiles res, tum ob Photii superbiam, cum ob Michaelis Imp. cum Barda Cæsare tyrannidem, morumque fœditatem turbatæ Cpoli hoc tempore essent, igne primum, deinde terræmotu urbs regia concussa est. Nam ut in vita Ignatii narrat Nicetas, *eodem etiam tempore*, quo in sanctum virum persecutio fervebat, ut anno proximo diximus, *Incendium magnum in Templo S. Sophiæ* fieri contigit: Dici *autem nullo pacto potest, quot damna vicinis attulerit. Nihil tamen horum ad pœnitentiam agebat eos, qui impie se gerere decreverant.* Quare cum in malecœptis perseverarent, ac Pharaone pejores, qui ad flagella non semel commotus est, graviori eos flagello ira Dei percussit, nam subdit Nicetas. *Præterea Ascensionis Dominicæ festivitas agebatur, & vespera ter-*

Incendio, & terræmotu CPolis afflicta.

JESU CHR. AN. 862.

remotus sequutus est, omnium, qui umquam fuerunt, maximus, qui totam sequentem noctem duravit. Vox etiam & sonus interticulatus e terra, & mari emittebatur, qui cordibus hominum metum & horrorem injiciebat, præsertim cum Juslini columna e genibus concisa decidisset &c.

Basilius Episc. Michaelem redarguens, male vexatur.

2. Eo autem usque Michaelis Imp. perversitas, & insania processerat, ut res quoque sacras ludibrio haberet, & scurrilibus ministeriis ageret, quem, ut ab his abstineret, cum admonuisset Basilius Cretæ olim Episcopus, ac ob Agarenorum incursionem Thessalonicam translatus. *Ille* ideft Michael, *admonitione offensus, validis pugnis verberando illius faciem, seni illi dentes radicitus excussit, nec non terga illi flagris oneravit, ut parum abfuerit, quin mortuus fuerit* ait Nicetas, ac subdit. *Hæc autem non curabat mercenarius Photius, quin ipse gaudebat iis, quæ fiebant, & una cum mimis frequentius conveniens, & convivans, neque ab illorum exercitio, & contemptu procul aberat.*

Cyrillus cinædus falsus Patriarcha dictus.

3. Inter cetera quippe probrosi hominis facinora, rebus sacris illudere familiare ipsi fuisse Nicetas, aliique narrant. *Hæc igitur*, ait Curopalates in Michaele Imp. *omnia homini odium concitabant, omniumque in ipsum iram merito conciliabant, quod pessimum est, Cinædorum ipsum comitantium societas, & ad omne turpe facinus paratorum. Quos ille in honore habens & colens, divinis vero illudens, & insultans, sacras vestes auro contextas induit & clamydes, turpiterque & impure cogebat res divinas peragere, castissimaque mysteria; istorum principem, Cyrillum nomine, Patriarcham vocans; & reliquos undecim Metropolitas, se quoque unum e sacerdotibus fieri voluit, qui Præsul Coloniæ appellabatur. Cumque oporteret eos canere, mysteriaque perficere, cithara cantiunculas absolvebant, nunc sensim quodammodo & levi voce resonantes, nunc incitata & clara, perinde atque in sacris cerimoniis sacerdotes sacrorum hymnorum voces edere consueverunt, habebantque vasa inaurata, & pretiosis lapidibus ornata, quæ aceto, & sinapi implentes, iis, qui sumerent, porrigebant, ad hanc modum sacrosancta & impolluta mysteria irridentes.* Hæc de Michaelis Imp. insania, religionisque contemptu Curopalates, dum adhuc Theodora mater in Palatio esset, cui etiam aliquando, tanquam in scena illusisse addit, dum ad se vocatam, ut benedi-

JESU CHR. AN. 862.

dictionem a Patriarcha acciperet, atque illa humi se prosträsset, repente falsus Patriarcha apparuit, qui *crepitum ventris emittit, verbaque proprio ore digna protulit &c.* Eademque fere Nicetas in vita Ignatii. *Etenim sordidissimos quosdam homunciones & prophanissimos, & Scurras cum delegisset a Spiritu sancto alienos, sicut e contra adversario spiritu plenos, agens ipse Imperator, sacerdotes, & Pontifices sine ulla religione & reverentia ordinavit. Inter quos Theophilum quemdam Protospatharium hominem ridiculum, & histrionem, & omnium impurorum impurissimum quasi Patriarcham illis præponendo nominavit, risum sibi ipsi, & cacchinum impurum execrabilis Imperator comparando, & risu dignus propter ea, quæ ab ipso patiebatur sancta Dei Ecclesia, & Dei nomen blasphemabatur inter gentes. Ita vero gaudebat hac sua insania & gloriabatur Imperator, ut neque eum puderet hæc publice dicere, quod mihi quidem Patriarcha est Theophilus, Photius vero Bardæ, christianis vero Ignatius*, atque hæc Photio, utpote mercenario, cui id tantum cordi erat, ut Michaeli, & Bardæ gratificaretur, nil curæ fuisse adnotat. At quem Curopalates mimicum Patriarcham ante annos aliquot Cyrillum dixerat, Theophilum Nicetas appellat, quia fortasse eo mortuo, vel submoto, hunc alterum ei Michael subrogaverat.

4. Nicolaus interea Pontifex, acceptis anno proximo a Michaele Imp., & Photio litteris, reversisque legatis suis, quos CPolim miserat, auditisque quæ ab Photio adversus Ignatium Patriarcham hactenus gesta fuerant, Apostolico vigore excitatus, nefariis Photii gestis consensum suum se nequaquam præbiturum esse, plurimis in eam rem datis epistolis, testatus est, quas Leoni Michaelis legato, dum CPolim rediret, tradidit; duas tantum, & ne integras quidem referre sat erit, quarum primam ad Michaelem Imp., alteram ad Photium ipsum longiori epistolæ acceptæ respondens, dedit, die 18. & 19. Martii indictionis decimæ, uti in fine litterarum legitur. Itaque in epistola ad Imperatorem Ignatii depositionem, & Photii ordinationem reprobat, eamdemque a legatis suis temere confirmatam fuisse addit, ac multa pro Ignatio, ac contra Photii electionem affert, quam nequaquam cum Nectarii, aut Ambrosii electione comparandam esse probat, ac concilium CPoli celebratum, in quo

Nicolai Papæ gesta, & scripta adversus Photium.

Nicolai epistola ad Michaelem Imper. epist. 5.

Igna-

JESU CHR. AN. 862. Ignatius depositus fuerat, cum Nicæno primo, in quo Ariana hæresis damnata est, temere æquari adnotat, quia peccatum augetur, *ubi multipliciter fuerit agmen prævaricatorum &c.* ac tandem Imperatorem hortatur, ut ecclesiæ perturbatores compescat, ac epistolam suam CPoli missam in pluribus mutatam, ac depravatam fuisse conqueritur. *Sed & hoc vestræ clementiæ*, inquit, *intimare curavimus, quia sicut in vestris actis Apostolicæ sedi, & nostro Pontificio directis insertum invenitur, nescimus cujus fraude, vel dolositate epistola nostra ad vos directa fraudata est. Et non solum quia in vestra præsentia secundum illius textum, vel ordinem relecta non est, sed plura excerpta, quibus intellectus ipsius epistolæ mutatur, quam si coram vestræ majestatis præsentia scrutari jusseritis, in aliquibus eam mutatam, atque fraudatam locis reperietis &c.*

Nicolai epistola ad Photium num. 6.

5. Litteris autem anno proximo a Photio acceptis respondens Pontifex, hanc inscriptionem epistolæ posuit. *Nicolaus Episcopus servus servorum Dei, prudentissimo viro Photio.* Tamquam vero laico, nulloque ordine legitime insignito, etsi se pro CPolitano Patriarcha gereret, ejusdem vero initio plurima de Romanæ ecclesiæ dignitate, & Primatu supra ceteras orbis adnotat, ad quam tamquam ad caput Universitas credentium doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem, qui digni sunt, & gratia Dei redempti exorant, ideo se ecclesiarum omnium sollicitudinem gerere addit. *Et consequens esse, ut quod ab hujus sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione, propriis tantum sequendo voluntates, removetur, sed firmius atque inconcussa teneatur.* Cumque suam ex laicali statu in Episcopum ordinationem, Nectarii, Tarasii, ac Ambrosii exemplo excusare Photius conatus esset, quantum sua ab eorum ordinatione distaret, per plura Nicolaus Papa persequitur, ac tandem. *Ecce*, inquit, *propter necessitatem & inopiam clericorum assumitur Nectarius: ecce propter Ecclesiastica dogmata & hæreticorum expugnationem, qui venerandas deponere imagines præsumpserunt, Tarasius: ecce per miraculorum signa Ambrosius, ad regendas Ecclesias promoti sunt. De vobis autem, quibus perplures auctoritates Conciliorum, atque decreta sanctissimorum Pontificum resistunt, quid aliud est sentiendum, nisi inopinatam a vo-*

JESU CHR. AN. 862.

vobis consuetudinem adoleviſſe credendum, & ſecundum ſanctorum Patrum ſententiam, non ſolum quia ex laicali ordine contra canonicas auctoritates ad regendam Conſtantinopolitanam eccleſiam ſubito tranſvolaſtis; ſed etiam quia vivente viro & incolumi perſiſtente, videlicet religioſiſſimo Ignatio Patriarcha, cathedram illius, ſcilicet Conſtantinopolitanam Eccleſiam, ut mœchus, furripuiſtis, & invadere præſumpſiſtis, poſtponentes illud quod ſcriptum eſt: Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris: & ideo veſtræ conſecrationi, æquitatis libramina tenentes, aſſenſum præbere, quia enormiter, & contra ſanctorum Patrum inſtitutiones peracta eſt, minime præſumimus.

Photii excuſationes Nicolaus refellit.

6. Ad id autem, quod Photius ad excuſandas in peccato ſuo excuſationes, in epiſtola ad Nicolaum Papam adnotaverat, ſibi ſcilicet Sardicenſis concilii canones ignotos fuiſſe, ignotaque Romanorum Pontificum decreta, quibus laici repente Epiſcopos ordinari prohibetur, nil id cauſæ ſuæ favere admonet, cum ignorare non debuiſſet Apoſtoli canonem. *Nemini cito manum impoſueris. Quod ſi ea non habetis*, ſubdit, *de neglectu atque injuria eſtis arguendi, ſi habetis, & non obſervatis, de temeritate eſtis corripiendi, & increpandi*, nec eum, uti ſcripſerat, invitum ordinatum fuiſſe animadvertit, cui ſeveritatem, quin potius ſœvitiam in eos adhibitam, qui in Ignatii depoſitionem ſubſcribere renuebant, exprobrat. *Et ſicut illum in priſtino honore manſurum, ſi ei damnationis crimina non comprobantur, ſancta Romana retinet Eccleſia; ſic vos qui incaute, & contra paternas traditiones promoti eſtis: in Patriarchatus ordine non recipit, neque ante juſtam damnationem Ignatii Patriarchæ in ordine ſacerdotali vos manere conſentit. Quod non ideo veſtra arbitretur dilectio, contra vos invidiæ cauſa, aut exoſos vos habendo, nos agere, atque incongrue contra veſtram ordinationem exardeſcere; ſed ducti zelo paternæ traditionis, volentes ſanctam Conſtantinopolitanam Eccleſiam, quæ pro ſui ſtabilitate, atque firmitate, cenſura ſanctorum Patrum, ad hanc ſanctam Romanam Eccleſiam ſolito more percurrit, ſine macula, ſine reprehenſione, aut aliqua tranſgreſſione il. læſam conſiſtere, & ea quæ Eccleſiaſticis regulis obviant, reſecare &c.* Ad varias autem conſuetudines, quas in eccleſiis vigere dixerat Photius, iis quidem nullatenus ſe obſta-

ad Timoth. 1. 5.

re

JESU CHR. AN. 862.

re ait Nicolaus, *ſi illis canonica non obſtet auctoritas*, cujuſmodi ea erat, qua ex laico quiſquam ordinaretur Epiſcopus. *Quam etiam noſtra Apoſtolica tantum abigit cenſura, quantum hanc temere recognoſcit præſumtam*, ac tandem injurias, vexationeſque legatis ſuis CPolim miſſis Photio exprobrat, quarum auctorem fuiſſe non dubitabat. Data eſt die 17. Martii indict. 10.

Nicolai epiſtolæ encyclicæ ad omnes Episcopos. *epiſt. 1. & 4.*

7. Alias quoque per eumdem Leonem ad Imperatorem litteras dedit, cujus ſupra mentionem fecimus, alias ad Patriarchas, cunctoſque Epiſcopos, ac totius eccleſiæ fideles encyclicas dictas, quibus de geſtis a ſe hactenus in hac cauſa certiores reddidit, iiſque non ſolum primas litteras per Rodoaldum, & Zachariam ad Imp. Michaelem, & ad Photium datas inſeruit, ſed etiam Romæ geſta, ac has alteras ad eoſdem ſcriptas, iiſdemque epiſtola altera, quæ ad omnes fideles inſcripta legitur, non ſolum geſta hactenus ſummatim refert, ſed eos admonet, ne Ignatium pro depoſito haberent, vel Photium tamquam eidem legitime ordinatum recognoſcerent. Unde poſt plurima. *Igitur dilectiſſimi fratres*, inquit, *ſanctitati veſtræ, qui catholicas Alexandrinorum, Antiochenorum, vel Hieroſolymorum gubernatis Eccleſias, ſeu cunctis Orientalibus Metropolitis, atque Epiſcopis luce clarius, expreſſiuſque ſignificamus, quoniam Sedes Apoſtolica nullo pacto venerabilem Ignatium Patriarcham dignitatis propriæ nudari privilegio tam improvide patitur: ſed magis repulſo a ſanctæ Catholicæ & apoſtolicæ ſacro Eccleſiæ viſcere, pervaſore conjugis (ut ita dixerimus) viri viventis, ſceleſtiſſimo videlicet Photio, ſanctiſſimum Patriarcham Ignatium in ſacerdotii ſui dignitate manere, ſicut olim ſtatuit; iterum quoque canonico & legali examine judicat & decernit. Et ut vos hujus Sedis privilegium ſervantes rite, pari religione Catholici, pari etiam nobiſcum ſuper venerabilis Ignatii Patriarchæ ſacerdotii recuperatione, & Photii pervaſoris expulſione eadem ſentiatis, Apoſtolica auctoritate vobis injungimus atque jubemus. Et ut hujus præſulatus noſtri paginam in cunctis parochiis veſtris ad omnium faciatis notitiam pervenire; atque de hac re, juxta Apoſtolicæ Sedis definitionem prædicari curetis aliis, ipſique ſimiliter incommutabiliter teneatis; paterno amore præcipimus.* Data habetur epiſtola eodem anno, & menſe, die tamen decimanona ejuſdem menſis Martii,

tii, eadem decima Indictione. Easdemque litteras per Leonem Imperatoris legatum datas missasque fuisse, idem Nicolaus in epistola ad Michaelem Imp. testatur.

JESU CHR. AN. 862. *Nicolai epistola 7.*

8. His inter Nicolaum Pontificem, & Michaelem Imp. ac Photium CPolitanæ sedi incubantem, transactis, classicum quodammodo belli, quin & diuturni schismatis, quo Orientalis ecclesia ab Occidentali divulsa fuit, conclamatum est, nam Photius, cum totis viribus sibi Occidentales Episcopos cum Nicolao Papa adversari cognovit, nullum non movit lapidem, ut Ignatium perderet, vitaque privaret, nam eo sublato, ut ei in ea dignitate succederet, facilius pro bono pacis, unitatisque retinendæ causa, consensum suum sibi daturum fore Nicolaum, Photius arbitrabatur, cumque nullum in Ignatio crimen inveniret, falsum, illudque gravissimum. Majestatis scilicet læsæ, imposuit. Nam ut narrat Niceta: *Una enim die hospes quidam eo usque omnibus ignotus, monastico habitu indutus, Eustratius nomine, patriarchalem domum ex tempore ingrediens, binas fictas litteras in conspectu omnium attulit, quas sapientissimus ille Photius (ut deinde apertum omnibus fuit) dolose formaverat; alteras quidem ex persona Ignatii ad Nicolaum Papam, quibus illum docebat fusius de novitatibus, quæ contra ipsum gestæ fuerant, & de iniquitate Imperatoris; quas litteras, ut iste dicebat, cum Papa ipse nec intueri voluisset, inde illas iterum reportabat: alteras ad Photium ipsum a Nicolao Papa, apologiæ vim habentes, pro contentione, quæ inter eos interea orta erat, imposterum pacem & communionem quasi firmantes: Has cum ille Photius turbarum magister accepisset, quam primum Imperatori, & Bardæ contra innocentem Ignatium ostendit, & illos adversus eum irritat, hæc addens: Ignatius nequiter se habet adversus vestrum Imperium, & cum extraneis vos accusat, & calumniatur, & injustos nuncupat; quapropter justum esset, ut nec vivere permitteretur, dum talia adversus serenitatem vestram meditatur; horum vero esse apertam demonstrationem, litteræ ipsæ docent, quibus nihil nos quidem offendit, sed adjuvat potius, cum satis superque Papa sciverit veritatem, & pacem, & unionem nobiscum confirmarit. Non puto autem justum esse, ut vestrum Imperium ita ab ipso vituperetur, Hæc quidem sycophanta ille Photius. Quam primum vero custodes, & carcer Ignatio accusato & innocenti*

Photii in Ignatium insidiæ & calumniæ ex falsatis litteris.

JESU CHR. AN. 862.

præparantur, magna etiam fit inquisitio, an hæc ita se habeant. In medium igitur tabellarius ille adducitur, & ab eo petebatur, ut indicaret a quonam accepisset litteras ad Papam. Hic vero cum primum dixisset, quod Cyprianus ille Ignatii socius & litteras, & viaticum sufficiens illi dedisset, qui per mensem quæsitus, ut illum ostenderet, quisnam scilicet Cyprianus esset, nec unquam invenisset, quem non cognoverat, tandem deprehensus fuit tabellarius, quod neque Cyprianum, neque alium hominem Ignatii cognovisset. Cum itaque hoc pacto fraus ipsa deprehensa fuisset, & gravissimis verberibus tabellarius a Barda mulctatus fuit, quem cum sæpius Photius liberare contendisset, minus potuit. Hac iniquitate aperta jam facta, nullus erat, quin odio prosequeretur horum malorum auctorem Photium. Hæc Nicetas, atque de gestis in hac causa hoc anno satis.

De injusto Lotharii divortio cum Thetberga.

9. Cum de componendis Orientalis ecclesiæ dissidiis, sopiendoque schismate, ob illicitam Photii ordinationem exorto sollicitus esset Nicolaus Pontifex, non una, sed plures, æque graviores ex Galliis quæstiones ad sedem Apostolicam hoc anno delatæ sunt, quarum prima de injusto Lotharii Regis, & Lotharii Imp. filii cum Thetberga uxore sua divortio fuit. Is etenim juvenili abstractus concupiscentiæ ardore, quem cum Valdrada pellice jamdiu contraxerat, eam publice uxorem ducere præsumpsit. Quamobrem crimen confixit in Reginam Thetbergam, quam olim uxorem duxerat, eamque velut incestus ream cum fratre suo Heberto vulgavit. Nec incestuoso Regi defuerunt mali consiliarii, & quod turpius est, assentatores Episcopi, ut his verbis narrat Annalista Bertinianus, *Cæco amore illectus Lotharius, faventibus sibi Luitfrido avunculo suo, & Vultario, qui vel ob hoc maxime illi erant familiares, quod nefas est dictu, quibusdam etiam regni sui Episcopis consentientibus, coronat*, Valfradam scilicet, *& quasi in conjugem, & Reginam sibi, amicis dolentibus, atque contradicentibus copulat &c.*

Aquisgranensis synodus in eam rem habita. *Labb. concil. tom. 8. pag. 740. seqq.*

10. Id ut perficeret, Episcopos Regni sui non semel congregavit Lotharius, ac anno 860. Reginam in synodo Aquisgranensi falso crimine accusatam Lotharium eamdem, utpote adulteram apud se retinere non posse Episcopi dixerunt, ac publicæ pœnitentiæ damnatam in monasterio recludendam esse jusserunt, unde idem Annalista Bertinianus:

Lo-

JESU CHR. AN. 862.

Lotharius reginam ſuam Theutbergam irrevocabili odio habitam . . . ut ipſa coram Epiſcopis confiteretur, fratrem ſuum Hecbertum ſibi ſodomotico ſcelere conmixtum. Unde & pœnitentiæ continuo addicta eſt, atque in monaſterium retruſa. Regina in Epiſcoporum, Procerumque Conventu flagitium negavit, & laicorum nobilium judicio Epiſcoporum conſilio, ac Regis aſſenſu, procuratorem miſit ad Judicium aquæ ferventis, ut ſuam invocentiam Deo probandam ac vindicandam permitteret. Ex aqua ferventi homo illæſus exivit, ideoque Reginæ innocentia conclamata, eaque Regio conjugio, ac thoro digna renunciata, uti refertur in libro Hincmari Rhemenſis Epiſcopi de Divortio Lotharii, & Teutbergæ interrogatione prima: Conſultus quippe Hincmarus Rhemenſis ab Epiſcopis Regni Lotharii, acceptiſque actis ſynodi Aquisgranenſis, librum de divortio Lotharii, & Theutbergæ Reginæ ſcripſit vigintitribus interrogationibus, totidemque reſponſionibus conſtantem, cujus ſummam Natalis Alexander exhibet, eoque etſi non ſemel virum ab uxore, fornicationis cauſa ſeparatum, alias inire nuptias nequaquam poſſe aperte fateatur, ad alia nihilominus conjugia Lotharium tranſire poſſe admittit, ſi ſecundum leges chriſtianas forenſes, & eccleſiaſticas inventum fuerit, quod eorum conjunctio legalis non fuerit, cumque poſt menſes aliquot, aliæ ſeptem quæſtiones iterum Hincmaro ab iiſdem Epiſcopis pro eadem cauſa propoſitæ fuiſſent, eaſdem iterum dilucide Hincmarus ſolvit. At ne aperte iis contradicere videretur, aut Lotharium, adulatoreſque Regni ejus Epiſcopos offenderet, ſe nemini legem dare addit, *aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigere, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non poſſit, quam nec ipſe poteſt alterum ſingulariter judicare*. Hæc ex S. Cypriano Hincmarus, *ſalvo tamen*, ut ſubdit, *Apoſtolicæ ſedis*, & Nicolai Pontificis judicio &c.

Hincmari Rhemenſis epis. ſcripta de divortio. *Hincmari op. tom. 1. p. 561. edit. Sirmondi. Nat. Alex. diſſert. 9. ſecul. 9.*

11. Cum vero de tam præcipiti, ac injuſto judicio in Theutbergam ab Epiſcopis Regni Lotharii lato, quamplurimi obmurmurarent, non ſolum Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum conſulendum conſuerunt iidem Epiſcopi, ſed etiam Nicolaum Pontificem, ad cujus tribunal totam cauſam ſe deferre verbis ſaltem teſtati ſunt, ac miſſis legatis

Epiſtola Epiſcoporum ad Nicolaum Papam. *Jerem. 31.*

JESU CHR. AN. 862.

gatis ſuis Theugaudo Trevirenſi Archiepiſcopo, atque Attone Epiſcopo, quid in Aquiſgranenſi ſynodo geſſerant, expoſuerunt, ac ne calumniantibus geſta eorum aures præberet, antequam legati ab Lothario in urbem deſtinati adeſſent, Pontificem rogarunt, eaque epiſtola, quam integram exhibet Baronius, cum multa de Romanæ eccleſiæ dignitate præmiſiſſent, deque temporum ſuorum acerbitate, itaut jam nullum remedium ferat multitudo peccatorum, itaut juxta prophetam dicant; *Curavimus Babilonem & non eſt ſanata*, ad cauſam redeuntes hæc ſubdunt. *De cetero prævios noſtræ humilitatis apices veſtris ſacris obtutibus perferendos direximus, quia quorumdam relatione comperimus, quod veritatis æmuli, noſtrique ſenioris domini Hlotarii evidentiſſimi inimici, admodum adverſari velint in cauſa uxoris ſuæ, & hoc argumento fulſitatis, non modicas ordiri ſatagunt ſimultates, ſuoſque Legatos ad veſtram ſanctam dignoſcentiam mittere non verentur, & noſtram nondum definitam ſententiam ſiniſtra interpretatione pervertere conantur. Præſertim cum noſtra unanimitas de uxore noſtri Principis (ſi forte uxor dici debeat, quæ ſe germano inceſtu maculaverat) uihil aliud hactenus determinaverit, niſi quod perſpecto ſuæ confeſſionis libello, publice confitenti, remedio pœnitentiæ ſubvenire decrevimus. Inter hæc illa fuga lapſa: Unde humiliter petimus, ut veſtræ paternitatis, vereque charitatis anchoram ſolido figatis in litore, nullaque mendoſi flatus impulſione veritatis & juſtitiæ libra vacillet, ſed fidiſſimus almifluentis affatus, ſive affatus, præſcriptos Legatos domini ac ſenioris noſtri Hlotharii glorioſi Principis, & dilecti filii veſtri præſtoletur, ut fucata mendacia, nulli ſe gaudeant delituiſſe latibuli.*

Aquiſgranenſis ſynodus Lotharii nuptias cum Valdrada probat. *Concil. to. 8. pag. 740.*

12. Quid Apoſtolico vigore armatus in hac cauſa egerit Nicolaus Pontifex, paulopoſt dicturi ſumus; nunc reliqua in Galliis geſta, etſi inhoneſta, & probroſa, videamus; Nam iidem Epiſcopi Regni Lotharii, etſi ad Nicolaum Papam ſcripſiſſent, in ea cauſa nondum definitam ſententiam dixiſſe, ac *nihil aliud hactenus* decreviſſe, *niſi quod, perſpecto ſuæ confeſſionis libello publice confitenti, remedio pœnitentiæ ſubvenire decrevimus*: nihilominus audaciores paulopoſt facti, aut ab Lothario morarum impatienti, excitati, Aquiſgrani iterum anno 860. aut ſequenti congregati, ut Valtradam duceret Lothario licentiam dederunt,

runt, Synodi autem acta in compendium redacta hæc continent: Anno 862. *indict.* 10. *die tertia Kal. majarum ex vocatione domni Lotharii glorioſiſimi Regis, Archiepiſcopi, eorumque Epiſcopi Aquis convenerunt, videlicet Luntharius Agrippinenſis Archiepiſcopus, & ſacri Palatii Archipellanus, necnon & Theugaudus Trevirenſis Archiepiſcopus, Adventius Mediomatricorum Epiſcopus, Atto Viridunenſis Epiſcopus, Arnuiphus Tullenſis Epiſcopus, Franco Tungrenſis Epiſcopus, Hungarius Trajectenſis & Rotaldus Argentoratenſis*, omnes canes muti non valentes latrare, cum eorum nemo inventus ſit, qui Baptiſtæ zelum imitatus, impudico Regi diceret, non licet tibi dimiſſa uxore, alteram ſuperinducere, Regem quidem hortati ſunt, ut officii ſui memor opere compleret, quod gerebat nomine. Quibus Rex, ſe eorum obedire velle conſiliis, & rationabilibus obtemperare monitis promiſit, deinde libellum Epiſcopis obtulit, eorum conſilium, ac auxilium expoſtulans, quo narrabat, ſe cum Theutberga conjugio olim copulatum fuiſſe, eaque jam dimiſſa, juvenili abreptum concupiſcentia, incontinenter hactenus vixiſſe, ac *proprios cognoſcens errores, ut tentarum maculas culparum expaveſcens, atque exhorreſcens ſuppliciter confitendo veniam poſtulo, per vos a Chriſto remedium ſalutis exquiro*, deinde; Quidquid poſtea incontinentiæ fragilitate commiſi ſive neceſſitate, ſive voluntate, *veſtrum eſt opportune, & rationabiliter emendare, atque meum* eſt *libenter obedire*, & poſt aliqua. *Scio concubinam non eſſe uxorem, nolo habere illicitam, ſed licitam*: hæc, & alia ad Epiſcopos Lotharius, obteſtans, ſe abſque conjugali copula perſeverare non poſſe. Cumque jam Theugaudus Archiepiſcopus adſtantes Epiſcopos certiores feciſſet. *Quod juxta divinum, atque ſuum conſilium, ſi aliquid in adhibita ſibi concubina deliquit, eccleſiaſtico medicamine adjutus, ſecretis, jugibuſque hoc lacrymis, & vigiliis, & ſpiritalis continentiæ macerationibus, inſuper eleemoſinarum largitionibus* deleviſſet, nil ultra reſtabat, quam, ut putrens ejuſdem plaga, quæ ferro ſananda erat, pſeudoprophetarum exemplo, qui pulvinar ſub omni capite ponebant, Lotharii votis annuentes, ut Valdradam concubinam duceret, licentiam dederunt. JESU CHR. AN. 862.

13. Extat equidem Epiſcoporum ſententia, qua ſe ex Epiſcopo-

JESU CHR. AN. 862. rum sententia, de Valdrada uxore ducenda. pag. 742.

ex diversis provinciis Lotharii jussu convenisse narrant, iisque adstantibus, causa conjugii Lotharii proposita, se summi Pastoris Jesu Christi exempla secuti, qui venit ut peccatores salvos faceret, veniamque pœnitentibus tribueret, de Regis sincera pœnitentia certiores facti, cum toto quadragesimæ tempore ex Episcoporum consilio, *Jejuniis, eleemosinis, ac reliquis Deo placitis operibus vigilanter insistens, congrua satisfactione dominum placare desiderans, id se promereri velle etiam discalceatis pedibus incedens patulo ostendit &c.* Quare petitioni ejus annuentes, irritum ab eo cum Theutberga, utpote incesto polluta, initum conjugium fuisse declarant, ac ut alteram superinduceret, potestatem faciunt, ea præsertim innixi ratione, quod Apostolus dicat, mulierem, quæ a vito adultero recedit, manere innuptam, hoc de muliere, non de viro dixit. *Non enim*, adnotant, *permittitur mulieri ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit ..... & ideo non subjecit* (de viro) *sicut de muliere discedens, quod si discesserit manere sic, quia viro licet ducere uxorem peccantem, quia non ea lege constringitur vir sicut mulier, caput enim mulieris est vir &c.* quam sane rationem non uno in loco, aperteque S. Augustinus, ut ceteros sanctos Patres præteream, confutavit, in libris præsertim de adulterinis conjugiis, ubi pares in adulterio maritos, ac uxores esse demonstrat; inexcusabiliores quoque eos fuisse inde patet, quod non ignorantia, sed tantum, ut regis cupiditatibus inservirent, iniquam hanc sententiam tuleruut, cum non defuerint ea ætate viri, qui de eodem conjugio interrogati, nullam in Lothario causam divortii fuisse aperte demonstrarunt, extatque adhuc duorum Episcoporum consultatio, *facta in conciliabulo Aquisgranensi, ad solutionem hujus quæstionis, si liceat homini uxore dimissa aliam ducere adhuc illa vivente*. Quinam hi duo Episcopi fuerint, non constat, eos tamen egregie munere suo functos fuisse, consultatio demonstrat. Nam ut plurima prætereamus, consanguinitatis impedimentum inter affines, vel cognatos locum habet, nullam porro affinitatem, vel consanguinitatem Lotharius cum Theutberga, vel ejus fratre habebat, absurdius vero adhuc erat dicere, ex quacumque carnali pollutione, quæ matrimonium præcesserat, irritum reddi subsequens ma-

pag. 745.

matrimonium, cum vix vir inveniatur, qui ante matrimonium, fornicatione, aut etiam adulterio pollutus non fuerit; quin etiam si vir, aut mulier propter fornicationem vigente matrimonio dimissus, vel dimissa fuerit, si cum viro suo, aut vir cum uxore reconcilietur, ac in thorum redeat, si caste vixerint, licitum id esse dubitari non potest, ut ibidem duo Episcopi, ex Sacræ scripturæ auctoritate, sanctorumque Patrum testimoniis comfirmant; atque de hoc Aquisgranensi conciliabulo, & prævaricatorum confessu hactenus, de quo nulla apud Baronium mentio, cum fortasse sua ætate in lucem nondum prodiisset. JESU CHR. AN. 862.

14. Inter Episcopos, qui in Aquisgranensi concilio, nullum Lotharii cum Theutberga conjugium fuisse dixerunt. Adventius Mediomatricorum Episcopus recensetur, cujus extat de initis cum Theutberga nuptiis falsa narratio, ineptumque pro ejusdem dissolutione, & cum altera nubendi facultate judicium a Baronio relatum, eoque prodit Lotharium Valdradæ fidem, jubente patre dedisse, patre autem mortuo, Hucberti fraudibus illectum, sororem ejus Theutbergam duxisse. Hinc probare conatur, nullum subsequens fuisse cum Theutberga matrimonium, cum scriptum sit: *Qui dimissa uxore alteram duxerit, mœchatur*. Lotharii tamen causam cum Theutberga ad Nicolaum Pontificem delatam fuisse adnotat, ejusque jussu in Metensi concilio præsentibus Nicolai legatis Rodoaldo Portuensi, & Joanne Fiducolensi, seu Ficodensi Episcopis agitatam, atque ibidem nuptias a Lothario cum Valdrada initas ex Aquisgranensis concilii adprobatione confirmatas fuisse. At quam inepte, fraudulenterque, ut Lothario gratificaretur, & gesta exposuerit, sententiamque suam prodiderit, idem ipse Adventius testatus est, cum facti pœnitens, ut ab excommunicationis sententia a Nicolao in eum lata, absolveretur, peccatum suum confessus est, ut infra dicturi sumus: ineptam scripturiunculam in vulgus Lotharii jussu editam, & pro dissolutione matrimonii ad Nicolaum Pontificem missam fuisse probabile est. Sed quid pro eadem causa Nicolaus egerit, jam videamus. Adventii Episcopi de nuptiis Lotharii cum Theutberga falsum judicium. *Matt.* 19.

15. Cum itaque ab iniqua Aquisgranensis concilii sententia, ad Nicolaum Pontificem appellasset Theutberga, nec Apostolicæ Sedis judicium refugit Lotharius, fiduciam Concilium ad Sabionarias celebratur.

JESU CHR. AN. 862.

ciam habens in Trevirenſi, & Colonienſi Archiepiſcopis; quos in partes ſuas tractos, cauſæ ſuæ favere ſciebat. Præter hanc cauſam, quæ totam commoverat Galliam, aliæ quoque ibidem agitabantur querelæ, cujuſmodi erant, inveterata Galliarum Regum diſſidia, & præcipue Caroli Calvi cum Lothario, Engeltrudis nobiliſſimæ fœminæ adulteria; Judith raptus; cumque de iis non ſolum querelæ ad Nicolaum Papam delatæ eſſent, ſed etiam ut medelam auctoritate ſua afferret, nonnulli petiiſſent; ut una ſimul tres Reges cum Epiſcopis, & Proceribus convenirent, Nicolaus Papa hortatus eſt, eaque de cauſa ab iiſdem Regibus conventus indictus fuit in villa Sablonarios dicta, cui cum Ludovico, Carolo, & Lothario Regibus, adfuere Epiſcopi, Abbates, & Comites numero ducenti circiter, ex toto Galliarum Regno congregati, cujus acta exhibent conciliorum editores, & Baluzius.

Labb. conc. to.8.pa.754. ſeqq. Baluz. capit. Franc. Reg. pag.163.ſeq.

Francorum Reges reconciliantur.

16. Triplici quippe de cauſa Carolus Calvus ab colloquio, & ſocietate Lotharii nepotis abſtinebat, ſcilicet ob Engeltrudis adulteria, ob Judith raptum, & ob Theubergæ repudium, ut Annaliſta Bertinianus ad hunc annum narrat *Carolus per Remis civitatem Sveſſionis venit, ubi non incerto nuncio comperit, quia filia ejus Judith, relicta ſcilicet Edelvoldi Regis Angloram (quæ poſſeſſionibus venditis, quas in Anglorum regno obtinuerat, ad patrem rediit, & in Silvanectis civitate debito Reginæ honore ſub tuitione paterna & Regia, atque Epiſcopali cuſtodia ſervabatur, donec ſi ſe non poſſet continere, ſecundum Apoſtolum, ſcilicet competenter, & legaliter nuberet) Balduinum Comitem*, (nempe Flandriæ) *ipſo lenocinante, & fratre ſuo Ludovico conſentiente mutato habitu eſt ſecuta: Sed & quia Ludovicus filius ejus a præfatis Guntfrido, & Goſfrido ſollicitatus relictis fidelibus patris, cum paucis noctu aufugit, & transfuga ad ſe ſollicitantes pervenit; Unde Carolus Epiſcopos, & cæteros regni ſui Primores conſulens, poſt mundanæ legis judicium & Canonicum in jam dictum Balduinum, & Judith, quæ cum fure occurrit, & adulteri portionem ſe fecit, ſecundum edicta beati Gregorii, ut ſi quis viduam in uxorem furatus fuerit, & conſentientes ei, anathema ſint, depromi ſententiam ab Epiſcopis petiit.* Aliquali nihilominus recepta ſatisfactione Carolus cum Lothario reconciliatus eſt, eaque de cauſa capitula decem vulgata ſunt, *& Jub hac convenientia*,

tia, ut acta præseferunt, ideſt ſub hac conditione; cum ea probaſſet Lotharius, *receperunt eum ad oſculum atque colloquium Carolus, atque Epiſcopi, qui cum eo fuerunt.*

JESU CHR. AN. 862. *Salut. ut ſup.*

17. Capitula autem ibidem expoſita, ac ſignata *tertio nonas Novemb. indict. undecima, anno Incarn. Dominicæ* 862., querelas Caroli Regis adverſus Lotharium nepotem continent, ac capitulo primo, & ſecundo, eo quod pacem olim inter eos firmatam, ſibi non ſervaverit, conqueritur, quare ſe ab ejuſdem colloquio abſtinuiſſe narrat, Epiſcoporum uſquedum eorum conſilium accepiſſet. Capite vero quarto addit ſe, cum ad conventum Tuſiaci biennio ante eſſet, litteras per Boſonem Epiſcopum Nicolai Papæ accepiſſe, quibus Pontifex Regibus Francorum exprobrabat, quod impune ibidem fornicarios immorari permitterent. *Nos autem*, ſubdit, *audivimus, prædictam fœminam*, ideſt Engeltrudem adulteram, *in Regno nepotis noſtri immorari, & hanc ſententiam poſtea non audivimus immutatam*, ſicuti a Nicolao Pontifice excitati fuerant, quare, ne peccatis alienis, aut cum excommunicato communicaret, ſe ejus conſortio renunciaſſe adnotat. Capite vero ſequenti, ſeu quinto, de eodem Lothario queritur, quod Judith ſororem ſuam a Balduino Flandriæ Comite raptam, in Regno ſuo, & ſub protectione ſua morari permitteret. Capite ſexto de Lotharii divortio agens, hæc adnotat. *Nota eſt vobis cauſa de uxore nepotis noſtri Lotharii: unde a nobis, & ab Epiſcopis Regni noſtri, & ab aliis Epiſcopis, præſentibus nobis quæſivit conſilium, & audivit, ſed ſecundum illud conſilium exinde non fecit. Scimus etiam quia ad domnum Apoſtolicum, pro hoc tranſmiſit, & ab illo exinde epiſtolas recepit. Negare quoque non volumus, nos ſcire, quod domnus Apoſtolicus, & illi, & quibuſdam Epiſcopis exinde manduvit. Et ſcimus quod negare non poſſumus, neque volumus, quoniam non debemus, quia domni Apoſtolici commendatio ab Evangelica veritate, & ab Apoſtolica atque canonica auctoritate in nullo diſcordat, & ſecundum mandatum illius de hoc facto executum non audivimus, nec videmus*, atque his multa in deteſtationem tanti facinoris addit.

Caroli querelæ.

18. Ac capite ſeptimo ad fratrem ſuum, Ludovicum Germaniæ Regem verba dirigens, *Propterea unice & frater cariſſime, a nobismetipſis conſilium accipite, & mihi conſilium*

Caroli ad Ludovicum Regem conſilium de Lo-

JESU CHR. AN. 862. thario recipiendo.

filium date, & ipſi nepoti noſtro viæ ſalutis & honoris date conſilium, & præſtate auxilium, quia & ego hoc, quantum mihi Dominus ſcire, & poſſe donaverit, ſum paratus ſimul vobiſcum agere, ſi voluerit ipſe recipere, ut ſcilicet Lotharius Epiſcoporum judicio, & ſynodi ſententiæ ſe ſubijceret, unde, poſt plurima ſubdit, *ut placato Deo miſericordiæ illius ſolatium conſequi mereamur*. Capite tandem ultimo, ſe in fratris ſui Ludovici amicitia perſeveraturum fore ſpondet Carolus, etiamſi Lotharius nepos eorum ſequi conſilia recuſaſſet, ut ibidem videre eſt. Sequitur ad hæc adnunciatio, ſeu proteſtatio trium Regum, qua ſe impoſterum pacem, concordiamque inter ſe ſervaturos ſpondent, & de juſtitia, rebuſque publicis bene adminiſtrandis; quæ ſane verbis magis, quam reipſa Lotharius, ut in amicitiam patruelis rediret, promiſit; utque Carolum falleret ad Romanum Pontificem appellavit, Nicolaum interpellans, ac rogans, ut ſynodum in Galliis celebrandam indiceret, ad eamque legatos mitteret, qui una cum Galliarum Epiſcopis cauſam ſuam, de inito divortio cognoſcerent, ac judicarent, quos, ut diximus, in ſuas partes trahere, non immerito ſibi blandiebatur, uti revera contigit, ſed de his anno ſequenti, cum de concilio Metenſi verba facturi ſumus.

Nicolai Papæ epiſt. ad Lotharium Regem, & ad alios.

19. Cum itaque Theutberga a Lothario Epiſcoporum ſententia repudiata, ad Romanam Sedem appellaſſet, ac etiam Lotharius datis litteris ad Nicolaum Pontificem eum rogaſſet, ut pro eadem cauſa legatos ſuos in Gallias mitteret, continuo quamplures ea de cauſa litteras Nicolaus Papa ſcripſit, ad Lotharium ſcilicet, ad Carolum Calvum, ad Ludovicum Imperatorem, hiſque alias addidit ad Epiſcopos, qui ſynodo adeſſe præceperat juſſit, ut una cum legatis ſuis in Lotharii cauſa diligentius inquirerent atque legatos ſuos Ludovico commendavit, ac litteras in ſynodo legendas iis dedit, quibus congregatos Epiſcopos admonitos voluit, ut in cauſa Theutbergæ, & Valdradæ juſtum judicium ferrent. *Et nullius favore retenti, aut quomodocumque terroribus permoti, vel etiam numeratis pecuniis, aut honorum amplitudinibus a tramite juſtitiæ quoquo modo inclinati*, commoverentur, deinde. *Prædicta quippe Theutberga multis vicibus Sedem Apoſtolicam lacrymoſis litteris ſtuduit appellare, in quibus affatu flebili puram ſe quo accuſatur crimine, inquit, atque inſontem.*

Nicolai ep. 23. ad Epiſcopos in ſynodo.

Ad

Ad quod negotium, & judicii discretionem, sicut jam vestram fraternitatem nuper per Apostolicos apices commonere decrevimus, Apostolico vos hortamine adesse volumus: quatenus a Pontificii latere venientibus Missis, synodicam illic celebrationem, Apostolica fulti auctoritate, cum fraternitate vestra præsidentibus adunare debeatis, ut sine ulla personarum acceptione, justum judicium ferrent, tandem addit. *Nam si vos, vel illos*, ideſt legatos suos, *in aliquam partem pro cujuscumque favore a canonicis, & sanctorum Patrum institutionibus (quod non optamus) declinare perspexerimus, arguere non dubitamus. Si vero aliarum Ecclesiasticarum utilitatum in eodem Concilio res acciderint, digno examine pertractantes cum Dei timore definire satagite. Si autem aliqua in eo fuerit contentio orta, in qua definitiones ponere nequiveritis fortasse, censuram nostro eam judicio reservare sanximus. Statuimus etiam, ut cuncta, quæ in eodem Concilio peracta fuerint, ac definita, nostro Apostolatui gestorum serie incunctanter significetis, ut si ea justitiæ pulchritudine, probabilitque sanctione definita perspexerimus, Deo omnipotenti gratiam referamus, si vero injustitiæ acta intentione, ea renovari summopere jubeamus. Missos quidem nostri Pontificii (ut in prima epistola vestræ dilectioni significavimus) pro quibusdam Ecclesiasticis utilitatibus, quibus fuimus occupati, destinare ante nequivimus. En, Christo juvante, strenuitatis pollentes, scientia atque doctrina reverentissimos nunc dirigere Missos decrevimus Rodoaldum scilicet, atque Joannem Episcopos deliciosos, atque consiliarios nostros, qui prædictum cum vestra sanctitate Concilium, ut prætulimus studeant celebrare.*

JESU CHR. AN. 862.

20. In aliis autem epistolis eamdem retractans causam, ad Lotharium scilicet, se legatos suos Rodoaldum Portuensem, & Joannem Ficolnensem Episcopos mittere admonet, ut synodum in Galliis convocent, ad quam duos de Caroli patrui Regno Episcopos, duos de Ludovici, & Caroli fratris adesse præcipit. *Regalis excellentia vestra*, inquit, *nuper Apostolatui nostro direxit, ut pro perficienda synodo missos a latere nostro dirigere dignaremur.* Idque sibi ante hac in votis fuisse, sed aliis ecclesiæ necessitatibus distentum hactenus distulisse addit. Lotharium deinde rogat, ut digno cum honore legatos suos susciperet. *Ut domino auxiliante, cum ad nos fuerint reversi, digna nobis de*

Nicolai epistola ad Reges Franc. *epist.* 17.

JESU CHR. AN. 862.

parte veſtra nunciantes, gratias Deo reddere poſſet, ac nono Kal. Decemb. indict. 11. datas eſſe teſtatur, quo pariter die, & anno datæ ſunt alteræ eo de argumento ad Carolum Regem, & ad Ludovicum Imp. ut apud Labbæum videre eſt.

epiſt. 18. 19.

Nicolai epiſtola ad Epiſcopos Galliæ 22.

21. Lotharii autem cum Theutberga divortium illicitum fuiſſe Nicolaus Papa jam dixerat, etſi? cauſam in Metenſi ſynodo retractandam jufſerit, ne fortaſſe præcipiti cum judicio ſententiam dixiſſe Lotharius conqueretur. Quare ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ ſcribens, graviſſimis his verbis, ut exortum ſcandalum reſecarent, admonuit. *Incognitum vobis eſſe non credimus, qualiter pro duabus fœminis Lotharius Rex Eccleſiæ Dei faciem illiciti connubii nævo aſperſit, vel qualiter una repulſa, idem Rex alteram ſibi ſceleratiſſime copulavit. Quarum prior Theutperga nomine pro ſui repudio acriter dolens, per emiſſam legationem ſuper hoc negotio Sedis noſtræ expetivit judicium. Ex qua re quia unius partis cauſam ſine alterius judicare, canonice fieri minime duximus: ſtatuimus fraternitatem veſtram Meti collectam pariter cum Legatis noſtris ejuſdem Lotharii cauſam audire, & canonice communi ſententia definire. Itaque juxta ſtatutum noſtrum cum duos illas in partes fratres noſtros deſtinaremus Epiſcopos, accidit ad noſtram notitiam pervenire, quod Lotharius legitima & prima repulſa muliere, ſecundam ſibi adſciverit conjugem, neque ſedis noſtræ petitum, ac promiſſum judicium expectans, neque canonico judicio uſpiam ſuccumbens. Qua ex re quid aliud datur intelligi, niſi quia ubi plurimorum judicium prævenit, ibi ſuo judicio prævaricatorem ſe judicavit? Et ideo univerſaliter hanc fraternitati veſtræ Apoſtolicæ auctoritatis epiſtolam deſtinavimus, ut Chriſtianæ religionis zelo accenſi pariter cum Miſſis noſtris Metim proficiſcamini, illucque Lotharium convocantes audiatis, & in eum canonicum judicium proferatis. Quod ſi venire diſtulerit, & a præſentia ſe ſynodali, præſentibus Legatis noſtris, ſubduxerit, & ad pœnitentiam & ſatisfactionem repedare minime curaverit, ita ut præſentialiter ad Synodum coram Miſſis noſtris ſatisfacturus, & a ſcelere receſſurus occurrat: illum de cætero excommunicatum reddemus, & quamdiu in hoc permanſerit, a totius Eccleſiæ conſortio facimus extorrem.*

22. Mi-

JESU CHR. AN. 862. Aliæ Nicolai Papæ epist. in causa Balduini Comitis. *epist.* 20.

22. Mitius cum Balduino Flandriæ Comite egit Nicolaus Papa, cum etenim is Judith Caroli Calvi sororem rapuisset, uxoremque duxisset, ad Nicolaum Pontificem confugerat, ejus patrocinium implorans, ut Carolum sibi iratum, auctoritate sua reconciliaret. Quare S. Pontifex ad Carolum Calvum, ut veniam pro culpa daret, atque eum in gratiam pristinam reciperet, datis litteris rogavit, ac epistola altera Ermentrudem etiam Reginam Judith matrem, ut Balduino parceret enixe precatur, atque post præfationem, qua adnotat, ex toto orbe peccantes ad Romanam ecclesiam confugere, ut medelam acciperent, de Balduino hæc subdit. *Quia hic Balduinus, qui filiam vestram carissimam contra divinarum legum sanctiones rapuit, de his se esse recognovit: Liminibus sanctorum Apostolorum lacrymosis & mœstis precibus lugubriter se obtulit, ut pro tanto crimine Apostolicam opem acciperet, nostroque Apostolatui nihilominus flendo se præsentare quæsivit. Cujus cum lamentabilem, & tanto scelere plenam cognovissemus petitionem, ad mentem rediit, quod per Prophetam Dominus dicit: Misericordiam volo, & non sacrificium, miserti fuimus, & hos vestræ in Christo dilectæ industriæ, Apostolicæ solicitudinis apices fieri statuimus, Missosque etiam Rodoaldum, & Joannem reverendissimos, & sanctissimos Episcopos, delicioso nostros pro eo vestræ charitati direximus, per quos obnixius deprecamur, ut prædictus Balduinus, qui vestram per Apostolorum intercessiones desiderat beneficentiam obtinere, pro Dei amore gratiam percipere valeat, & de sui affectione nostri Præsulatus oraculis consolationem resumat, quatenus ut qui se per infelicem culpam a norma æquitatis declinasse non ambigit, medelam Apostolorum agnoscat; & apud vestrum Seniorem venialem, nobis juvantibus, vigorem obtineat. Dextera vos supernæ protegat Majestatis, & ab omnibus semper adversantibus, maculisque custodire dignetur. Data octavo Kal. Decemb. Indict. II.* ideſt hoc desinente anno.

Synodus Pistensis capitula ibidem edita. *Labb. p. 755. Baluz. tom. 2. pag. 154.*

23. Ante communem trium Francorum Regum conventum ad Saponarias hoc anno habitum, cujus supra mentionem fecimus, propriam synodum, seu conventum cum Episcopis provinciarum suarum Carolus Calvus hoc anno celebravit, cujus hæc est inscriptio in capitularibus Regum Francorum. *In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis*

JESU CHR. AN. 862.

tis Carolus gratia Dei Rex, & Episcopi, Abbates quoque, & Comites, ac ceteri in Christo renati fideles, qui ex diversis provinciis super flumen Sequanam, in loco, qui Pistris dicitur, ubi exigentibus peccatis nostris aliquando sedes fuit Nortmannorum, convenimus anno Incarnat. Dominicæ 862. anno vero 23. Regni D. N. Caroli Regis indictione decima, circa mensem Junium, cum nondum indictio undecima in cursu esset, ab Kal. Septembris. Pistrensis synodi ad hunc annum meminit Annalista Bertinianus his verbis. *Carolus omnes primores Regni sui ad locum, qui Pistris dicitur, ubi ex una parte Andella, & ex altera Andura in Sequanam influunt, circa Junii Kalendas cum multis operariis convenire facit, & Sequanæ munitiones construens, ascendendi, vel descendendi navibus propter Nortmannos aditum intercludit &c.* In eo conventu ad Episcopos, Comitesque suos orationem convertens Carolus Rex, tot tantisque calamitatibus hactenus Galliarum provincias afflictas fuisse, propter ingruentia cujuscumque generis peccata, longa oratione deploravit, ac Episcopos, Comitesque hortatus est, ut singuli Diœceses suas, provinciasque excurrendo remedium ferant, peccantesque spirituali, & temporali pœna compescant, præcipue vero alienarum rerum, & ecclesiasticarum rapinas & depredationes, in quam rem capitula olim a se ipso, vel a prædecessoribus suis, in publicis alias conventibus vulgata, commemorat, quibus omnes subscripserunt, ut ibidem videre est. Inter cetera ibidem, superiorum Regum privilegia Aninsulensis monasterii confirmata sunt, quibus ex Svessionensis Episcopi jurisdictione eximebatur, ac Caroli M. privilegium pro monasterio S. Dionysiano confirmatum est, ut apud Labbeum; vel Mabillonium lib. 35. num. 96. & 97. Annalium ordinis S. Benedicti videre est.

Svithuni Vintonienſis Episcopi obitus. *Mabill. lib. 35. nu. 107.*

24. Hoc anno 862. vivere desiit in Anglia sanctus Svithunus Vintonienſis Episcopus, quem monachum ordinis Benedictini fuisse addit Mabillonius. Is Egberti Regis Merciorum filium Adulphum, seu Ethelvulphum educandum, ac in litteris instruendum susceperat, quo munere sanctissime functus: *Lætis incrementis*, ait Malesburienſis, *fundamenta bonorum in regno jacta per Regem pullulabant, per Pontificem, dum iste bonum urgeret, quod ille suis præsertim admonitionibus inciperet, & erat quidem virtutum omnium prom-*

Malesb. lib. 2. de Pontif. pag. 242.

promptuarium, sed adgaudebat duabus maxime, clementia, & humilitate &c. Svithuni Episcopi vitam scripsit Gozelinus monachus sub finem seculi undecimi, atque ex ea mutuatus est Salisburgensis: ejus reliquiæ sequenti seculo translatæ sunt, de cujus translatione, & miraculis ea occasione patratis singularis extat libellus, ut idem Mabillonius, & Pagius referunt.

JESU Chr. an. 862.

JESU CHRISTI annus 863. Nicolai Papæ 6. Ludovici Imp. 9. Michaelis Imp. 22.

1. Rodoaldum, ac Joannem Episcopos legatos in Galliam ab Nicolao Pontifice, ut in Metensi concilio Lotharii causam cum Theutberga cognoscerent, justoque judicio definirent, missos fuisse, anno proximo diximus, iis autem properantibus, aut fortasse degentibus, commonitorium dedit, quo, quid gerere deberent, eos edocebat. Non extat illud quidem, eo quod in synodo malis artibus occultatum fuit, ne quænam Nicolai Pontificis sententia erat, pateret, at ejusdem meminit idem Pontifex, tum in litteris ad Ludovicum Germaniæ, & Carolum Calvum Reges datis, cum in litteris synodo Silvanectensi inscriptis, patetque eo legatis suis jussisse Nicolaum, ut si Lotharirs Rex monitis Apostolicæ sedis non acquiesceret, Valdradam dimittens, excommunicatione omnino plectendus esset una cum omnibus, qui ipsi favebant. Quæ omnia significanda forent antea ipsi Lothario. Quin etiam post datum eis dictum commonitorium, ipse Nicolaus iterum ipsis ea quæ illo continebantur, ut quam exactissime custodirent, in memoriam revocavit, & ne quid ab eis prætermitteretur valde solicitus, perbrevem hanc ad eosdem scripsit epistolam, quam cum aliis ejusdem Pontificis litteris acceptam Parisiis ex bibliotheca Nicolai Fabri Baronius cudendam putavit, qua ad eosdem legatos hæc habet. *Reverendissimis, & sanctissimis Rodoaldo & Joanni Episcopis. Quemadmodum sanctæ Romanæ Ecclesiæ fideles estis, & Apostolicæ Sedis columnæ existitis, ita custodientes omnia secundum priorem præceptionem nostram peragere festinate, & Metis Apostolica auctoritate synodo evocata, nostra*

Nicolai Papæ commonitorium ad legatos suos in Galliam missos.

ep. 27. & 32.

Labb. to. 8. *pag.* 481.

JESU CHR. AN. 863.

stra jussa perficite. Quod si Synodus Episcoporum se illuc minime collegerit, aut Hlotharius venire distulerit; tunc vos ad eum pergere studete, & nostra jussa, atque instituta declarate. Et deinde, cum pro causa Balduini ad Carolum perrexeritis, eidem glorioso Regi epistolas Synodicas, & has, quas nunc vobis dirigimus, pariter cum commonitorio præsentibus cunctis ostendite: Et non solum ei, sed & omnibus Episcopis, & universis fidelibus hoc notum facientes, palam legere & denuntiare studete; Præterea scitote, a nobis vestræ sanctitati duas dirigi epistolas, vice ablatarum unam Carolo Regi, secundam vero uxori. Episcopis autem Galliæ, & Germaniæ alteram cum hac ipsa ad vos destinata mandamus. Hactenus ad legatos suos Nicolaus. His vero commonitorium addidit, quo quid pro eadem finienda causa agere deberent, sollicite admonet. Quomodo autem iidem Nicolai legati hæc omnia prætermiserint, & ab Episcopis aliquot Lothario faventibus seducti fuerint, jam videamus.

Metensis synodus divortium Lotharii probat. *Labb. to. 8. pag. 764.*

2. Cum itaque Nicolaus Pontifex ad Lotharii cum Theutberga causam de divortio inito cognoscendam legatos in Gallias misisset. *Carolus missos domni Apostolici Nicolai Rodoaldum scilicet Portuensem Episcopum, & Joannem Ficolnensem Episcopum satis honorifice Svessionis in monasterio S. Medardi recipit*, ait Analista Bertinianus. *Quos aliquando secum retinuit, & concessa Balduino, qui ad Limina Apostolorum confugium fecerat, indulgentia, pro cujus obtentu venerant, cum epistolis ad Apostolicam Sedem redire, muneratos absolvit. Iidem autem Apostolicæ Sedis legati Metis adeunt, Synodum habituri ex delegatione Apostolica circa medium mensem Junium pro divortio, quod inter Lotharium, & uxorem suam Deotbergam acciderat, & pro superinductione concubinæ Valdradæ, quam contra leges Ecclesiasticas & mundanas in uxorem sibi asciverat. In qua Synodo præfati Missi corrupti muneribus Epistolas Domni Apostolici occultantes, nihil de his quæ sibi commendata fuerunt, secundum sacram auctoritatem egerunt. Ut autem aliquid viderentur egisse, Guntharium Colonienſem Archiepiscopum, & Theutgaudum Trevirensem æque Archiepiscopum, cum veniis, quas in eadem Synodo subscripserunt Episcopi, Romam ire jusserunt, ut judicio Domni Apostolici*

ci ipſa cauſa defineretur. Domnus Apoſtolicus quæ acta fuerant plane cognoſcens, & Rodoaldum ſimiliter cupiditate in Conſtantinopoli cum Zacharia ſocio ſuo Epiſcopo nuper corruptum damnare volens, Synodum convocavit. Quod ſentiens Rodoaldus noctu fuga lapſus diſparuit. Zacharias vero, & Theutgaudus Romam pervenientes primum in Synodo, & poſtea in Eccleſia S. Petri, ſicut habetur in ſubditis, ab Apoſtolico ſunt damnati. At de Romana ſynodo infra. Eadem fere cum Bertiniano Annaliſta, narrat Metenſis, quem ſequitur Regino in chronico a Baronio relatus, ſed in nonnullis uterque fallitur, ut cum Metenſem ſynodum Aquiſgranenſi præponit, quam anno proximo 862. celebratam fuiſſe diximus, aut cum narrat, poſt ſynodum Metenſem, Valdradam ab Lothario in uxorem acceptam fuiſſe, quam ante etiam Aquiſgranenſem ſynodum duxerat. Unde Nicolaus Papa ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ ſcribens conquerebatur, eo quod Lotharius non expectato Apoſtolicæ ſedis judicio, prima uxore repudiata, Valdradam ſuperinduxerat, uti ab Natali Alexandro & Papio adnotatum eſt. JESU CHR. AN. 863.

3. Quid hæc ſecuta ſint, vetus chronicon a Pithæo editum ſummatim narrat his verbis. Hoc anno 863. *in Regno quoque Lotharii, per eo quod dimiſſa uxore legitima alteram duxit, Synodus in Metis congregata eſt omnium Epiſcoporum ejus præter Thungarium Trajectenſem, quem ægritudo detinuit. Aderant & Miſſi Nicolai Romani Pontificis ob eamdem cauſam diligenter inveſtigandam directi. In quo, negotio ventilato, Rex factum ſuum propter quod arguebatur conſilio & auctoritate Epiſcoporum ſe feciſſe teſtatus eſt. Quod illi non inficiantes, quaſdam aſſertiones rationum veriſimilium, quibus geſtæ rei qualitatem munire niſi ſunt, oppoſuerunt, eaſque litteris comprehenſas, ut Legati Apoſtolici ſuggeſſerunt, per Guntharium Agrippinæ Coloniæ, & Theutgaudum Trevirenſem Galliæ Belgicæ Archiepiſcopos Apoſtolicæ Sedis Pontifici probandas tranſmiſerunt. Qui convocato Romanæ Sedis Epiſcoporum Concilio, & Metenſem anathematizavit Synodum, & ad ſe miſſos Epiſcopos depoſuit, & communione privavit, juſte quidem & canonice, ut ſcriptis ſuis ipſe teſtatur; injuſte vero, ſicut illi ſcriptis & aſſertionibus firmare conantur.* Acta ſynodi Metenſis Nicolaus reprobat.

JESU CHR. AN. 863. Romana synodus ejusque acta. *to. 1. p. 415.*

4. Sed de gestis in Romana synodo Anastasium bibliothecarium, qui præsens erat, & acta narrat, audire præstat qui postquam adnotavit, sollicitum quam maxime fuisse Nicolaum Pontificem, ut Lotharium ab luxuriæ putredine, carnisque petulantia revocaret, eo quod Theutberga dimissa, annuentibus, vel adprobantibus etiam Theutgaudo Trevirensi, & Gunthario Colonensi Archiepiscopis, cum Haganone Bergomensi, aliisque Episcopis, subjicit. *Sine mora missos suos in Franciam destinavit, præcipiens & monens, ut in Metensium urbe aggregato Synodali Conventu, requirerent, cur idem Rex Theutbergam rejiceret, ut Valdradam sibi in conjugium copularet? Quo requisito, & invento legitimum finem imponerent. Sed pervenientes illuc Sedis Apostolicæ Legati, scrutari cœperunt hujuscemodi causam, & id a Lothario inter cetera audierunt. Quicquid ego feci, istorum Episcoporum consilio usus feci. Erant autem ibi præcipui prædicti Theutgaudus, & Guntharius Archiepiscopi, quos auctores in tanto scelere sanctus jam Papa compererat, astruentes, & dicentes legitimum illud fuisse connubium, quod de Valdrada concubina Rex construxit Lotharius, & quæ dicebant, coram Domino eximio Papa venientes se defendere posse spondebant. Cumque Legati Apostolicæ Sedis, licet in multis seducti, Romam iter regrediendo reflecterent, quæ a Rege, ac Theutgaudo, & Guntharo Archiepiscopis audierant, ac cognoverant summo retulerunt Pontifici. Piissimus autem Præsul adventum Archiepiscoporum dum præstolaretur illorum, ecce superna dirigente clementia, idem Theutgaudus, ac Guntharius Archiepiscopi Romanam urbem adeuntes, vestigiis cujus Præsulis se sacris præsentari petierunt. Quibus benigne a Præsule præstantissimo susceptis, libellum ei obtulerunt dicentes, se nihil, vel plus minus egisse, nisi ut libellus ipse cantabat. Quo diligentissime scrutato, non pauca in eo reperta sunt profani & multa inauditi sermonis turpitudinem habentia, quæ Episcopalem excedentia ordinem, ipsos sicut phreneticos ligarent Archiepiscopos. Denique convocata Synodo in Lateranensi postea palatio sub Apostolis, inventi sunt iidem (ut dictum est) Archiepiscopi, unde damnationis notam incurrerent, præcipue vero quia auctores se tanti divortii fuisse clamabant, & sententiam quam in Engeltrudem uxorem Bosonis, quæ eumdem virum Bosonem per septenne tempus reli-*

Anast. pag. 415.

que-

JESU CHR. AN. 863.

querat (utque excommunicata etiam, & a summæ Sedis Papa ligata, & anathematizata extiterat, & ad eum reverti curaverat) communicantes, & conversantes, cum ea item loquentes, dissolvisse se non negabant, sed altisone publicabant, & epistolam Pii Pontificis (sicut in illis ab ipsis male compositis gestis in scrinio hujus Sedis repositis declaratur) ad libitum falsaverant.

5. Quam ob causam. *Tunc judicante, & eodem sancto Præsule cum synodo decernente, sacerdotali honore privati sunt, & depositionis censuram merito incurrerunt. In hac quidem synodo benignus Præsul Metensem synodum, ubi gesta illa contra voluntatem Dei, ut suam digesta fuerant, illico cassavit, & quædam necessaria in sancta ecclesia capitula promulgavit.* Hactenus Anastasius de gestis Romanæ synodi hoc anno, de quibus non semel in suis litteris mentionem habet idem Nicolaus Pontifex, synodique acta ad Episcopos Galliarum se misisse narrat, unde in epistola ad Rodulphum Bituricensem Archiepiscopum, ejusdemque provinciæ Episcopos. *Nuper fratres carissimi*, ait, *vobis scripta, quibus damnationem Theutgaudi, & Guntharii dudum Archiepiscoporum, vestræ notam fecimus sanctitati, transmisimus, sed utrum ad vos usque perlata sint, penitus ignoramus. Quapropter quæ habentur insubditis, vobis mittenda decrevimus: ut quæ sit Apostolica censura, & quam juste in fautores adulterorum commota nostra fuerit auctoritas, experientiam vestram non lateat, quatenus cum Apostolica Sede de his zelo zelati pro domo domini sentiatis, quos etiam ante sententiam nostram damnatione dignos nullo modo dubitaveratis &c.* Quare graviter eosdem admonet, ut a Theutgaudii, aut Guntharii communione sese abstinerent.

Archiepiscopi in synodo Rom. damnantur.

epist. 10. 11. 12. 13. 56. 58.

epist. 13.

6. Epistola autem altera ad Germaniæ Episcopos in Ludovici Regno constitutos, synodi gesta recensens hæc narrat: *Scelus, quod Lotharius Rex, si tamen Rex veraciter dici possit, qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenavit, sed lubrica enervatione magis ipsius illicitis motibus cedit Theutberga scilicet, & Valdrada commisit omnibus manifestum est. Sed & dudum Episcopos Theutgaudum & Guntharium in tali facto eum habuisse fautores, & fautores, pene totus nobis orbis undique ad Limina seu Sedem Apostolicam confluens referebat, absentibus quoque id scribentibus Apostola-*

Nicolai ep. ad Episcop. Germaniæ. *Labb. pag.* 554.

JESU CHR. AN. 863.

latui. Quod nos tanto credere renuimus, quanto de Episcopis tale quid audire nullatenus sperabamus, donec ipsi Romam tempore Concilii venientes, coram nobis, & sancta synodo tales inventi sunt, quales fuerant a multis sæpe prædicati, itaut scriptura, quam suis stipulaverant manibus, quamque volebant ut nostro roboraremus chirographo caperentur, & dum muscipulam innocentibus apponere satagerent, insidiis suis illaqueati sunt ipsi. Sicque completum est, Deo auctore, quod in Proverbiis legitur. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Siquidem ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos vero, qui in hoc flagitium falso cecidisse dicebamur, favente Domino, cum justitiæ propugnatoribus surreximus, & erecti sumus. Igitur decernente nobiscum sancta Synodo in præsentia depositi, & ab officio sacerdotali excommunicati, atque a regimine Episcopatus alienati indubitanter existunt. Unde vestra fraternitas Canonum normam custodiens, & decretorum sanctiones observans caveat, ne eos quos nos abjecimus, recipere in sacerdotum catalogo quis præsumat. Depositionis autem sententia, quam in prædictos Theutgaudum, & Guntharium protulimus cum cæteris capitulis, quæ sancto Concilio nobiscum sanciente promulgavimus, inferius annexa monstratur. His addita sunt decreta Romanæ synodi, quorum primo Metensis synodus cum latrocinio Ephesino comparata rejicitur, *& tamquam adulteris faventem, Postribulum appellari decernimus.* Caput secundum depositionis sententiam continet adversus Theutgaudum Trevirensem, & Guntharium Coloniæ Agrippinæ Archiepiscopos latam, tum ob Lotharii divortium ab eis probatum, tum etiam quod Engeltrudem Bosonis uxorem, in peccatis ejus foverint. Quare *Engeltrudem*, ut acta referunt, *filiam quondam Matefridi Comitis, quæ a Bosone proprio viro relicto, ecce jam per septem circiter annos hac atque illac vagabunda, nuper cum fautoribus suis regulariter anathematizavimus, sed propter contumaciam iterato anathematis vinculo duximus innodandam*, cum ceteris sive ex clero, vel ex laicis, qui eidem patrocinari præsumpsissent. Si tamen ad virum redierit, vel *ad Apostolicam B. Petri sedem properans, veniam ei post dignam satisfactionem proculdubio non negabimus*, ac tandem eadem cum Theutgaudo, & Guntharo anathematis sententia, Episcopi quotquot ejusdem criminis, & factionis in

Rom. synodi decreta quatuor.

in Metenſi ſynodo participes fuerant, ſubjiciuntur, venia nihilominus oblata iis, qui ab eorum communione & ſocietate recedentes, cum Apoſtolica Sede, ſcriptis ſuis per ſe ipſos, vel miſſos reconciliari petiiſſent: atque de Romanæ ſynodi actis, & decretis hactenus. JESU CHR. AN. 863.

7. Ex Epiſcopis autem, qui facti ſui pœnitentes cum Nicolao Papa reconciliari petierunt, Adventius Metenſis Epiſcopus occurrit, cujus ob eam rem extat epiſtola ad Nicolaum Papam data, qua de Lotharii cauſa meliori qua poteſt ratione ſe excuſat, ac Romanæ ſynodi decretis ſe ſubſcribere profitetur. Theutgaudum, Guntharium Archiepiſcopos ſe nequaquam recipere, nec iis communione ſociari teſtatur, nec in Ingeltrudis Boſonis uxore, ſe implicaſſe addit, ac ad Apoſtolicam ſedem ſe fore adſtiturum, niſi ſenio, & podagræ doloribus detineretur. Quare abſens veniam poſtulans, cum ea reconciliari exoptat. *Peto*, inquit, *humiliter, ut excuſationis meæ cauſas nullo mendacii fuco obnubilatas paternæ pietatis affectu recipere non dedignemini, quas capitulatim miſericordiæ veſtræ pandere ſtudui*, atque ſex capitula addidit, quibus ſanctiſſimo Pontifici ſatisfacere curavit ut ibidem videre eſt, cumque Adventio Epiſcopo Carolus Calvus Rex interceſſor adſtitiſſet, & Boſonem monachum ad Nicolaum legatum cum litteris ſuis miſiſſet, tandem in gratiam ſuam Nicolaus Papa recepit, communionique ſuæ reſtituit. *Excuſationis tuæ litteras*, ait Pontifex in epiſtola ad eum data, *per Theudericum religioſum Presbyterum tuum ſuſcipientes, quoniam iis te in extremitate vitæ poſitum indicaſti, mœror nos continuo ingens obtinuit, ſed profeſſio tua, qua te in nullo a ſede Apoſtolica diſſentire manifeſtat, quamquam nobis a te minus, quam ab aliis ſperabamus offerendam, inter mœſtitiam merito lætitiam miſcuit &c.* Quare eum admonens, ut muneri ſuo impoſterum diligentius ſatisfaceret, pro præteritis culpis abſolutionem impertitur; his verbis epiſtolam claudens. *Deus Omnipotens interceſſione Apoſtolorum Principum Petri, & Pauli, vincula omnium peccatorum abſolvat, & quidquid humanitus, quod in oculis majeſtatis ejus diſplicuit egiſti, tibi miſeratus indulgeat, & benedictionis ſuæ gratia replens, ad beatitudinis ſuæ viſionem perducat.* Hactenus ad Adventium Nicolai epiſtola, qua ejus ad meliora conſilia inſpe-

Adventius Metenſis Epiſcop. cum Nicolao reconciliatur. *Labb. to.* 8. *pag.* 482.

Carolus Calvus Adventii Epiſc. interceſſor. *pag.* 486.

Nicolaus Papa Adventium abſolvit.

JESU CHR. AN. 863. insperatam conversionem fuisse præ ceteris addidit, quia inter præcipuos Lotharii assentatores, & patronos in concilio Metensi fuerat, ita ut non solum pro ejusdem divortio sententiam dixerat, sed etiam datis ad Theutgaudum Trevirensem Archiepiscopum ante synodum Metensem litteris, ne quid adversus Lotharium temere tentaret, admonuerat, eumque rogavit, ut lectam epistolam igni traderet. *Præsentes apices*, ajebat, *per Deum, & propter Deum humiliter precamur, ut nullus alius mortalium videat; sed Vulcanus edax perspectos consumat*; ne in tam probrosa causa, advocatum se fuisse cuiquam innotesceret; at qui ex tenebris facit lumen splendescere, hujus præceteris gratiæ suæ efficacia, cordis duritiam abstulit, ac pœnitentem reddidit.

apud Bar. 862. n. 60.

Quid damnati Episcopi ad Nicolaum scripserint.

8. At alii, præcipue Guntharius, & Theutgaudus Archiepiscopi Trevirensis, & Colonienſis, corda sua Pharaonis exemplo obdurantes, ubi damnationis suæ sententiam in Romana synodo latæ acceperunt, vehementi furore perciti, ac ex urbe profugi, Ludovicum Imp. adierunt, patrocinium ab eo imploraturi, quem calumniis in Nicolaum structis commovere conati sunt; scelerum deinde mensuram implentes, satanico furore agitati, litteras ad Nicolaum dederunt non solum Archiepiscopis, sed Christiano cuilibet indignas, calumniarum, mendaciorumque repletas, quibus, latam in se ipsos sententiam utpote, ut ajebant, injustam, nequaquam se recipere, quin potius contemnere testantur, cujus hæc est inscriptio. *Nicolao Pontifici Guntharius, atque Theutgaudus. Patres Episcopi & fratres Coepiscopi ad te nos direxerunt, & nos sponte ivimus consulere videlicet, expleta generali legatione, tuum magisterium super iis specialiter, quæ pariter, prout nobis visum fuit, & adjicientibus notum esse potuit, judicavimus auctoritates, rationesque, quas secuti fuimus, scriptis ostendentes, ut sua sapientia, perscrutatis omnibus quid inde sentires, & fraterna charitate procurares, & si melius illud tua sanctitas inveniret, ut nos instrueres & doceres, suppliciter obsecravimus, parati quidquid rectius & probabilius esset, libenter amplecti. Sed nos per tres hebdomadas tuum expectantes responsum, nihil certitudinis, nihilque doctrinæ nobis expressisti. Tantum quodam die in publico dixisti, nos ex-*

apud Bar. 863. n. 27.

JESU CHR. AN. 863.

excusabiles apparere & innocentes juxta assertiones nostri libelli. Ad ultimum nos evocati ad tuam præsentiam deducti sumus, nihil adversitatis suspicantes. Ibique obseratis ostiis, facta more latrocinali conspiratione, ex clericis & laicis turba collecta & permixta, nos violenter inter tantos opprimere studuisti, longa scilicet intercapedine a nostris, a clericis, & laicis separatos, atque sine Synodo, atque sine canonico examine, nullo accusante, nullo testificante, nullaque disputationis discretione dirimente, vel auctoritate, vel probatione convincente, absque nostri oris confessione, absentibus aliis Metropolitanis, & diœcesanis, & Episcopis, & comparibus nostris, extra omnium omnino consensum tui solius arbitrio & tyrannico furore nosmet damnare voluisti: subito quadam tibi chartula & improvise porrecta, lectoris officium assumens, assistente lateri tuo Anastasio olim presbytero, ambitus damnato & depositio & anathematizato, cujus scelerato ministerio tuus præcipitatur furor. Ergo tuam pravam sententiam a zelo rectitudinis alienam, injustam, & irrationabilem, canonicis legibus contrariam, nequaquam recipimus, immo cum omni ritu fraterno quasi nefas atque maledictum frustra prolatum contemnimus, atque abjicimus, tibique anathematizatorum, & religionis sacræ abjectorum, & contemptorum fautori, & communicatori revera communicare nolumus, contenti totius Ecclesiæ communione, & fraterna societate, quam tu arroganter, te superexaltans, despicis, teque ab ea, elationis tumore indignum faciens, segregas. Igitur ex tuæ levitatis temeritate propria tibimet sententia anathematis plagam infixisti, exclamans: Qui præcepta Apostolica non servat anathema sit: quæ multipliciter violare, & violasse dignosceris, divinas leges simul, & sacros Canones calcans, & quantum in te est, evacuans, prædecessorum tuorum Pontificum vestigia sequi nolens. Nunc ergo qui fraudulentiam tuam, & calliditatem experti sumus, indignationem quoque tumidumque potentatum agnoscimus: nihil tibi, tuæque superbiæ cedimus, qua nos ad vota nostrorum, quibus fauces inimicorum obruere festinabas, sentientes nos non tuos esse, ut retractas, & extollis, clericos, quos ut fratres, & Coepiscopos recognoscere, si elatio permitteret, debueras. Et hæc tibi nostri ordinis non inscii, nimium tua improbitate compulsi respondemus,

non

JESU CHR. AN. 863.

non quaſi ad illatam nobis contumeliam provocati, ſed contra-tuam iniquitatem Eccleſiaſtico zelo accenſi, nec noſtræ utilitatis perſonam attendentes, ſed omnem noſtri ordinis univerſitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes. Huc-uſque epiſtola ſchiſmaticorum. Harum litterarum meminit Anaſtaſius, earumque auctores non ſolum nominatos Archiepiſcopos fuiſſe tradit, ſed & Haganonem Bergomenſem Epiſcopum, cui Joannes Ravennatenſis Epiſcopus cum Germano fratre ſuo ſe ſociarunt, ut pluribus Anaſtaſius narrat cujus textum Baronius num. 31. recitat.

Haganon Bergomenſis, & Joannes Ravenn. Epiſcopi, cum ſchiſmaticis ſociantur.

9. In eadem Romana ſynodo, quæ cauſam Lotharii Regis cum Theutberga cognovit, nullamque divortii cauſam fuiſſe declaravit, Photii quoque cauſa iterum agitata eſt, ac legatorum Romanæ ſedis prævaricatio caſtigata fuit, ut his verbis narrat Anaſtaſius. Nam cum haſtenus CPoli geſta cognovit Nicolaus, Ignatium ſcilicet injuria ſede ſua dejectum & Photium in ea tyrannice collocatum, Nicolaus *divino zelo fretus Epiſcoporum vocavit concilium in quo luculentius patefactum eſt in depoſitione Ignatii illum minime conſenſiſſe, & legatos Apoſtolicæ ſedis in talibus deviaſſe. Denique decernente eodem piiſſimo cum ſancta ſynodo præſule, præfatum Zachariam Epiſcopum, qui tunc aderat,* Felicis Papæ exemplo, qui Vitalem, & Miſenum, ob eamdem cauſam olim depoſuerat, *gradu Sacerdotali, immo eccleſiaſtica communione privavit, eo quod in pluribus Apoſtolica interdicta exceſſiſſe inventus eſt, & Rodoaldi Epiſcopi cauſa*, qui ſocius in legatione Zachariæ fuerat, *ſuſpenſa eſt*, ait Anaſtaſius, eo quod moras in Galliis traheret, ne ejuſdem criminis particeps, eamdem cum Zacharia ſententiam ſubiret; de geſtis autem in Romana ſynodo hæc ſummatim auctor libelli ſynodi. *Quod cum ſanctus Papa Nicolaus percepiſſet*, nempe conciliabulum CPolitanum adverſus Ignatium CP. Patriarcham celebratum; *Neque enim latere poterat orbem tantum maleficium publice commiſſum: in locumtenentes ſuos accurata inquiſitione facta, cum ex propria eorum confeſſione reperiſſet, munera ipſos accepiſſe, perpetuæ depoſitioni Rodoaldum, & Zachariam ſubjecit, divinaque & ſacra congregata Synodo Photium ut adulterum, & invaſorem anathemate notavit, quæque ab eo & ſub eo acta eſſent, minime recipienda eſſe definivit, quin & omnibus, qui*

Rom. concilium legatos prævaricatores condemnat.

Anaſt. pag. 415.

qui ei communicarent Michaeli ipſi Imperatori ſubditis, Principibus, & reliquis Sanctis Patriarchis depoſitionem denunciavit.

JESU CHR. AN. 863.

10. De ſynodi tempore, loco, geſtiſque in ea, relationem ad Michaelem Imp. Nicolaus miſit; iiſque expoſitis, quæ legatorum ſuorum reditum præceſſerant, ut de eorumdem prævaricatione certior factus eſt, *Quo audito nimio mœrore repleti*, ait, *qualiter de eccleſia Chriſti, cui divina dignatione præſumus, cogitare cœpimus, ac animo revolvere. Tunc convocato multarum provinciarum occidentalium regionum ſanctiſſimorum Epiſcoporum cœtu, & collecta ſancta Synodo in Eccleſia Dei, ubi beatus Petrus Apoſtolorum Princeps corpore floret, & virtutibus emicat, deinde, propter frigidiorem locum, in Eccleſia ſancti Salvatoris, quæ ab auctore vocatur Conſtantiniana, & quæ prima in toto terrarum orbe conſtructa eſt: ibique recitatis omnibus ſcripturis de Græco ſermone in Latinum converſis, tam videlicet nefanda ſynodo, quæ Conſtantinopoli per Photium celebrata, quæ per fatum Leonem Legatum Michaelis Imperatoris Romam miſſum (de quo ſuperius dictum) Apoſtolicæ Sedi delata eſt, quam etiam Imperialibus epiſtolis, in quibus omnibus depoſitio Ignatii continebatur. Et deductus in medium Zacharias Epiſcopus (quia Rodoaldus propter abſentiam haberi ad præſens non poterat) & diſcuſſus, & diligenter examinatus, inventus eſt in depoſitione Ignatii, & communione Photii omnino culpabilis. In quo idem Zacharias tunc Epiſcopus, nunc autem honore, & communione privatus, ſe obnoxium recognoſcens, proprio ore, ac proprio ſcripto ſe Conſtantinopolim a Sede Apoſtolica directum eſſe, & quæ ſibi a nobis agenda fuerant injuncta neglexiſſe, ac quæ fuerant prohibita peregiſſe, confeſſus eſt, Ignatium ſcilicet ſine juſſione Apoſtolicæ Sedis deponendo, & Photio contra noſtri Apoſtolatus præceptionem communicando. Tunc decernente nobiſcum ſancta Synodo, depoſitionis, & excommunicationis ſuæ ſententiam præfatus Zacharias accipiens, in foveam quam alii præparavit, incidit: alterius, id eſt, Rodoaldi, examinatione propter abſentiam uſque ad aliam Synodum prolata.* De reliquis autem in eadem Synodo geſtis hæc etiam capitula mox ſubjicit: *Quæ autem in eadem venerabili, & ſancta Synodo, unanimiter, & conſtanter de fratre, & conſa-*

Synodi Rom. geſta Nicolai ep. 7.

JESU CHR. AN. 863.

cerdote noſtro Ignatio Patriarcha, vel de invaſore, & uſurpatore Eccleſiæ ipſius Photio, atque fautoribus ejus, necnon & de ſacris imaginibus ſtatuimus, & promulgavimus, hæc ſunt. Atque imprimis Photium illegitime electum, utpote ex laico repente Epiſcopum, ac ab Gregorio Siracuſano olim Epiſcopo excommunicato ordinatum, vivente legitimo Patriarcha Ignatio, ab Rom. ſynodo anathematis ſententia percuſſum fuiſſe narrat; tum etiam eo quod legatos ſuos vi, ac fraudibus prævaricatores fecerat, Epiſcopos vero, qui cum eo communicare renuerant, in exilium ejecerat, Clerumque CPolitanum variis, multiſque modis vexaverat, ut ibidem fuſiori ſtilo Nicolaus proſequitur. Eademque excommunicationis pœna Gregorium quoque Photii ordinatorem ſubjeciſſe addit, cum omnibus cujuſcumque ordinis clericis, qui a Photio ordinati, aut cum eo communione ſociati fuerant. Ignatium deinde, ceteroſque Epiſcopos ejuſdem cauſa ſuis ſedibus dejectos, vel in exilio relegatos, ſuis ordinibus, honoribuſque a ſynodo reſtitutos fuiſſe narrat. Hiſque decreta duo in alia Romana ſynodo vulgata addidit, de cultu ſcilicet ſanctarum imaginum, ac de Jeſu Chriſto in carne paſſo, cujus divinitatem nequaquam paſſibilem fuiſſe adnotat.

Michaelis Imp. legatio altera ad Nicolaum. epiſt. 70. pag. 470.

11. Quæ autem poſt hæc facta ſint, idem Nicolaus Papa in epiſtola ad Hincmarum, alioſque Galliarum Epiſcopos data, dum geſtorum ſeriem exponit, his verbis narrat. *Reverſo autem Leone a ſecretis Conſtantinopolim, Michael Imperator comperiens per epiſtolam noſtram, quam per ipſum tranſmiſimus, quod nec depoſitionem Ignatii, nec promotionem Photii ſuſcepiſſemus: mox quemdam Legatum ſuum Michaelem Protoſpatharium cum epiſtola injuriis plena ad nos direxit, & ut ſententiam noſtram ad votum ipſius commutaremus, vehementer hortatus eſt. At nos injurias quidem non curantes, licet circa Eccleſiæ injurias non tacuiſſemus, ſcripſimus epiſtolam noſtram, & hanc indictione quartadecima prædicto Imperatori per jam nominatum Michaelem Protoſpatharium Legatum ſuum direximus, tam videlicet a noſtra Eccleſia falſas objectiones repellere cupientes, quam ipſum Imperatorem cum ſequacibus ſuis ſuper hoc negotio ad rectum juſtitiæ perducere tramitem anhelantes.* Quid vero ſua ſpe dejectus Photius, retinendi ſcilicet CPolitani throni ex conſenſu Ro-

Romani Pontificis, adverſus Nicolaum, Romanamque eccleſiam pertentaverit, ac funeſti ſchiſmatis inter utramque eccleſiam fundamenta jecerit ſuo loco dicturi ſumus. JESU CHR. AN. 863.

12. Dum graviſſimis hiſce cauſis, cum Photio CP. Patriarcha, & Lothario Rege ob divortium ab eo cum Theutberga factum, diſtineretur, ac pene urgeretur Nicolaus Papa, altera, ad eamque componendam difficilis cauſa ad Romanam Sedem hoc témpore delata eſt, cui Hincmari Remenſis Archiepiſcopi cum Rothado Sveſſionenſi Epiſcopo ſimultates occaſionem dederunt. In utramque partem geſta ad exitum uſque, pluribus Natalis Alexander, Dupinius, aliique enarrant. Ad rem noſtram adnotare ſat erit, quod cum Rothadus Hincmari odium, neſcio qua cauſa incurriſſet, diu occaſionem quærebat Hincmarus, ut eum Epiſcopatu deponeret, ut eidem exprobrat Nicolaus Papa in decreto abſolutionis Rothadi ad Clerum, populumque Romanum. Cum vero Rothadus Presbyterum quemdam ſuæ Diœceſis in ſtupro deprehenſum depoſuiſſet, atque is ad Hincmarum Metropolitanum, quem Rothado adverſari ſciebat, confugiſſet, Hincmarus capta occaſione, ut de Rothado ulciſceretur, Presbyterum injuſte depoſitum fuiſſe judicavit, & eccleſiæ, unde ejectus fuerat, reſtituit; Presbyterum vero, quem Rothadus impudico ſubſtituerat, communione privavit, ac in carcerem detrudi juſſit. Ejuſmodi porro ſententiæ, cum reſtitiſſet Rothadus, Hincmarus, congregata in ſuburbio Sveſſionenſi ſynodo, ipſum utpote contumacem Epiſcopali communione privavit, uſque dum mandatis ſuis pareret, ut ad annum 861. his verbis narrat Bertinianus Annaliſta.

Hincmari Remenſis Archiepiſc. cum Rothado Sveſſionenſi Epiſc. diſſidia.

Nat. Alex. ſecun. diſſert. 6. Dupin biblioth. ſec. 9. pag. 89. ſeq. Labb. to. 8. pag. 791.

13. *Hincmarus Durocontori Remorum Archiepiſcopus ſynodo comprovinciali apud martyrium SS. Criſpini, & Criſpiniani ſecus civitatem Sveſſionis, Rothadum ipſius urbis Epiſcopum regulis eccleſiaſticis obedire nolentem Epiſcopali privat communione ſecundum decreta canonum donec obediat.* Cumque neque huic judicio ſe Rothadus ſubmiſiſſet, alteram anno proximo 862. in eodem Sveſſionenſi ſuburbio ſynodum Hincmarus convocavit, qua Rothadum ſibi reſiſtentem, ac ad Romanam ſedem appellantem, Epiſcopatu dejecit, alterumque in eam ſedem locavit. Unde iterum idem Annaliſta Bertinianus Hincmaro ſemper faveus. *Sed iiſdem*

Sveſſionenſes ſynodi contra Rothadum celebratæ. *apud Labb. pag. 1936.*

JESU CHR. AN. 863. *poſt ejus concilii judicium, unde appellaverat, expetens*, Rothadus, *conſtitutis duodecim ab eadem ſynodo judicii exequendi judicibus, novus Pharao propter ſui cordis duritiam, & vetera ſecula repreſentans, homo mutatus in belluam, propter exceſſus, quoniam corrigi noluit, in Suburbio Sveſſionum civitatis deponitur*. De eadem ſynodo, ad quam Rex Carolus fuerat invitatus, hæc adnotat Rothadus in epiſtola ad Nicolaum Papam. *Acceleratur de convocanda ſynodo, qua in ſuburbio noſtræ civitatis congregata, Rex inclytus a concilio eſt invitatus . . . . Denique Hincmarus Archiepiſcopus meus in eodem concilio mihi intrepide, & ut reor impie depoſitionis judicium emiſit*; dum ſynodo Rothadus adeſſe recuſaverat, ac ad Apoſtolicam ſedem appellaverat. *Interea*, ſubdit Rothadus, *ordinatur Epiſcopus in cathedra viventis, quamvis ne umquam poſt appellationem Rom. Pontificis hoc fiat, ſacri canones evidenter vetare noſcuntur*: hæc autem anno proximo 862. geſta, cum quæſtio incaleſceret, ac partium neutra juribus ſuis cederet.

Nicolaus geſta Hincmari reſcindit.

14. Hincmarus interim hoc anno Odonem Bellovacenſem Epiſcopum Romam miſit, qui ſynodi Sveſſionenſis, ac depoſitionis *Rothadi*, quaſi a Judicibus electis in ea factæ confirmationem a Sede Apoſtolica obtineret. Sed *Nicolaus* perſpectis *Hincmari* fraudibus ac tyrannide, acta dictæ Synodi reſcidit, quod Sardicenſes canones de appellationibus Epiſcoporum dejectorum violaſſet; juſſit etiam omnibus Epiſcopis, qui ad eam Synodum convenerant, ut *Rhotadum* ab exilio revocari curarent, & Sedem Apoſtolicam adire permitterent cum eorum Legatis, ut eorum judicium retractaretur; niſi juſſis parerent, ſuſpenſionem a Miſſarum celebratione ipſis minatus eſt, ut legitur in Epiſtola Nicolai 32. ad Epiſcopos ſynodi *Sveſſionenſis*, non vero *Silvanectenſis*, ut Tom. 8. Concil. perperam legitur. Scripſit etiam ad *Hincmarum* per *Odonem* Bellovacenſem, ut *Rhotadum* Romam dirigeret, caveretque, ne ſi tertio ad ipſum pro eadem cauſa reſcribere cogeretur difinitivam, ac peremptoriam in eum tamquam Sacrorum Canonum contemptorem excommunicationis ſententiam proferret. In eamdemque rem ſcripſit etiam ea Epiſtola, quæ eſt ordine 28. ad *Carolum* Regem, ipſique ſignificavit, quæ ad Hincmarum, alioſque Epiſcopos ſcripſerat, eumdemque hortatus eſt, ut *Rhotha-*

dum

dum ſuo adjutum ſolatio Romam dirigeret, ſediſque Apoſtolicæ privilegia in ſuo Regno firmaret. Atque hæc epiſtola inter Nicolai litteras trigeſima eſt. JESU CHR. AN. 863.

15. Quid poſt hæc contigerit, ubi litteræ Nicolai Pontificis per Odonem ad ſynodum, ad Hincmarum, & ad Carolum, atque Rhotadum pervenerunt, ex epiſtola ejuſdem Pontificis poſt biennium ad Carolum data poſſumus intelligere: ait enim: *Hujus contumaciæ nullus auctor niſi Hincmarus Rhemorum Epiſcopus extat*: Et paulo poſt iterum loquens de epiſtola miſſa pro reſtitutione Rhotadi ad ipſum Hincmarum, iſta ſubjicit: *Hanc frater Hincmarus quid dicam audire, cum videre illam, more Dioſcori velatus, neglexerit?* Et rurſus inferius eadem pagina agens de litteris illis Nicolaus per eumdem Odonem miſſis ad Synodum iſta ait: *Denuo frater noſter Hincmarus in contumelia noſtra verſatus, non ſolum non obedire nobis delegit, verum etiam epiſtolam noſtram, quam ad eum, & ad Epiſcopos, qui in depoſitione Rhotadi ſibi conſenſerant, miſeramus, apud ſe per quatuor menſes retinens, quæ de Rhotado decrevimus, etiam inter hæc diverſis aliis, pro eadem hac cauſa noſtris epiſtolis per nonnullos directis crebro contemptis agere recuſavit*: aliis enim litteris Nicolaus tertiam adjecit admonitionem; ſed & quartam; verum iſta anno ſequenti, ubi de his iterum ſermo redibit, atque his multa de Hincmari contumacia, deque Nicolai invicta conſtantia, tum in catholica fide, cum in eccleſiaſtica diſciplina tuenda, juribuſque eccleſiæ vindicandis; addit Baronius; dum eodem tempore in Oriente Imperatorem cum Patriarcha Photio extrema minitantem ſuſtineret, in Occidente vero cum primarum ſedium Epiſcopis, Francorum Reges Ludovicum Imp., & Lotharium, ac ſuos etiam a latere legatos in Orientem, & Occidentem miſſos, proditores, prævaricatoreſque pateretur, itant cum internis, externiſque hoſtibus pugnare cogeretur. Hincmari contumacia notatur. *Bar.num.78. ad 90.*

16. Inter tot, tantaſque anguſtias, & pericula poſitus, cum ſciret infirma a Deo eligi, ut fortia confundat, pauperum exercitum ſibi comparavit, ut eorum orationibus adjutus hoſtes undique irruentes vincere poſſet, de quibus hæc Anaſtaſius. *Hic interim Chriſti amicus omnium nomina claudorum, cæcorum, atque ex toto debilium in urbe Roma conſiſtientium ſcripta apud ſe retinens, quotidianum illis victum* Nicolai in pauperes effuſa liberalitas.

JESU CHR. AN. 863. *ctum miniſtrare curioſe curabat. Nam reliquis pauperibus greſſum & vires habentibus hujuſcemodi, ut viciſſim eos paſceret, ſapientem reperit modum, ſcilicet bullas ſuo nomine titulatas fieri juſſit, & has eis dari præcepit, ut quanti prima feria, quanti ſecunda, quanti tertia, vel cæteris aliis feriis prandere debuiſſent, per ſignum bullarum facilius noſceretur. Et in illis quidem bullis, quæ eis datæ ſunt, qui prima feria refici debeant, fecit per ſingulas duos nodos, & ſic per omnes uſque in ſabbatum, ut quot feriæ eſſent, tot eſſent nodi per ſingulas bullas, includens in eis nuſcas*, ſeu ſignum *ubi nodi fiebant, quatenus nullus pauper haberetur in urbe, qui vel uno die de ſanctis eleemoſynis non eſſet refectus.* Hæc de pauperum ſtipe, ſive ſtipendio Eccleſiæ Chriſti militum Anaſtaſius, qui præſens his cunctis aderat, omnium quæ fiebant rerum inſpector, atque fideliſſimus ſcriptor, quique mox his iſtą ſubjicit: *Interea Carolus Rex S. Apoſtolo Petro obtulit puriſſimo auro & gemmis conſtructam veſtem, habentem gemmas praſinas, hyacinthinas, & albas. Sanctiſſimus autem & fulgidiſſimus Pontifex dolens populum tot oppreſſum calamitatibus: Dominum tantummodo innumeris invocabat precibus, & infinitis laudabat præconiis, non tamen eccleſiarum curam relinquens, ſed potius in tribulatione & temporali tentatione decenter adaugens &c.* Hucuſque Anaſtaſius.

Nicolai ep. ad Carolum pro Balduino Comite.

17. Cum autem ſynodi Sveſſionenſis legatus, Odo ſcilicet Epiſcopus, cum litteris Nicolai Papæ ab urbe diſceſſiſſet, idem Pontifex a Carolo Calvo Rege litteras accepit, quibus inter alia indigno animo ſe tuliſſe ſignificavit, quod Balduinum ejus filiæ raptorem profugum Romæ accepiſſet, atque pro illo preces pariter (ut vidimus) cum commendatitiis litteris ad ipſum Carolum, & Reginam Hermentrudem adhibuiſſet; quod videlicet homo nefarius indignus eſſet, cui Papa parceret. Similis querela fuit Synodi jam memoratæ Silvanectenſis. Reſcripſit autem ad Regem, & ad Synodum Nicolaus, procul abeſſe, ut ipſe abſolverit anathemate, quo ligatus erat, Balduinum, immo facinus deteſtatus, ipſum acerrime redarguerit, poſtulantem vero ſubſidium Apoſtolorum, abjicere eum ſibi non licuiſſe, idque exemplo prædeceſſorum, nam in fine epiſtolæ iſta habet; *Non plane immemor, quod ante aliquot annos quidam, qui hujuſmodi noxam incurrerat, memoratam etiam Sedem adiiſſet, & cæleſtis cla-*

clavigeri ejusdem Vicarii interventu apud piæ memoriæ Imperatorem Lotharium, non prodita conjuge, plenissimam indulgentiam simul, & gratiam percepisset. Nulli præterea Regum grave videri debet (haud tamen cum pace vestra dixerimus) conservo debitum censum denariorum dimittere, qui fortasse summo Regum, & Domino dominorum decem millia talentorum sibi relaxari desiderat: Hactenus de Balduini causa Nicolaus; eodem modo, & iisdem ferme verbis Synodo satisfecit. Porro ipsum Balduinum tandem a Carolo receptum fuisse in gratiam, ejusdem Nicolai litteræ ad eumdem Carolum Regem traditæ docent, quibus ipsi Pontifex eo nomine gratias agit. Quod & Hincmari epistola ad Nicolaum Papam, quæ recitatur a Frodoardo plenius ostendit, ubi Hincmarus hæc habet: *Interim Balduinus, & Juditha leges civiles quas elegerant observarunt. Similiter Rex noster filius vester huic adesse noluit, sed Reipublicæ ministros, & officiarios misit, & ut vobis pollicitus fuerat, hos inter se matrimonium contrahere juxta leges humanas permisit, & Balduinum maximis honoribus affecit, ut postulaveratis.* Hæc Hincmarus. JESU CHR. AN. 863.

18. Eodemque tempore ab Odone Bellovacensi Episcopo rogatus, qui olim Corbejensis Abbas fuerat, atque ab Trasulpho ejusdem Monasterii Abbate, privilegium a Benedicto Pontifice olim concessum confirmavit, ut scilicet in rebus Monasterii, liberam administrationem, plenamque in eligendo Abbate libertatem haberet, ut in epistola ad Trasulphum Abbatem his verbis narrat: *Nunc vero adveniens venerabilis Odo Bellovacensis Episcopus, qui prius Abbas monasterii Corbejensis fuerat, innotuit nobis tam petitionem ipsius benigni principis, quam postulationem tuam, qui præfati Monasterii Corbejæ Abbas esse dignosceris, qua postulati, ut quæ prius monasterio illi ab decessore nostro beatæ recordationis Papa Benedicto concessa fuerant, auctoritatis nostræ promulgatione confirmare non abnueremus. Nos itaque considerantes religiosam esse petitionem tuam, & nihil novi nos constituturos, si prædecessorum decreta sequamur, pastoralis quoque pariter esse officii, servorum Dei jugiter utilitati commodisque prospicere: decernimus, ut monasterium Corbejæ &c.* ab Episcopi jurisdictione liberum esset; ita tamen ut, ad Abbatis postulationem Monachorum ordinationes, Altarium, eccle-

Nicolai Papæ privilegia pro monasterio Corbejensi, & Charilensi. *epist. 24.*

sia-

JESU CHR. AN. 864. *ep. 60. 61. 62.*

fiarumque conſecrationes Epiſcopus perageret, ac Chriſma, Oleumque conſecratum præberet, ut ibidem videre eſt, ejuſdemque argumenti ſunt tres ejuſdem Pontificis epiſtolæ quarum prima ad Carolum Calvum inſcripta eſt, qua excitata diſſidia inter Robertum Cenomanenſem Epiſcopum, & monachos ſancti Charileſi, ejuſdem Roberti judicio componenda reſervaverat, uti datis ad eum litteris admonuerat, at ab Carolo Calvo Rege rogatus, ut antiquum ejuſdem monaſterii privilegium, auctoritate ſua confirmaret, libenter Nicolaus annuit, ac aliis ad univerſos Epiſcopos, & Principes Galliæ datis litteris, quam Corbejenſi monaſterio immunitatem, libertatemque conceſſerat, eamdem Cenomanenſi tribuit, de quibus plura dabunt Mabillonius in Annalibus ſui ordinis, & Martene in ſuis collectaneis tom. 1.

JESU CHRISTI AN. 864. NICOLAI PAPÆ AN. 7. LUDOVICI IMP. 10. MICHAELIS IMP. 23.

Rom. ſynodus adverſus Rodoaldum congregata. *epiſt. 60. pag. 469.*

1. Cauſam Rodoaldi Portuenſis Epiſcopi, in CPolitana legatione Zachariæ ſocii, utpote abſentis, ad alteram ſynodum ab Nicolao Papa dilatam fuiſſe anno proximo diximus, ac idem ipſe Nicolaus in epiſtola ad Michaelem Imp. teſtatur. Unde in alia ad Hincmarum, alioſque Galliarum Epiſcopos, de eorumdem depoſitione agens, hæc ſubdit. *Deinde, his facto conſilio, & lectis prophanis geſtis, quæ prædictus Leo a ſecretis detulerat, ubi putatæ depoſitionis fratris & Coepiſcopi Ignatii tenor continebatur, inventi ſunt iidem miſſi noſtri, tam in damnatione Ignatii, quam in communione Photii omnino culpabiles.* Quare cum in Romana ſynodo Zachariam Ficolnenſem Epiſcopum anno proximo Nicolaus depoſuiſſet, in hac altera Rodoaldum quoque eadem pœna affecit, qui ſeveritatem judicij declinans, nec minora in Galliis, quam in CPolitana urbe perperam gerens, *& collegam ſuum*, inquit Nicolaus, *tale quid pertuliſſe cognoſcens, quin potius conſcientia propria ſtimulatus expavit. Quod nos intuentes ne quid formidaret, illum admodum ſumus hortati ſubjungentes dumtaxat præter examen ſynodi nihil in illum nos eſſe molituros: ſed neque ei ſine culpa prolata, fore aliquid adverſi laturos: ſed quia fugit impius nemine perſequente, dum*

JESU CHR. AN. 864.

dum nil mali & sufficientibus nostris frueretur bonis ante tempus synodi, ante sui purgationem, ecclesiam & parochiam propriam deserens, ad alias diœceses, examen utique subterfugiendo, se contulit. In quibus diutius eo morante, apostolico moderamine freti, canonicam, quam merebatur ultionem, super eum inferre distulimus, ne videlicet ad vindictam faciles, vel videremur esse præcipites. Quamobrem destinatis in diversa loca cum epistolis (ideſt, ubi solus illum rumor latitare fatebatur) missis nostris, videlicet sanctissimis episcopis, ratum eum duximus convocari. Sed ille diversas latebras penetrando (utpote filius noctis & tenebrarum, qui opera lucis, & diei semper refugiens, causam suam ad manifestationem justitiæ solis deduci formidat) quousque valuit, nobis obedire despexit. At ubi non reperit tutum suæ tergiversationis latibulum, tandem aliquando Romam redire ausus est.

Rodoaldus iterum Roma aufugit. epist. 70.

2. Rodoaldi autem adventus Romam tunc accidit, quando in urbe res turbatæ erant, Romanusque Pontifex ob Ludovici Imperatoris ad urbem adventum, in summo discrimine versabatur, de quibus hæc Nicolaus narrat, *Cum nos inter furentium adversariorum linguas, & manus apud B. Petrum Apostolum degeremus, ipse insperatus super nos hostis inter hostes irrupit, &, ut nunc claret, iterum discessurus fraudulenter accessit: quo tamen corpore, non mente reverso, & synodi tempore propter imminentes hostium oppressiones dilato, rumore crebrescente diffamatur, quod Rhodhoaldus denuo fugam arripere meditaretur. Quo audito, quia non poteramus sub tam horrendo nævo ecclesiam non habentem maculam, aut aliquid hujusmodi deserere, quo minus illam etiam a falsa suspicione redderemus extorrem: nec poteramus personam in tantis prævaricationibus diffamatam, & tam scelerum ore aspersam, sine satisfactione in communionem nostram admittere, coram multis fratribus, & Episcopis, coramque plurimis filiis sanctæ hujus ecclesiæ admonuimus eum, quatenus sicut prius nullam in partem sine nostra licentia a Romana discederet urbe . . . . sed in ea residens, tempus synodi, qua purgandus esset, intrepidus expectaret &c.*

Synodi sententia adver-

3. At Rodoaldus, uti subdit Nicolaus, *spretis satisfactio-*

JESU CHR. AN. 864. Sus Rodoaldum Portuen. Episc.

ctionibus noſtris, atque ſententiis in ſe prolatis, immo ſpretis tantorum Patrum conſtitutionibus, ſine licentia noſtra propriam Eccleſiam deſpolians, & lupinis dentibus oves ſibi creditas diſcerpens ad alias diœceſes imminentem Synodum fugiens diſceſſit. Et quia hæc & alia multa objecta non diluit, vera eſſe quæ de illo dicebantur, modis omnibus examen ſubterfugiendo, firmavit. Quapropter convocata ſanctiſſimorum Epiſcoporum numeroſa & venerabili Synodo, in ſuperius memorata Eccleſia Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, auctoritate Dei, omnipotentis, & beatorum ſimul Sanctorum, quorum regulas & decreta multipliciter violavit, necnon & noſtri Apoſtolatus judicio depoſuimus eum, & a corpore & ſanguine Chriſti excommunicavimus eum, ſanctorum ſcilicet ſtatuta Patrum ſequentes; & præcipue ſancti Felicis exemplum, qui Vitalem & Miſenum Epiſcopos depoſuit, & excommunicavit, eo quod huic apoſtaſiæ in Conſtantinopolitana urbe olim par omnino piaculum perpetraverant. Quod ſi prædictus Rodoaldus dudum Epiſcopus, nunc autem depoſitus, & excommunicatus, de cætero cum anathematizato Photio invaſore Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ mixtus aliquando, & Ignatio fratri & Coepiſcopo noſtro infeſtus eſſet, & Eccleſiam Dei amplius conturbaſſet: vel ſi de damnatione ſua querimoniam feciſſet, anathematizatus foret, ac per hoc ab omni Chriſtianorum cœtu ſeparatus & alienatus, donec noſtræ ſententiæ ſponte ſe ſubmitteret collegio. Hæc, & alia ibidem de Rodoaldi condemnatione Nicolaus, de qua in epiſtola ad clerum CPolitanum iterum agit.

epiſt. 10.

Ludovicus Imp. Romam ingreſſus Nicolao, & Romanis infeſtus.

4. Quænam autem cum Romano Pontifice Clerus, populuſque Romanus ab Ludovico Imp., ejuſque exercitu ſuſtinuerit hoc anno, cum Rodoaldus Romæ inopinato apparuit, in ſupracitata epiſtola narrat Nicolaus, addens, tunc ob temporis acerbitatem, ſynodi celebrandæ opportunitatem non habuiſſe; de quibus plura Annaliſta Bertinianus adnotat; atque in primis in memoriam revocandum eſt, anno proximo Guntharium, & Theutgaudum eo quod Lotharii divortio conſenſum præbuiſſent, in Romana ſynodo excommunicatos, ac ſuis ſedibus dejectos fuiſſe, quos ad Ludovicum Imp. confugiſſe ibidem diximus. Itaque Imperator, ut injuriam legatis fratris ſui Lotharii illatam ulciſce-

ciſceretur, infenſo in Nicolaum Pontificem animo, Romam hoc anno advenit. *Ludovicus Imperator Italiæ nominatus*, ait Annaliſta, *incentore Guntharío, ad ſuam injuriam referens, quoniam Legatos ſui fratris Lotharii per ipſius fiduciam, & interventionem Romam directos Apoſtolicus, ut ſupra monſtravimus*, (anno ſcilicet præcedenti) *degradavit: ſeque ipſum furore non capiens, comitantibus ſecum eiſdem Legatis Theutgaudo, atque Guntharío, cum conjuge, Romam ea intentione pergit, quatenus aut Papa Romanus eoſdem reſtitueret Epiſcopos, aut hoc facere non volenti noxie quodammodo manum mitteret. Quod audiens Apoſtolicus cum Litaniis generale jejunium ſibi, & Romanis indixit, ut Deus Apoſtolorum ſuffragiis præfato Imperatori mentem bonam, & reverentiam erga divinum cultum, & Apoſtolicæ Sedis auctoritatem donaret. Imperatore autem perveniente Romam, & ſecus Baſilicam B. Petri degente, Clerus, & populus Romanus cum crucibus, & Letaniis jejunium celebrantes, B. Petri memoriam adeunt, & ab hominibus Imperatoris, cum gradus ante Baſilicam B. Petri cœperunt aſcendere, in terram proſtrati, & variis ictibus flagellati, & Crucibus ac vexillis confractis, qui evadere potuerunt, fugati ſunt.* Jesu Chr. an. 864.

5. Cum vero per ſingulos dies ſcandala in urbe augerentur, cædeſque fierent, de quibus plura etiam narrat Eutropius Longobardus dictus, & Erchembertus apud Muratorium, in ſe tandem, & ad meliora conſilia reverſus Ludovicus Imp. *Conjugem ad Apoſtolicum mittit, cujus fidejuſſione Apoſtolicus ad Imperatorem venit, & habita mutua ſermocinatione, ſicut inter eos convenit, Apoſtolicus*, qui Ludovicum ad Sanctum Petrum extra urbem convenerat *Romam, ad Lateranenſe Palatium rediit. Tunc Imperator Guntharium, & Theutgaudum degradatos, ut ſecum venerant, Franciam redire præcepit.* Guntharius vero ſua ſpe fruſtratus, ac urbe excedere coactus diabolica capitula, & hactenus inaudita, Epiſcopis regni Lotharii miſit, eademque per Hilduinum fratrem ſuum Clericum, adjunctis ei ſuis hominibus, Apoſtolico miſit, dans illi in mandatis, ut ſi Apoſtolicus ideſt Nicolaus Papa, illa nollet recipere, ſuper corpus *B. Petri ea jactaret. Tunc ipſum ſcriptum*, inquit Annaliſta Bertinianus, Ludovicus Imp. cum Nicolao reconciliatur. *Murat. ad an. 864.*

JESU CHR. AN. 864.

nus, *super corpus B. Petri jactavit, seque iisdem, & qui cum eo venerunt, evaginatis gladiis protegentes, de Ecclesia exierunt, & ad Guntharium peracto lugendo negotio redierunt. Imperator post paucos dies patratis a comitatu suo multis depraedationibus, & mansionum destructionibus, ac Sanctimonialium, caeterarumque feminarum constuprationibus, atque hominum caedibus, nec non & Ecclesiarum infractionibus, Romae exiens, Ravennam venit, ibique Pascha Dominicum celebravit.* Hæc de adventu, & receſſu Romæ Ludovici Imp., unde merito Nicolaus ſcripſit, tunc Romæ Rodoaldum adfuiſſe, cum nos inter *furentium adversariorum linguas, & manus apud S. Petrum Apostolum degeremus &c.*

Guntharius a Ludovico Epiſcopatu privatur.

6. De diverſa autem Guntharii, & Theutgaudi agendi ratione, hæc ſubdit idem Annaliſta. *Guntharius autem in ipsa caena domini Coloniam veniens, Missas celebrare, & sacrum chrisma conficere, ut homo sine Deo praesumpsit. Theutgaudus vero a ministerio, sicut ei fuerat praeceptum, se reverenter abstinuit. Ceteris denique Episcopis apud Lotharium id satagentibus, Episcopatum a Guntharione Lotharius tulit, & suo tantum consilio Hugoni Caroli Regis avunculo, & materterae suae filio, tonsura Clerico, & ordinatione tantummodo Subdiacono, moribus autem, & vita a fideli laico discrepans, donavit. Unde motus Guntharius, quidquid de thesauro Ecclesiastico in eadem civitate fuit residuum auferens, Romam iterum, ut omnia Lotharii ut sua figmenta de Theutberga, & Valdrada Apostolico ex ordine pandat, regreditur. Sed & Episcopi Regni Lotharii Legatos suos cum libellis poenitentiae, & professionibus canonicis, quoniam ab Evangelica veritate, & Apostolica auctoritate, sacrisque regulis in causa Theutbergae, & Valdradae non mediocriter deviarant, ad Apostolicum dirigunt. Lotharius vero, Ratoldo Argentoratensis urbis Episcopo cum scriptis falsa more suo de excusatione, & voluntaria correctione loquentibus praemisso ad Apostolicum, ipse per Gundulfibi villam, & Romerici montem obviam fratri suo, ad locum, qui urbe dicitur, venit &c.*

Nicolaus Papa ſynodum Romæ celebrat.

7. Nicolaus interea Pontifex ſuperatis, ut diximus, Ludovici Imp. minis & inſidiis, ut Guntharii obſtinationem frangeret, ac Epiſcopos, qui pœnitentiæ libellos ad

ſe

se miserant, ecclesiæ reconciliaret, *Denuo epistolas*, sequitur Annalista Bertinianus, *per omnes Archiepiscopos, & Episcopos Galliarum depositionis Theutgaudi Treverorum, & Guntharii Colonienſis Archiepiscoporum, sed & aliis Episcopis, qui ex regno Lotharii in divortio Theutbergæ, & superinductione concubinæ Valdradæ consenserant, & ad eum cum professione sua miserant Epistolas suas, indulgentiam largiendo, sicut in scripto superius continente promiserat dedit. Synodum Romæ convocat circa Kalend. Novemb. indicans se in ea eorumdem olim Archiepiscoporum depositionem denuo confirmaturum, & tractaturum de causa Lotharii, & Ignatii CPolitani Episcopi &c. ad quam synodum prædicti Theutgaudus, & Guntharius sponte perrexerunt, putantes Ludovici Imp. interventu ab Apostolico posse restitui &c.* His autem addit Hucbertum clericum conjugatum, ac fratrem Theutbergæ a Lothario repudiatæ, qui Abbatiam S. Martini & Mauricii, alioſque honores invito Ludovico Imp. retinebat, ab ejusdem hominibus interfectum fuisse; *Theutberga vero abjecta Lotharii ad fidem*, seu in fidem; *Caroli venit &c.* Jesu Chr. an. 864.

8. Quid autem in causa Lotharii Regis ob dimissam uxorem legitimam, & Valdradam in conjugium acceptam egerit hoc anno Nicolaus Papa videamus, qui eamdem causam synodali sententia definire cupiens, ad Episcopos Regni Caroli, atque Lotharii scripsit, ut in sequentem annum ad synodum Romæ celebrandam se conferrent. Cumque Apostolicum in ea synodo timeretur judicium, tergiversationes, & excusationes variæ a Regibus ipsis interpositæ sunt, quod indigne tulit Nicolaus Papa, ut apparet ex epistola ad ipsos reddita anno sequenti post Synodum Romæ habitam, cum Arsenium Legatum misit in Gallias, iisque eos redarguit, quod quisque eorum in excusationem afferebat, quod non possent convenire ad Synodum Episcopi, eo quod ob incursus Northmannorum, major pars eorum in expeditione adversus eos esset, sic dicens: *Reprehensibile denique valde esse constat, quod subintulisti, dicendo, majorem partem Episcoporum die noctuque cum aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos invigilare, ob idque Episcopi impediuntur venire. Cum militum Christi sit Christo ser-* Excusatio Episcop. Galliæ, ne Romam venirent, refutatur.

JESU CHR. AN. 864.

servire, militum vero sæculi sæculo, sicut scriptum est. Nemo militans Deo, implicet se negotiis sæcularibus. Quod si sæculi milites sæculari militiæ studeant: quid ad Episcopos, & milites Christi, nisi ut vacent orationi &c. Sed & ipsi Episcopi diversas causas prætexentes, litteras excusatorias scripsere ad Nicolaum Pontificem.

Auctoris Anonymi alloquutio ad synodum. *apud Murat. rer. Ital. to. 2. par. 2. pag. 136.*

9. In hac autem synodo ab Nicolao hoc anno 864. celebrata Anonymus quidam orationem habuit, qua Nicolai gesta adversus Guntharium, & Rodoaldum vindicantur, eosdemque jure ac merito depositos, anathemateque percussos fuisse demonstrat, utpote Apostolicæ sedis jussionibus contumaces, & in criminibus suis obstinatos, de Theutbergæ etiam ad Apostolicam sedem appellatione agit, ut ibidem videre est, quam orationem ad synodum habitam ex Ambrosianæ bibliothecæ manuscriptis Muratorius vulgavit.

Adventii, & Rothaldi Episc. excusatoriæ epistolæ.

10. Inter eos, qui, ne synodo adessent, se excusaverunt, fuit Adventius Metensis Episcopus, qui datis ad Nicolaum litteris, quas recitat Baronius, se ægritudine detineri narrat, ne jussionibus ejus pareret, quibus jusserat Episcopis in Regno Caroli, vel Lotharii constitutis, ut *aut Archiepiscopos singularum provinciarum, aut binos illorum suffraganeos* 14. *Kal. Junii Romam ad sanctam vestram synodum evocaslis &c.*, ac Thetericum Presbyterum suo nomine misisse addit. Ejusdemque argumenti sunt litteræ Rothadi Argentoratensis Episcopi, vulgo Strasburga dictum, & iis, *Quibusdam expeditionibus Regalis Imperii occupatus*, ait, *imo obsessionibus Paganorum, nec minus perversorum Christianorum simultatibus prægravatus, meæ excusationis causas, juxta decreta digni Apostolatus vestri, per legatum meum vestræ mansuetudini antea dirigere non potui. Quocirca si non corpore præsens, mente tamen quasi ad vestra sacra vestigia provolutus, indulgentiam peto &c.*

Nicolai ep. ad Ludovicum, & Carolum Reges.

11. Inter hæc conscii Francorum Reges Ludovicus, & Carolus, qua constantia Nicolaus Papa causam de Lotharii divortio urgeret, eamdemque definiturum in Romana synodo, etiamsi ab ea Galliarum Episcopi abessent, ut excommunicationis sententiam, quam in Regem contumacem & adulterum Nicolaus laturus erat, declinarent, nullum

non

non moverunt lapidem, atque se effecturos spoponderunt, ut Lotharius Romam proficisceretur, eidemque ut salutis monita non sperneret, se suasuros fore promiserunt, ut reddita ad eosdem Reges epistola a Nicolao Papa testatur, qua cum multa pertractet, de Lothario hæc subdit. *Dicitis enim vos præfatum commonuisse Lotharium, sicut in commonitorio nostro a vobis directo legere prævaluissemus. Et eumdem sæpe vobis mandasse asseveratis, quod Romam pergere vellit, & per nostram dispositionem de causa sui conjugii facere. Sed his dictis opus non accommodatis, quia sæpius de directione commonitorii mentione facta, idem commonitorium abfuit, & nobis frustratis, nequaquam comparuit. Quod si habuissemus certamen nostrum, super his cognosceremus, sed cum illud defuerit, nescimus si labor vester fructuosus fuit. Ipse quidem Lotharius nobis, ut vobis, per Imperiales Legatos mandavit, quod Romam vellet venire, cui interdiximus, & omnino interdicimus, ut iter talis, qualis nunc est, non arripiat, eo quod sancta Romana Ecclesia talem respuat, & contemnat, & in hoc perseveret, quod late in toto diffusum est orbe*: & paulo inferius de commonitione per eos iteranda ista habet. *Veramtamen quoniam circa Missam S. Joannis, de quo diximus, Lotharium dispositum habetis, denuo commonere, non moleste tulimus. Forsan omnipotens Deus cor ejus ad sibi placita inclinare dignabitur, & de prævaricatore tandem faciet convertendo dilectum &c.* Iisdemque litteris, quid Lotharius agere deberet, antequam Romanum iter susciperet, Nicolaus indicat, ut scilicet Theutbergam uxorem suam apud se reciperet, ac tutam fide jurata faceret, totamque causam Apostolicæ Sedis judicio committeret.

JESU CHR. AN. 864. *epist.* 27.

12. Lotharius interea tot Nicolai epistolis exagitatus, ac ad dicendam causam Romam invitatus, vel etiam vocatus, ut aut judicium Rom. Pontificis declinaret, vel sibi benevolum redderet, excusatoriam, & deprecatoriam epistolam, verbis quidem blandioribus, sed stilo ambiguo dedit, qua se ad obsequendum ejus jussionibus paratum esse testatus est, etsi grave eidem videretur, judicio ejus se sistendum, hinc post præfationem, qua gratias pro sollicitudine agere videretur, subdit. *Et quamvis nullus prædecessorum*

Lotharii deprecatoria, & excusatoria epistola ad Nicolaum.

apud Bar. num. 20.

JESU CHRI. AN. 864.

rum noſtrorum, ut recolimus pro talibus, de quibus nos irremediabiliter calumniamur, tam longinquum expetierit judicium, nos humiliter, ac patienter propter amorem Dei, & reverentiam Apoſtolorum Principis, longam ſufferentiam, juxta quod ipſe docuit habere decrevimus &c., & ut accuſatores ſuos, quos idem calumniatores appellat, ad dicendam cauſam adeſſe jubeat, rogat. *Ut ſi nutu veſtro quandoque ad limina Apoſtolica profecti fuerimus, nos velle, ſicut ipſi poſtulavimus, ut inimici noſtri nobiſcum veniant, ne forte greſſus noſtri eorum aſtutiis improvide ſupplantentur &c.* Commiſ-

Iſaj. 41.

ſerationemque ejus Prophetæ verbis implorat, quibus dicitur. *Calamum quaſſatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet*; ac de excommunicatione a Nicolao in legatos ſuos lata, ideſt in Guntharium, & Theutgaudum conqueritur, adnotatque ſe legatos Apoſtolicæ Sedis, quantum potuerit, benigne tractaſſe, quos cum poſtmodum Nicolaus depoſuiſſet, cum Romam rediiſſent, ſe in eorum culpa innoxium eſſe addit. *Quod in prævaricationis barathrum ſint demerſi nos ignoramus.* Hæc, & alia ibidem Lotharius, qui epiſtola altera idem retractans argumentum, de damnatis Gunthario Colonienſi, & Theutgaudo Trevirenſi Archiepiſcocis legatis ſuis iterum conqueritur, & quod Carolo Regi adverſario ſuo, faciles aures, aſſenſumque præberet, epiſtolam deinde claudens his verbis Pontificem interpellat. *Igitur propter Deum, ſanctam & individuam Trinitatem humiliter petimus, ut facile criminoſis ad cauſationem noſtram, nullatenus admittatis, neque, ut Apoſtolus docet, omni ſpiritui credatis, ſed probate ſi ex Deo ſint, quia parati ſumus, ſi ratio dictaverit per noſmetipſos prodere quod æmulorum invidia fingit, &c.* Eademque epiſtola de diverſa agendi ratione ab Gunthario, & Theutgaudo habita Nicolaum admonet. Nam Guntharius Coloniam reverſus Miſſarum ſolemnia celebrare auſus fuerat, & ſacrum chriſma conficere, *Quod nos*, ut ſubdit, *ægre tulimus, & ut hoc non fieret* tamquam mortiferum *venenum modis omnibus abominamur. Illo autem ad nos veniente, ejus Miſſam audire noluimus, nec in aliquo illi communicare ratum duximus*, ut ſe omnibus Apoſtolicæ ſedi obſequentem eſſe probaret, de Theutgaudo vero, paulo poſt. *Veſtra*

Pa-

JESU CHR. AN. 864.

Paternitas noverit, quod Theutgaudus ſimpliciſſimus atque innocentiſſimus vir, veſtram humiliter ferens cenſuram, in nullo de ſacro miniſterio contingere præſumpſit, magis eligens dehonorationem præſentialiter in oculis hominum pati, quam per inobedientiam ab illius membris ſecerni, qui caput eſt humilium &c. Utroſque nihilominus innocentes esse addit, ac pro utroque intercedit, ut ibidem videre eſt: atque hactenus dicta de geſtis hoc anno inter Nicolaum Pontificem, & Lotharium Regem ſatis ſint, plurima adhuc ſequentibus annis dicturi.

13. Eadem autem ſollicitudine, qua Lotharii cauſam Nicolaus proſequebatur, cauſam quoque Rothadi Sveſſionenſis Epiſcopi ab Hincmaro per injuriam depoſiti, urgebat, in quam rem quamplurimæ ejuſdem extant epiſtolæ hoc tempore datæ, quarum una ad ipſum Rothadum ſcripta, quanta pro ejus cauſa hactenus geſſiſſet, commemorat, & ut appellationem ab eo ad Apoſtolicam ſedem interpoſitam proſequeretur admonet, ac ſe illi non defuturum ſpondet. *Cognoſcat experientia tua*, ait, *frater cariſſime, de tuis tribulationibus multum Apoſtolatum noſtrum doluiſſe, immo dolere. Sed credimus Dei miſericordiam tibi proxime aſſuturam, quæ te ſicut Danielem educat de lacu leonum, & ſicut prodigum filium prima induat ſtola. Quæ autem de te primum Carolo glorioſo Regi, atque Hincmaro miſerimus, noſſe te credimus. Nunc autem Metropolitani, & cæteri Epiſcopi, qui contra te ſententiam protulere, nobis multa ſub geſtorum ſerie de te, vel contra te intimavere, & ut rata eſſent quæ de te promulgaverunt, noſtro flagitaverunt conſenſu roborari, Sed nos hæc agere diſtulimus, imo ut revocaretur Concilium, & juxta canonicam normam cauſam tuam in noſtro judicio terminaremus, præcepimus eis, ut te de monaſterio educerent, & S. Petri memoriæ pariter aut ipſi, aut vicarii ipſorum tecum venientes honorifice præſentarent. Quod ſi poſt lectam a nobis ſibi miſſam epiſtolam, intra triginta dierum ſpatium, noſtram non curaſſent conſtitutionem perficere: poſt triginta dies a Miſſarum ſolemniis celebrandis (quæ eis fortiter interdiximus) penitus ceſſarent, quouſque noſtris definitionibus perfectam obedientiam demonſtrarent. Unde frater chariſſime, quia cauſam tuam ſine examine dimittere*

Nicolai Papæ ſollicitudo pro Rothadi Sveſſion. Epiſc. reſtitutione. *epiſt. 33. & 34.*

JESU CHR. AN. 864. *non possumus, ne præjudicium districtionis Ecclesiasticæ facere videremur; rursumque quoniam sine præsentia nostra, ne forte injuste lædaris, in aliorum judicio causam tuam discuti ac definiri dubitamus: stude quantum potes, ut cum tibi Rex, & Episcopi, quemadmodum statuimus, licentiam dederint Romam properandi; mox utcumque venire non differas*, ac data dicitur quarto Kal. Maji, indictione 12. Eamdemque pro eo sollicitudinem se gerere epistola sequenti testatur, addens, se Hincmaro Remensi Episcopo, ac Carolo Regi non semel ea de causa scripsisse, & ut causam suam apud sedem Apostolicam prosequi posset, liberum abire permitterent, idemque confir-

epist. 35.36. mant extantes adhuc Nicolai epistolæ tum ad Carolum Regem, cum ad Hirmentrudem ejusdem conjugem, qua se Rothadi causam indiscussam relinquere non posse testatur, Carolum vero Regem admonet, ut & liberum dimittat, & ut itineris solatia præstet, Hincmarum vero eo quod excusationes prætexens, Rothadi romanum iter impedire, & differre tentaverat, gravissimis hisce verbis coarguit. *Mira-*

epist. 37. *pag.* 423. *mur præterea, & æquanimiter ferre non possumus, cur Apostolica nostra monita jam toties pro confratre nostro Rothado Episcopo vilipendens, spernere non recuset, de quo non solum ter, sed & quater charitati tuæ, ut recuperaretur, direximus, & ad ultimum statuimus, ut aut honori pristino redderetur, aut Kalendis Maii istius XII. indictionis Apostolatui nostro cum legatis tuis præsentaretur. Quod non tantum fieri renuisti, sed etiam cum ipse venire vellet, iterque jam cœptum haberet, non est permissus, sed potius coactus, retro versus est. In quo datur intelligi, ut tua fraternitas ad hujus casum prompta existere possit, quando & Apostolica præceptio ad injuriam B. Petri Apostoli illis in partibus non observatur, & a te spernitur, & violatur*, & ut tandem faciliorem se præberet, jubet.

Rothadus Romæ sistitur. 14. Quam hæc Nicolai sollicitudo exitum habuerit, videamus. Annalista Bertinianus hæc litteris prodidit. *Carolus Rotadum nuper depositum, sicut Dominus Papa ei mandaverat, cum suis, & Episcoporum litteris, atque Vicariis Romam misit*, & iterum paulo post; *Carolus cum epistolis per Robertum Cenomanicæ urbis Episcopum Romam, sicut Apostolicus jusserat, Rothadum dirigit, sed & Episcopi regni*

ejus

ejus Vicarios ſuos cum Synodicis literis de cauſa ipſius Rothadi ad Apoſtolicam Sedem mittunt, quibus Ludovicus tranſitum denegat. Ipſi autem Legati tam Regis, quam Epiſcoporum, impoſſibilitatis ſuæ cauſas Romam veniendi clanculo Papæ cognitas faciunt, Rothadus ſimulata infirmitate Veſoncio, cæteris patriam repedantibus remanet, & poſt aliorum regreſſum per Curiam, ſuffragantibus ſibi Lotharii, & Ludovici Germaniæ Regis fautoribus, Ludovicum Imperatorem Italiæ adiit, quatenus ipſius ſolatio Romam valeat pervenire; ubi tandem menſe Junio adfuit, ibique cum plures menſes adventum legatorum Hincmari, & Epiſcoporum, qui eum anno proximo depoſuerant, expectaſſet, iis non advenientibus, Rothadus tandem libellum Nicolao Pontifici obtulit, quo damnationis ſuæ ſeriem exponens, ut priſtinæ dignitati reſtitueretur, petebat.

JESU CHR. AN. 864.

Labb. concil. to. 8. pag. 785.

15. Quare ſanctus Pontifex contumacia adverſariorum, Romanæ Eccleſiæ dignitatem ſperni haud diutius ferens, etſi cauſam plenius tractandam ad ſynodum anno ſequenti menſe Januario diſtuliſſet, eum nihilominus in pervigilio Nativitatis Domini, Pontificalibus veſtibus indutum adeſſe juſſit, ut pluribus narrat Anaſtaſius, ac addit. *Ubi veſtitus Epiſcopali Rothadus indumento, omni tempore ſe pollicitus eſt ſuis infeſtatoribus reſponſurum, rurſus expectatis aliquantis diebus, ſcilicet uſque in diem natalitium ſanctæ Virginis Agnetis, qui eſt duodecimo Kal. Februarii, ſed nec ſic quiſpiam affuit adverſus Rothadum jam reſtitutum Epiſcopum aliquid altercans &c.* nam Hincmarus cauſæ ſuæ diffidens, tardius legatos cum litteris ſuis Romam miſit, ac tres ab eo ſcriptas litteras tunc fuiſſe in ejus vita narrat Flodoardus lib. 3. cap. 12. 13. 14. eaſdemque recitat, de quibus anno ſequenti, cum cauſa eadem in Romano concilio definita fuit.

Nicolai ſententia pro Rothadi reſtitutione.

Anaſt. pag. 419.

16. Inter tot Epiſcoporum diſſidia, tantamque erga Apoſtolicam ſedem contumaciam, Rotlandus Arelatenſis Epiſcopus, non ignorans prædeceſſores ſuos inter Galliarum Epiſcopos primatum tenuiſſe, ac apoſtolicæ ſedis vices geſſiſſe, ut ſibi antiqua privilegia confirmarentur, datis ad Nicolaum Pontificem litteris, humillime poſtulavit, cui reſcribens Nicolaus, ejuſdem erga Apoſtolicam ſedem obſequium, reverentiamque laudavit. *Suſceptis ſanctitatis tuæ*

Nicolai ep. ad Rotlandum Arelat. Epiſc.

epiſt. 9. in append. pag. 492.

JESU CHR. AN. 864.

tuæ litteris, ait Pontifex, *totius humilitatis dono refertis, cunctarumque virtutum floribus redimitis, multiplices gratiarum cultus omnium bonorum auctori rependimus, tuamque a multis retro temporibus erga Sedem Apostolicam agnitam devotionem plurimum commendamus, atque ut in hoc salubri proposito perseveret, fraternitatem tuam obnixius adhortamur &c.*, ac multa in ejus laudem addens, ut in iis perseveret hortatur, ac Sedis Apostolicæ gratiam, & patrocinium promittit. *Noveris te deinde Apostolatus nostri clypeo protegendum, ac charitatis & pietatis brachiis modis omnibus complectendum, sanctam quoque Ecclesiam divinitus tibi creditam, nostra sollicitudine & vigilantia auctore Deo per amplius, & perfectius amplificandam &c.*, ac data dicitur *Mense Maji die* 12. *indictione* 12., ideſt hoc anno, eaque epiſtola etſi zelum ejus, obſequiumque erga Apoſtolicam ſedem laudaverit, ejuſdemque ſedis gratiam promiſerit, vicariam nihilhominus Apoſtolicæ ſedis auctoritatem nequaquam tribuit, ut cuique epiſtolam legenti, patebit.

De Normannorum irruptionibus, deque geſtis contra eos.

17. Cum vix, ac ne vix umquam ab Normannorum irruptionibus Galliarum provinciæ reſpirarent, de geſtis hoc anno hæc narrat Bertinianus Annaliſta. *Carolus Aquitanos hostiliter contra Normannos, qui ecclesiam S. Hilarii incenderant, dispositio exercitu ire præcipiens, filium, & equivocum*, id eſt cognominem, *suum Carolum secum ducens, Compendium rediit. Missos suos ad recipiendas civitates, & Castella in Gothiam misit.* (anno enim ſuperiori Hunfridus Gothiæ Marchio Toloſam Raimundo ſubripuerat, & ſibi uſurpaverat, ut ibidem idem Annaliſta tradit) *Normanni Arveanum civitatem petunt, ubi Stephanum Hugonis filium cum paucis suorum interfectum, impune ad suas naves redeunt. Pippinus Pippini filius ex monacho laicus & apostata factus se Normannis conjungit, & ritum eorum servat*, deinde poſt aliqua idem auctor.

Carolus Piſtris conventum celebrat.

18. Normanni, qui cum plurimo navigio in Flandris appulerunt, reſiſtentibus ſibi Pagenſibus, per Rhenum aſcendunt; *& vicina regnorum Lotharii, ac Ludovici ex utraque ripa ipsius fluminis vastant. Carolus Kalendas Junii in loco, qui Pistris dicitur, generale placitum habet, in quo annua dona, sed & censum de Britannia a Salomone Bri-*

Britannorum duce sibi directum more prædecessorum suorum, quinquaginta scilicet libras argenti recipit: & firmitates in Sequana ne Normanni per eumdem fluvium possint ascendere ibidem fieri jubet. Capitula etiam de triginta & septem consilio fidelium suorum, more prædecessorum, ac progenitorum suorum Regum constituit, & ut legalia per omne regnum suum observari præcepit. De Pippino autem Pippino filio ex monacho apostata, & ad Normannos transfuga hæc subdit. *Pippinus apostata a collegio Normannorum ab Aquitanis ingenio*, seu fraude, *capitur, & in eodem placito*, Pistrenſi, *præsentatur, & a Regni Proceribus, ut patriæ, & Christianitatis proditor, & demum generaliter ab omnibus ad mortem dijudicatur, & in Silvacensi arctissima custodia relegatur. Carolus a loco qui Pistris dicitur, revertens, intrat Compendium, circa Kal. Julii missum Mahomet Regis Seracenorum, qui ante hyemem ad se venerat, muneratum cum plurimis & maximis donis per suos missos ad eumdem Regem satis honorifice remittit.* In conventu Pistenſi capitula trigintaſeptem de eccleſiarum indemnitate, de reverentia, & obedientia eccleſiæ miniſtris exhibenda, deque Republica bene adminiſtranda vulgavit Carolus, ac ut ab omnibus ſervarentur præcepit, a Balutio inter capitularia Regum Francorum relata, ac data dicuntur anno *ab Incarnatione D. N. J. Chriſti* 864. *Regni noſtri anno* 25. *Indict.* 12. *ſeptimo Kal. Iulias.*

JESU CHRISTI. AN. 864.

Pippinus apoſtata in arcta cuſtodia relegatur.

Balut. Capitto. 2. pag. 174.

JESU CHRISTI ANNUS 865. NICOLAI PAPÆ 8. LUDOVICI IMP. 11. MICHAELIS IMP. 14.

1. Rothadum Sveſſionenſem Epiſcopum ab Hincmaro injuria depoſitum, in vigilia nativitatis Domini Romæ præſentem, Clero, populoque Romano adſtante, a Nicolao Pontifice ſuæ ſedi reſtitutum fuiſſe, ex Anaſtaſio anno proximo diximus, cumque accuſatores ejuſdem per aliquot adhuc dies expectaſſet Nicolaus, ideſt, uſque ad diem duodecimam Kal. Februarij, quo feſtum S. Agnetis virginis celebrabatur, nec quiſquam apparuiſſet, in eadem Romana ſynodo ad hunc annum prorogata, cum iterum libellum excuſationis ſuæ, & promiſſionis Nicolao obtuliſſet, quo ſe accuſatoribus ſuis omni tempore reſponſurum promittebat, in eccleſia

Nicolaus Papa ſententiam pro Rothado latam confirmat.

JESU CHR. AN. 865. pag. 419.

cleſia ſanctæ Conſtantiæ juxta Templum virginis Agnetis. *Decreto Beatiſſimi hujus Præſulis*, ſubdit Anaſtaſius *jæpedictus Rothadus jam reſtitutus Epiſcopus Miſſarum ſolemnia ſolemniter celebravit. Sequenti vero die congregata in domo, quæ nuncupatur Leonina, denuo Synodo, excuſatoque ipſo (ſicut in libellis ab ea recognitis, duobuſque quaternionibus inſertis, atque diverſo tempore miſſis & oblatis, in archivo hujus Sedis repoſitis continetur) Rothado, ne talia ſacerdotes, & maxime Sedem Apoſtolicam appellantes, ultra diſcrimina paterentur, ſicut prænotatum eſt, in gradum priſtinum reſtitutus, & ad propriam Sedem cum Apoſtolicis ſanctionibus remiſſus, quatenus veſtitus Epiſcopalibus inſulis, ſi provocatus fuerit de cætero, ſuis accuſatoribus coram Sedis Apoſtolicæ Præſule reſponderet. Cum quo quippe ſanctiſſimo, & a Deo conſervandus Præſul, tam pro reſtitutione illius, quam pro abolenda Regis Lotharii copula, pro pace etiam, & concordia Regum Gulliarum conſervanda, Arſenium Epiſcopum hujus almæ urbis Apocrifarium, & Miſſum illuc deſtinavit, quatenus reformata pace, ſanctæ eos Eccleſiæ finibus ſine refragatione conjungeret: & quædam neceſſaria in Galliarum Eccleſia ex Apoſtolica traditione ſtatuta perageret.* Hucuſque Anaſtaſius de Arſenii Hortenſis Epiſcopi legatione in Gallias, ut Nicolai juſſa ibidem exequeretur, ob quam rem quamplurimas ſcripſit epiſtolas, de quibus ſingulatim nunc agendum, ac in primis quanta judicii maturitate Nicolaus Papa Rothadi cauſam tractaverit, ſcripta ejuſdem indicant. Ex his poſt Rothadi libellum proclamationis Nicolao oblatum, extat Nicolai ſermo ad Patres in Romana ſynodo recitatus, quo totam cauſam retractat, in eorum gratiam, qui præcedentibus actis non interfuerant, deinde datis litteris, geſta in Rothadi cauſam Romanum clerum, & populum certiorem reddidit, quantaque cum injuria ab Hincmaro ſua ſede dejectus fuiſſet, ac tum ante, cum poſt interpoſitam ad Romanam ſedem appellationem, injuriis affectum, iterum exponit, eumdemque nullo adverſus eum adveniente accuſatore, a ſe abſolutum, reſtitutumque fuiſſe; in epiſtola vero ad ipſum Rothadum data, *ſcriptaque per manum Petri notarii regionarii, & ſcriniarii S. R. eccleſiæ in menſe Januarii indict.* 13. Eumdem ſe auctoritate B. Petri Apoſtolorum Principis ſuæ Sedi reſtituiſſe, & ut muneri

Concil. to. 8. *pag.* 790. 91.

ſuo

JESU CHR. AN. 865.

ſuo vacaret, excitat, nullibi, niſi apud Apoſtolicam Sedem redditurus rationem, ſi quiſquam ei contraire, aut contradicere præſumpſerit, ut ibidem videre eſt.

Nicolai ep. ad Carolum Regem.

2. Ad Carolum autem Regem ea de cauſa ſcribens, ut Rothado jam Apoſtolicæ ſedis auctoritate reſtituto, faveret, ac Sveſſionenſis eccleſiæ bona ablata reſtituere curaret, hortatus eſt, eaque iterum cauſam totam Rothadi ab initio ad exitum perſequens, ac de contumacia Epiſcoporum Regni ejus conquerens, Hincmarum præ ceteris arguit. *Sed horum*, Episcoporum ſcilicet, *imo hujus contumaciæ nullus auctor, niſi Hincmarus Remorum Epiſcopus extat, qui & prædictum Rothadum etiamſi nunquam ad noſtra provocaſſet judicia, nequaquam deponere debuit, ſed contemptis nobis, quantum in ſe fuit, depoſuit, & multitudinem juſſionum noſtrarum, ut peripſema duxit &c.* plura non addimus, cum multa adhuc in eam cauſam dicenda ſuperſint.

Nicolai Papæ epiſt. ad Hincmarum.

3. Nam eadem tractans Hincmarum ipſum his verbis interpellat. *Si coram prudentiæ tuæ oculis ullus eſſet paternorum canonum, vel Apoſtolicæ Sedis reſpectus, nunquam Rothadum Sveſſonicæ urbis Epiſcopum ſine noſtræ tentaſſes ſcientiæ notione deponere. Præcipue cum negotium, quod merito inter majora connumeratur (de perſona ſcilicet judicare, cujus in eccleſia ceteris ordo major eſt) ventilanti, & multipliciter rimanti tibi adeo de ſe difficiles exitus daret, ut octo circiter annos ut deponeretur elaboraveris, & in tanta perplexitate cauſarum, & in tanta intercapedine temporum, nullam B. Petri memoriam prorſus habueris. Cujus contra is qui deponebatur mentionem faciens, tua decernente religioſitate proprio gradu caruiſſe dignoſcitur &c.* Reliqua deinde adverſus Rothadum per vim, injuriamque geſta commemorans, atque hac admonitione epiſtolam claudit. *Tandem aliquando unum e duobus, quod vult fraternitas tua, ſibi a nobis optione propoſita eligat, quia utrumque Canonicum eſt, utrumque ad Sedis Apoſtolicæ pertinet privilegium, videlicet, aut quæ de ſæpe fato fratre, & Coepiſcopo noſtro Rothado diſpoſuimus adimplens, in nullo refragatrix, ſed executrix inveniatur, aut certe Romam coram nobis ſeu ſancta Romana Eccleſia cum ipſo conſiſtum ſumptura, & pro hoc altercatura properare ſine dilatione maturet. Ita dumtaxat, ut prius ipſe*

JESU CHR. AN. 865.

ipſe Rothadus cunctis ablatis, ſicut ſtatuimus, recuperatis honoribus, & vires longo labore feſſas priori valetudine reditas reſumens diutius poſſideat, et ſuis omnibus perfruatur: Quod ſi neutrum ſine procurata mora forte ſis ageꝛe voluerit, et reſultare his quæ de illo ſtatuimus ſolito more ulterius curaveris, ab omni ſis ſacerdotali dignitate, Dei per nos judicio, et auctoritate Sedis Apoſtolicæ decreto, ſequeſtratus; itaut numquam locum ſatisfactionis, aut ordinis reſtitutionem opperiaris. Ad clerum vero, populumque Sveſſionenſem ſcribens, ut redeuntem Rothadum utpote innoxium, ſuæque Sedi reſtitutum hilari animo reciperent, hortatus eſt, quem etiam Athanaſio comparat. Unde inter cetera. *Denique hic ei reintegratus ſtatus eſt, et in hac Sede requiem communionis invenit, a qua ſemper catholicis ſubvenitur. Sancti autem ſunt verba Papæ Cæleſtini, quæ nos Rothado poſſumus non inconvenienter aptare, propter quod ille reverendi Athanaſii, et blaſphemi Arii mentionem fecit, in præſentiarum vero Hincmarus perſequens, et Rothadus innocens in cauſa ſunt. Gaudete itaque fratres etc.*

epiſt. 43. pag. 804.

Nicolai ep. ad Epiſcopos Galliæ. *pag. 797. ſeq.*

4. Inter tot Nicolai epiſtolas, ceteris ea celebrior eſt, quam ad Galliæ Epiſcopos direxit, quamque etſi longiorem integram, ob argumenti dignitatem annalibus inſeruit Baronius, cum in ea non ſolum de Romanæ eccleſiæ dignitate multa referat, ſed etiam querelas confutat Epiſcoporum Galliæ, eo quod Epiſcoporum cauſas ad Apoſtolicam ſedem revocaverit, quas in conciliis Coepiſcoporum finiendas eſſe Galliarum Epiſcopi ſcripſerant, ac Romanorum Pontificum epiſtolas, utpote in canonum codice nondum inſertas, ſed tantum in collectione Iſidori, eo tempore ignotas eſſe. Cum autem de Iſidorianæ collectionis pro mulgatione, uſu, & auctoritate nonnulla a nobis alibi adnotata ſint, ad eum locum lectores amendamus, ac de vulgata quæſtione poſt Blondellum in libro, qui Pſeudo-Iſidorus, & Turrianus vapulantes, inſcribitur, plura dabunt Scheleſtratius, de Marca, Coutantius, Quenellus, Ballerinii, aliique, qui de Codice canonum Romanæ eccleſiæ, vel de canonum collectionibus tractatus ediderunt. Itaque ad hujus anni geſta ſtilum convertentes, cum Baronio adnotamus, quod etſi Nicolaus aliqualem Romanorum Pontificum epiſtolis Iſidorianæ collectionis auctoritatem tribue-

De auctoritate, & uſu collectionis Iſidori. *An. 109. n. 5. 6.*

buerit, cum tamen non ignoraret, eaſdem utpote nondum uſu receptas, non ubique vel ab omnibus recipi, ut Romanæ eccleſiæ privilegia, in recipiendis præcipue Epiſcoporum appellationibus adsereret. *Abſtinuit tamen ab illis*, ideſt Iſidorianis, ait Baronius, *quas ſaltem dubias intelleXiſſe non dubium ſit, illis tantum*, ſeu potius præcipue, *uſus de quibus in eccleſia Dei nunquam fuerat dubitatum, quod illis adventitiis & recens inventis non egeret eccleſia, cum aliunde ex germanis, ſinceris, certiſque Rom. Pontificum epiſtolis abundanter accipere potuiſſet*, ex epiſtolis ſcilicet Innocentii, Leonis, Gelaſii, Symmachi, Gregorii aliorumque in vetuſtiſſima Dionyſii Exigui collectione exſtantibus.

JESU CHR. AN. 865.

an. 865. 7.

5. His autem de agitata inter Nicolaum Pontificem, & Epiſcopos Galliarum quæſtione breviter prænotatis, quid epiſtola Nicolai contineat, videamus, qua multa de Romanæ eccleſiæ dignitate, & Primatu in totam eccleſiam præfatus, Epiſcoporum cauſas, inter majora judicia, ad Apoſtolicam ſedem reſervata, recenſendas eſſe, Sardicenſis concilii auctoritate probat; eorum deinde objectionem confutat, qui ſcripſerant, *haud illa decretalia priſcorum Pontificum in toto Codicis canonum corpore contineri deſcripta*, cum multa in eccleſia uſu recepta ſint, plenamque auctoritatem obtineant, etſi in canonum Codice inſcripta non ſint; hinc ſacram quoque ſcripturam veteris, & novi teſtamenti, nullatenus recipiendam eſſe ſequeretur, *ſi iſta duxerimus dicenda*, addit. Quod ſi dicatur, veteris, novique teſtamenti ſcripturam ideo recipi, quia eam Innocentii Pontificis decretum, recipiendam eſſe jubet; innumera quoque Romanorum Pontificum decreta extare adnotat, quibus jubetur, ut Romanæ eccleſiæ decreta obſerventur. ac ſubdit. *His ita divina favente gratia prælibatis, oſtendamus nullam differentiam eſſe inter ea decreta, quæ in codice canonum habentur Sedis Apoſtolicæ Præſulum, & ea quæ præ multitudine vix per ſingula voluminum corpora reperiuntur, cum omnia & omnium deceſſorum ſuorum decretalia conſtituta, atque decretales epiſtolas, quas beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab Urbe Roma dederunt, venerabiliter eſſe ſuſcipiendas & cuſtodiendas, eximios præſules, Leonem ſimul, & Geluſium mandaſſe probavimus*. Atque hæc ad Rothadi Epiſco-

Quid contineat epiſtola Nicolai ad Epiſc. Galliæ.

JESU CHR. AN. 865.

pi causam referens, quod eum, qui interposita appellatione ad Romanam sedem confugerat, receperit; innoxiumque inventum declaraverit, suæque sedi restituerit, injuria eosdem conqueri, ex præcedentium Pontificum exemplis, gestisque in causa Athanasii, Chrysostomi, aliorumque probat, quare post multa. *Itaque Rothadum Episcopum, de quo hactenus nostris contempsistis obedire mandatis, tandem a nobis, imo a Deo pristino gradui restitutum benigne susципite &c.* contra contumaces vero hanc sententiam dixit. *Porro quisquis contra hoc nostri Apostolatus decretum, post notitiam ejus se offerens sæpefato Rothado Episcopo ad recipiendam & regendam ecclesiam aliquod præparaverit offendiculum habeatur omnimodis alienus.* Hæc, & alia ibidem Nicolaus in epistola ad Galliarum Episcopos pro restitutione Rothadi, quem ab urbe recedentem, pluribus aliis Apostolicis litteris munitum remisit, quarum supra mentionem fecimus.

Nicolai Papæ pro Rothado sententia, & pœna in contumaces.

6. Antequam in Gallias Rothadus perveniret, suamque sedem reciperet, alteras ab Carolo Rege litteras, Hincmari stilo, vel manu, ut verosimile est, exaratas Nicolaus Papa accepit, quibus Rothadum tamquam ecclesiæ suæ ineptum pastorem arguebat, quas cum jam finita causa, dimissoque ab urbe Rothado Nicolaus accepisset. Carolo rescribens, ne tam facile Rothadi obtrectatoribus crederet, & ut redeuntem benigne exciperet, hortatus est. *Miramur*, inquit, *cur tantus Rex suasoriis verbis cedit, & non magis nobis qualiter de Rothado obediat, procurat; Desine ergo fili & deceptoria verba depelle a corde, incipeque nostris monitis parere, ut excellentissima gloria vestra cum exultatione fructificet, & cum gaudio manipulos colligat.* Tandem. *Hanc autem epistolam igitur more solito scribi non fecimus, quia legatus vester sustinere non poterat, & ob festa Paschalia scriniarios nostros, eo quod debitis vacabant occupationibus, habere, ut debuimus, non valuimus*: quam ideo in festis Paschalibus sua manu Nicolaus scripserat, atque hæc ultimæ contra Rothadum objectiones fuerunt, adversus quem, utpote a Romana sede restitutum nemo ultra mussitare ausus est, sicque tandem, quod diu Nicolaus optaverat, in suam ecclesiam Rothadus rediens, eamdem in summa pace ad obitum usque rexit; de ejus autem reditu hæc Bertinianus Annalista adnotat. *Nicolaus Papa Arsenium Ortensem Epi*

Caroli Regis querelæ adversus Rothadum.

Apud Bar. num. 30.

JESU CHR. AN. 865.

Episcopum, & consiliarium suum cum epistolis ad Ludovicum, & Carolum fratres, sed & ad Episcopos, & Primores regnorum eorum, ea quæ Lotharius per fratrem petierat, continentes, non cum Apostolica mansuetudine, & solita honorabilitate, sicut Episcopi Romani Reges consueverant in suis epistolis honorare, sed cum malitiosa interminatione transmittit. Hæc is auctor, quem Carolo Regi, & Hincmaro Remensi Archiepiscopo impensius faviſſe, jam supra adnotavimus, quem ideo in hac quoque causa infenſo animo in Nicolaum Pontificem fuiſſe, mirum non eſt. Ejus porro calumnia refellitur, non tantum ex epiſtola Nicolai Papæ ad Carolum Calvum data, ordine 40. ſed etiam ex Annaliſta Fuldenſi, qui *Arſenium* Nicolai I. Legatum a Ludovico, & Carolo Regibus honorifice ſuſceptum, & muneribus magnificis honeſtatum teſtatur; quod argumento eſt, Nicolai I. legationem & litteras ad utrumque Regem inurbanas non fuiſſe. Pergit idem Annaliſta Bertinianus: *Arſenius Rothadum canonice a quinque Provinciarum Epiſcopis dejectum, & a Nicolao Papa, non regulariter, ſed potentialiter reſtitutum ſecum reducens, Carolo præſentavit.* Canonice tamen reſtitutum fuiſſe, & geſta hactenus relata teſtantur, & Natalis Alexander diſſertatione ſexta ſeculi noni, & decimi probat, ut plura addere ſuperfluum ſit.

Hincmari Remenſis Epiſc. epiſtola ſeu Apologia ad Nicolaum.

7. Hinc etiam Hincmarus ipſe Remenſis Archiepiſcopus, qui Rothadum in ſynodo Sveſſionenſi Epiſcopatu dejecerat, quique ſententiam latam totis viribus tueri conatus fuerat, acceptis Nicolai Papæ litteris, quibus Rothadum ab impactis criminibus innoxium declaraverat, ſuæque dignitati reſtituerat, Hincmarus inquam ipſe, Epiſcopus, debitam Apoſtolicæ ſedi obedientiam exhibiturum ſe fore promiſit, aut finxit. Nicolao tamen reſcribens, Apologiam pro ſe ipſo litteris ſuis inſeruit, & ut Rothadum jure meritoque a ſeipſo in ſynodo Sveſſionenſi depoſitum probaret, ejuſdem non ſolum in munere paſtorali oſcitantiam, & negligentiam commemorat, ſed graviora etiam crimina objicit, inter cetera, quod calicem aureum gemmis ornatum cauponæ, & tabernario oppignoraverit, ac coronas eccleſiæ ſuæ argenteas, aliaque ejuſdem metalli vaſa Judæo vendiderit. In quo, ut ait Baronius, mirari ſatis non poſſum, ejuſdem Hincmari, ſi quæ objecit, vera

Crimina Rothado objecta.

JESU CHR. AN. 865.

ra non ſunt, adeo in mentiendo promptam audaciam, vel ſi vera ſunt, ſique tam juſtam, (ut ſcriptis præſefert) adverſus Rothadum cauſam foveret; cur adeo refugerit judicium Apoſtolicæ Sedis, toties (ut vidiſti) interpellatus litteris Nicolai ejuſdem Pontificis: cum, vel per nuntium ſaltem ea obſignata Epiſcoporum, vel aliorum teſtimonio ad judicium tanto tempore Romæ ventilatum mittere, totiea requiſitus, impigre debuiſſet. Verum quæ ab ipſo in Rothadum graviora ſuis ad Nicolaum Papam litteris inſeruntur, eo magis mendacii ſuſpecta redduntur, quod ex iis quæ dicta ſunt, appareat in dicto ſæpius ſynodali conventu contra eumdem Rothadum, in quo omnia communi conſpiratione judicum, & accuſatorum adverſus eum ſunt actitata, de illis, quæ primo loco ponenda erant, nulla vel levis ſaltem ab accuſatoribus mentio facta eſt.

Hincmari epiſtolæ ad Nicolaum ſumma capita. *Frodoardo lib. 3. c. 13.*

8. Hincmari epiſtolam, ſeu potius, pro ſe ipſo Apologeticum ſcriptum Frodoardus Hincmaro ſuo propenſior, in ejus vita exhibet; cujus partem maximam, quæ Rothadi cauſam ſpectat, per capita viginti & ultra diſtinctum refert Baronius, nos hæc tantum adferenda ſelegimus. Apologetici hæc eſt inſcriptio. *Domino unice ſingulariterque ſuſcipiendo Patrum Patri, & ſumma veneratione honorando reverendiſſimo Papæ Nicolao Hincmarus, nomine non merito Rhemorum Epiſcopus, ac plebis Dei famulus.* Epiſtola ſic incipit. *Epiſtola veſtræ ſanctitatis per Odonem Epiſcopum &c.* Primum enim agit de cauſa Eccleſiæ Cenomanenſis, cur diutius viduata paſtore manſerit; deinde ſubjungit quæ in cauſa Balduini eſſent acta, quorum nomine etiam idem Hincmarus fuerat ab eodem Pontifice redargutus: tandem vero ad cauſam Rothadi deſcendit, ac primo cur legati ſui, ſeu Vicarii tempore apto ad dicendum contra Rothadum cauſam non adveniſſent, rationem reddit, deinde litteras ab Nicolao ad Carolum Regem in cauſa Rothadi ſcriptas, pridie Kal. Decembris per Leudonem Regis miſſum, ſe cognoviſſe narrat, quo tempore ad Regem profectus, *mihi veſtras litteras legendas donavit*, iisque lectis ſe mandatis ejus obſequi paratum ſe eſſe ait, at Nicolaum rogat, ut ſalva Apoſtolicæ ſedis debita reverentia, cui ſe obſequentiſſimum eſſe teſtatur, ſalviſque Romanæ eccleſiæ privilegiis circa Epiſcoporum appellationes, mul-

multiloquium ſuum patienter ſuſtinere velit, ac Rothadi cauſam pertractans, cuncta a ſe hactenus geſta, & qua ratione, animique moderatione in eum ante Sveſſionenſem ſynodum, ejuſque depoſitionem in ea factam ſe geſſerit, cum eum repetitis paterniſque admonitionibus per ſe ipſum, per Epiſcopos, per Reges, & familiares amicoſque ejus, ut muneri ſuo ſatisfaceret, gregique commiſſo invigilaret, admonuerit, longa oratione perſequitur, Quibus cum ſemper reſtiterit, effrænatuſque in malis perſeveraverit, ſe tandem neceſſitate coactum ad ejuſdem depoſitionem advenisse narrat. Hinc geſta Sveſſionenſis ſynodi interſerit, ac geſta poſt ſynodum addit, quin Rothado ab Epiſcopatu depoſito, ſe ab Rege pro eo Abbatiam obtinuiſſe narrat, ut ex ejus fructibus lautiori cultu vivere poſſet. *Quatenus qui in deliciis vitam ſemper duxerat non frangeretur, tantum ut ſeditioſus & moleſtus eccleſiæ cui præfuerat, eſſe non decertaret. Cui primum quidem acquievit, &c.* ſed ab Epiſcopis Regni Lotharii, & Ludovici Germaniæ Regis zelo amaro in Hincmarum commotis, eo quod in cauſa Valdradæ cum iis non conſentiret, Rothadum ad appellationem interponendam excitatum fuiſſe addit, ac de appellationibus Epiſcoporum, vel Metropolitanorum ad Romanam ſedem, multa quidem data occatione, ex conciliorum canonibus, Romanorum Pontificum, vel ſanctorum Patrum teſtimoniis adnotat, iiſque ſubſcribere teſtatur, at nonnullos iis abuti non diſſimulat, cum præſertim Metropolitanorum, & ſua præſertim auctoritas vileſceret. Hinc poſt plurima. *Sic Rothado ab auctoritate veſtra compaſſio exhibeatur*, inquit, *ut vigor eccleſiaſticus non diſſolvatur &c.* Hæc & alia ibidem, quæ exſcribere longum eſſet.

Jesu Chr. an. 865.

9. Rothadi cauſa hactenus expoſita, ad alia ab Nicolao Pontifice hoc anno geſta tranſimus, quorum cauſa Arſenium Ortæ Epiſcopum legatum ſuum in Gallias miſit, ut ibidem diſſidentes Reges inter ſe componeret, ut Theutbergam Lotharii thalamo, Valdrada ejecta, reſtitueret, & Engeltrudem Boſonis uxorem, a viro profugam, vagiſque amoribus jamdiu implicatam, ad ſaniora conſilia revocaret, de quibus hæc ſummatim adnotat Annaliſta Fuldenſis. *Arſenius Epiſcopus Nicolai Rom. Pontificis legatus ob pacem & concor-*

Nicolaus Papa Arſenium Episc. in Gallias legatum mittit.

JESU CHR. AN. 865.

cordiam inter Hludovicum videlicet Italiæ Imperatorem, & Hlutarium fratrem ejus, missus est in Franciam: qui mense Junio veniens apud Franconofurti ab Hludovico Rege honorifice susceptus est, a quo absolutus in Galliam perrexit, & Theuthpergam Reginam a Hlutharío dudum dimissam, sicut ei ab Apostolico injunctum fuerat, eidem restituens, Valdradam vero concubinam ejus in Italiam duci præcepit, & ut Hlotharius Theuthbergam quemadmodum Rex legitime sibi conjunctam deinceps tractaret Reginam, duodecim ex optimatibus ejusdem Regis juramento firmare coegit. Deinde in Regnum Caroli profectus, multisque ibi quorum gratia venerat bene gestis, reversus est, ait idem auctor, eadem fere Annalista Bertinianus, qui etiam nonnulla de Irmentrude coercenda, deque litteris *terribilibus, & modestia sedis Apostolicæ antea inauditis maledictionibus*, delatis, addit deinde de Theutberga cum Lothario reconciliata, Arseniique in urbem reditu, subdit. *Arsenius Episcopus impetratis apud Carolum, pro quibus ad eum venerat, ad Gundulphi villam cum Lothario, quo Theutberga eum præcesserat, pergit. Ibi quoque per aliquot dies morans propter Valdradam quæ illuc ad eum deduci, & ab eo in Italiam deduci debebat, Lothario, & Theotberga Regio cultu paratis & coronatis, in die Assumptionis Sanctæ Mariæ missas celebrat: & inde cum præfata Valdrada versus urbem, quo dicebatur Hludovvicus Italiæ Imperator obviam Lothario venturus, pergit. Inde per Alemanniam, & Bojariam, pro recipiendis patrimoniis Ecclesiæ S. Petri in eisdem Regionibus conjacentibus, Romam redit. &c.* Hæc autem fusiori stylo Regino persequens, inter cetera de Arsenii gestis narrat. *Perveniens in Gallias Arsenius, tanta potestate, & auctoritate usus est,* (quod ut vidimus, Annalista Bertinianus pati non poterat) *ac si idem summus Præsul advenisset; convocatoque conventu Episcoporum, Lotharium Regem alloquitur, ut unum e duobus eligat, aut propriæ reconcilietur uxori, abdicato Valdradæ pellicis consortio, aut protinus anathematis gladio feriatur ipse, omnesque ei in hoc scelere favorem præstantes. Hac necessitate compulsus vel constrictus, vellet, nollet, Theutbergam Reginam in matrimonium recepit, interposito jurisjurandi sacramento, se illam ita in reliquo habere, sicut æquitatis jura dictant, legitimam uxorem esse*

JESU CHR. AN. 865.

se tenendam, nec eam a se separaret, nec ipsa vivente, aliam super eam induceret. Post hæc Valdradam ex auctoritate Dei, & sancti Petri, & verbo domini Apostolici Romam ire jubet, & pro se rationem reddere studeat. Engeltrudam uxorem quondam Bosonis Comitis a Sede Apostolica excommunicatam esse, omnibus declaravit, quia proprium deseruerat maritum, & Vvangerum suum vasallum in Gallias secuta fuerat. Quam excommunicationem cum omnibus qui aderant Episcopis renovavit: Post hæc eadem Engeltruda prædicta Arsenio in Vvormantia civitate se repræsentavit, in quo loco præfatus Episcopus Ludovico Regi occurrerat. Juravit igitur in præsentia ipsius Missi sacramentum in hunc modum continens. Ego Engeltrudis filia quondam Mattefridi Comitis, quæ fui uxor Bosonis Comitis, vobis domino Arsenio Episcopo Missо, & Apocrisario summæ sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Sedis, & per vos domino meo Nicolao summo Pontifici, & universali Papæ juro, imo per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & per quatuor Christi Dei Evangelia, quæ ore osculor, & manibus propriis tango, quia amodo relinquam illam malitiam, quam in prænominato Bosone viro meo exercui, & ut ovis quæ perdita fuit ad sanctam Catholicam sub eadem obligatione, qua dominus Nicolaus summus Pontifex, & universalis Papa me obligavit, revertar Ecclesiam. Et in Italico Regno, aut vobiscum, aut ante vos quoquomodo provideritis, ibo; & quidquid Dominus Apostolicus jusserit, & terminaverit, adimplebo, & perficere non recusabo &c., at, ut subdit, datam fidem paulopost fefellit, nam cum usque ad Danubii ripas cum Arsenio transiisset, ibidem ad consanguineum suum, *pro caballorum adminiculo ire condixit, & ad Augustam civitatem ad eumdem missum se reversuram pollicita est. Tali occasione gressum torquens ex Alemannia, in Franciam repedavit, Quod cum supradictus Arsenius cognovisset, epistolam misit omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, atque omnibus sanctæ Ecclesiæ Fidelibus Galliæ, Germaniæ, ac Neustriæ commorantibus, obtestans omnes per auctoritatem Dei omnipotentis, & beatorum principum Petri, & Pauli, ac domini Pontificis, & universalis Papæ, ut nullus eam intra parochiam reciperet, sed eam funditus ab omnibus Ecclesiis suis pradicarent excommunicatam, & ab omni Christianorum communione*

JESU CHR. AN. 865.

nione ſequeſtratam; inſuper, & anathematis vinculo innodatam, & inter impias, & ſceleroſas damnatam, donec de peſtiferis factionibus ſuis, atque perpetrato perjurio ante domini Apoſtolici præſentiam dignam acciperet pœnitentiam.

Arſenii Epiſcop. epiſt. ad univerſos Epiſcopos. *Concil. to.* 8. *pag.* 440.

10. Extatque adhuc Arſenii Epiſcopi, & Nicolai legati epiſtola ad omnes Galliæ, & Germaniæ Epiſcopos data, qua, hactenus ab Nicolao Papa geſta pro revocanda ad meliorem vitam Engeltruda narrat, eamdemque ſibi apud Vormatiam oblatam juraſſe, quod *ante nos, vel nobiſcum pariter Romam venire deberet, & ſecundum Domni Apoſtolici præceptionem, de peractis malis pœnitentiam ageret &c.*, quæ cum datam fidem, juramentumque præſtitum violaſſet, ac in Gallias rediiſſet, Epiſcopos ne eamdem in ſuas Diœceſes reciperent, admonet, ac ut ipſam anathematis pœna affectam ubique prædicare juberent, hortatur, ut ibidem, vel apud Baronium videre eſt: in eamdemque rem Nicolai quoque Pontificis extat epiſtola ad Hincmarum, ceteroſque Regni Caroli Epiſcopos, qua jnbet, ut Engeltrudem a viro ſuo Boſone profugam, vel ad maritum ire compellant, vel excommunicatam eſſe denuncient.

Nicolai ep. ad Hincmarum ep. 54.

Nicolai ep. ad Epiſc. in Regno Lotharii. *epiſt.* 10. *in append. pag.* 494.

11. De legato autem Arſenio in Gallias miſſo, ut præcipue Lotharium ad revocandam Theutbergam uxorem, dimitendamque Valdradam pellicem cogeret, in litteris ſuis non ſemel meminit Nicolaus Papa, quarum una ad Epiſcopos in Regno Lotharii conſtitutos, eoſdem excitans, ut libere Lotharium arguerent, adulteramque abjicere compellerent. De Arſenio in eam cauſam miſſo, hæc ſubdit. *Porro hæc, & cætera, quæ huic paginæ inſeruimus, Arſenio ſanctiſſimo Epiſcopo Apocryſario noſtro vobiſcum ſecundum voluntatem Dei exequenda commiſimus &c.*

Adventii Epiſc. epiſtola ad Nicolaum Papam.

12. Quanto autem cum obſequio, & Rom. Sedis obedientia, Arſenius Nicolai Papæ legatus exceptus fuerit, tum a Regibus, cum ab Epiſcopis, jam ſupra ex Fuldenſi Annaliſta, & Reginone audivimus, idemque confirmant Adventii Metenſis Epiſcopi litteræ ad Nicolaum directæ, quibus, poſtquam ejuſdem in tota eccleſia ſollicitudinem impenſe laudavit, de Arſenio illuc miſſo hæc ſubdit. *Ut enim pii certaminis veſtri laborem, ſanctiſſimorum prædeceſſorum veſtrorum more ad copioſam perduceritis victoriam, Arſenium reverendiſſimum ac ſanctiſſimum Epiſcopum Apocriſiarium, atque*

que fidelissimum Consiliarium a vestro sancto latere Legatum excepimus, & quasi Angelum Dei gratanter, atque inhianter amplexati fuimus, ac pro parte desiderabilis visionis vestræ illo uti decrevimus. Extitit enim nobis ex candelabro Pontificatus vestri lucerna ardens & lucens, illumque in divinis cultibus, atque necessariis Ecclesiæ negotiis probum cooperatorem, ac ferventissimum vestræ legationis esse gavisi sumus. Excussit enim manus suas ab omni munere, & ut de sacrato vestri pectoris fonte potaverat, nobis omnibus æquitatis, & justitiæ exempla propinavit. Unde actum est, quod postposita personarum acceptione diu dilatatas conjugii simultates radicitus amputavit, & legitimi matrimonii jura deliberativo tramite salubriter reformavit. O utinam Rodoaldus quondam Legatus vester, sicut iste, decretasset, & nobis per omnia vestra mandata denudasset &c. ac nonnulla iterum in Arsenii laudem adnotans, se litteras suas per Regimarum Metensis monasterii Abbatem misisse addit, cum aliquali ecclesiæ suæ benedictione, seu munusculo.

JESU CHR. AN. 865.

13. Inter cetera Arsenio legato suo proficiscenti, ut inter Francorum Reges pacem renovaret, jusserat Nicolaus Papa. Quamobrem Carolo scribens, ut pacem cum Lothario Imp. nepote suo custodiret hortatus est, his sub epistolæ initio eum verbis compellans, *Initium locutionis meæ, quam ad vos nunc habeo carissime, ecce cum Apostolo Paulo sumit exordium, & vox mea vox illius est, dicens: Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et inferius: *Concipite itaque filii pacem, & parturite justitiam.* Et post aliqua: *Igitur memores filii dilecti estote, &c.* & quod ad negotium spectat: *Liceat* (inquit) *dilectissimo filio nostro, vestro autem nepoti a Deo conservandum Imperium suum cum Regno proprii germani quieta possidere tranquillitate &c.* In fine autem, ut Arsenium Legatum audiant, admonet. Est autem ad eos ejusmodi ipsius Pontificis ad pacem conservandam digna exhortatio. *Fœdus, quod ad alterutrum pepigistis* (quod anno superiori firmatum fuerat, ut in nuper citatis Annalibus continetur) *inviolabili maneat apud vos veritate repositum, & & immaculate vigeat vestra sublimitas, insignia fidei cunctis circumquaque nationibus repræsentans. Parcite gladio, humanum fundere sanguinem formidolosius exhorrescite: cessat*

Pro pace in Regno Galliæ integranda Nicolai sollicitudo. epist. 25.

JESU CHR. AN. 865.

set ira, sedentur odia, sopiantur jurgia, & omnis ex vobis simultas radicitus extirpetur.

Nicolai ep. ad Episc. pro pace incunda. *epist. 26.*

14. In eamdem causam ad Episcopos quoque in Regno Caroli constitutos, easdemque, ut verisimile ad Episcopos Regni Lotharii Nicolaus Papa litteras dedit, quarum initium est. *Studium semper fuit, & est fratres dilectissimi &c.* ac ut vitia ingruentia extirparent, pacemque non solum cum vicinis gentibus, sed etiam cum dissitis foverent, hortatur. Id præcipue, graviterque inculcans, ut Carolum ad servandam cum Lothario Imperatore nepote suo pacem admonerent. *Commonete itaque eum*, inquit, *ut illud fœdus, quod cum fratribus pepigit, perpetua veritate conservet, & id immaculate custodiens cunctis de se imitabile præstet exemplum.* Parcat bello, & Christi sanguine sanguinem emptum fundere magnopere perhorrescat: scriptum quippe est: *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus*: & iterum post aliqua. *Liceat ei regna sibi per hereditatis jus derivata, & Apostolicæ Sedis auctoritate firmata, & Summi Pontificis manu capiti superstito diademate augustissimo decorata, cum suis fidelibus pie ac justissime gubernare. Sinatur omnino a Deo protectum Imperium suum, quod cum benedictione, & sacratissimi olei unctione, Sedis Apostolicæ Præsule ministrante, percepit, ad exaltationem, & quietem matris suæ hujus sanctæ catholicæ, & Apostolicæ ecclesiæ, licenter ac rectissime moderari &c.* hæc, & alia ibidem; in quam rem Arsenium Hortensem Episcopum misisse adnotat. *Ut si quæ sunt, quæ per se corrigere possit, auctoritate nostra corrigat: reliqua vero, qua forte difficiliora sunt, Apostolatui nostro definienda reservet &c.* At de gestis Nicolai hoc anno hactenus.

Concil. pag. 402.

Conventus Tussiacus pro pace firmanda. *Balut. capit. tom. 2. pag. 202.*

15. Reges interea Francorum Ludovicus, & Carolus, ut pacem inter se firmarent, conventum in loco Tusiaci dicto, cum Episcopis suis, & Primoribus Regni celebrarunt, ubi cum essent, ut in proemio legitur. *Anno Incarnat. 865. Kal. Martii, hæc quæ sequuntur Ludovicus, & Carolus Reges in Tusiaca villa populo adnunciaverunt. Sicut vos, & plures alios audisse credimus, jam secundo & tertio in isto tempore convenire insimul proposuimus: sed variis occupationibus præpedientibus, hoc usque modo implere nequivimus. Nunc quia, Deo gratias, insimul convenimus, volumus hoc*

scire

ſcire quoniam ad nullius deceptionem, vel condemnationem, neque pro ulla indebita cupiditate inſimul convenimus. Propter quæ autem, excepto debito ac fraterno deſiderio ut nos invicem dilectione mutua videremus, noſter conventus fuerit, vobis nota facere volumus, & quæ Deo placita, & nobis ac fidelibus noſtris ſalubria, & proficua ſunt, una cum Dei adjutorio, & veſtro, ac ceterorum communium fidelium noſtrorum conſilio, & auxilio tenere immutabiliter, & augere utiliter volumus; atque capitula ſeptem ad pacem in eccleſia, & Imperio fovendam apta publicarunt: quia vero Lotharius Imp. eorum nepos his præ ceteris, & oblatis pacis conditionibus obſiſtere videbatur, de Miſſis ad eum legatis, acceptiſque hæc capite ſexto, & ſeptimo narrant. *Vos ſcitis qualiter nepos noſter Lotharius per ſuam juventutem, & per levium hominum conſenſum, & hortamentum, & etiam per eorum favorem, qui illum ſalvare debuerant, fecit, & facit contra illam legem, quam Deus primo in Paradiſo primis hominibus dedit, & quam in Evangelio per præſentiam carnis cum hominibus habitans renovavit, & confirmavit, quæ ad omnes homines pertinet, qui ſecundum Deum legitime utuntur conjugio. Unde, & univerſalis Eccleſia Dei pulſatur, & ſacerdotes ſunt dehonorati, & populus Chriſtianus ſicut mali morbi contagio eſt maculatus. Propterea quod Deus dixit: diliges proximum tuum ſicut teipſum, & ſicut ſcriptum eſt, ipſe os noſtrum, & caro noſtra eſt, & populus, & Chriſtianitas unus eſt: conſideravimus ut ad illum Miſſos noſtros mitteremus, & ei tale conſilium mandaremus, qualiter ipſe coram Deo ſalvus, & coram ſæculo honoratus eſſe valeat, & Eccleſia, & Regnum, quod illi ad ſalvationem commiſſum eſt, ſolidum eſſe poſſit, & populus Dei ſalvus ſit, et legem, et juſtitiam, et pacem, et tranquillitatem habeat, quia etiam ipſe ſuos Miſſos ad nos tranſmiſit quaſi conſilium quærent, per noſtros Miſſos, ut Deus ubi nobis mandavit, quantum nobis Dominus dederit, ei verum, & ſincerum conſilium remandamus, & talem voluntatem noſtram eſſe erga eum ſicut nos, dicere illi per eoſdem Miſſos noſtros mandamus*. Hactenus ibi. Quo in loco cum eſſet Rex Carolus capitula ſexdecim de pace tenenda, rectèque adminiſtranda juſtitia in Regno ſuo vulganda miſit, quorum hæc eſt inſcriptio. *Hæc quæ ſequuntur capitula miſit Dominus*

Jesu Chr. an. 865.

pag. 195.

JESU CHR. AN. 865. *Rex Carolus in Burgundiam, exequenda per Guslenum, & Fulconem, & per Vallarium, & Gantuvinum de Tuſiaco anno Incarnat. Dominicæ* 865.

Michael Imp. ad Nicolaum mittit Michaelem Protoſpatarium cum litteris.

16. Iis autem de Nicolai geſtis cum Lothario Imp. Regibusque Francorum ſupra adnotatis, quales cum Michaele Imperatore concertationes hoc anno habuerit Nicolaus nunc videamus, ad quem Michael Imper. Michaelem Protoſpatarium legatum miſit; at legatio hæc non ex more honorifica, dignaque eo qui mitteret, & ad quem mitteretur, Romano Pontifice, ſed illiberalis, barbarica, proterva contumelioſa, ſcribente per eam ipſo Imperatore litteras ad Nicolaum Papam, refertas jurgiis, detrectationibus, atque blaſphemiis, quam haud dubium Photius ille, qui ei muneri inſervivit, (fuerat enim ipſi a ſecretis) jam perduellis ob ſchiſma, jam incæptum, ſcripſiſſe cognoſcitur, haud enim Imperator totus in circis, & ludricis intentus tantæ peritiæ erat, ut tot tantaque contexere maledicta ſciret. Ita quidem eſt opinatus idem Pontifex Nicolaus, ut nomine Imperatoris, non ab Imperatore eas dixerit eſſe conſcriptas. In epiſtola enim ab ipſo ad eumdem Imperatorem ultimo loco miſſa hæc ait. *Præterea non omittendum eſſe credimus nos commemorare, præterito anno per Indictionem videlicet tertiam decimam, epiſtolam ſub nomine veſtro conſcriptam per Michaelem Protoſpatharium ſuſcepiſſe, quæ tantis erat verbis contumelioſis, immo blaſphemis reſperſa, ut ſcriptor ejus non niſi in gutture colubri calamum tinxiſſe putetur, & dictatoris labia pro dictionibus venena fudiſſe videantur, ut ſi cujuſpiam ſimpliciorum cor penetrent, (non enim hæc aures prudentium ſuſcipiunt) continuo necent, nec mirum; tanto enim facilius, quanto mors animæ magis, quam corpori per illum virulentum hauſtum admittitur.* Hæc ibi Nicolaus de litteris, & tempore quo ſcriptæ fuerant, tertia decima ſcilicet Indictione, hoc videlicet anno. At quid miraris talia a tali prodiiſſe (ſi ipſe ſcripſit) Imperatore, quem Græci omnium perditiſſimum, vita ſolutiſſimum, Neroni, atque Sardanapalio ſimilem, jugiter temulentum, & reipſa cum Mænadibus Bacchi orgia celebrantem, affirmant? qui iratus quid, niſi ſceleſta ex adeo corrupta anima potuit exhalaſſe? nam qualis repletio, talis eſſe ſolet eructatio. Huic ſi addas

ver

Jesu Chr. an. 865.

verſutiſſimi hominis malitiæ faces, in quale erumpet incendium? Incendebat iſtam Photius ſuis incitamentis vitiorum fornacem, & ipſe majori flamma intus incenſus. Memoria tenes Lector ante biennium, anno videlicet Redemptoris octingenteſimo ſexageſimotertio Nicolaum Pontificem, Romæ habita Synodo, Photium intruſum in ordinem redegiſſe laicorum, atque Ignatium ab eo de ſede dejectum in cathedram reſtituiſſe, deque his per Leonem Legatum Imperatoris, tum ad ipſum Photium, cum ad Imperatorem, & Epiſcopos Orientis multiplices dediſſe litteras. His itaque, velut tot jaculis furens confoſſa beſtia, rabie rotans dentes, venenum ſpumans, quibus valet viribus appetit percuſſorem, & ne ipſa ſcripta hac in parte nutarent, nomine utitur Imperatoris, velut baliſta, arcuque forti.

Nicolai ep. ad Michaelem Imp.

17. Non extant quidem ipſæ Michaelis Imp. litteræ ad Nicolaum, nam ſynodalis ſententiæ publico decreto eaſdem igni traditas fuiſſe, quæ ſumus dicturi, ſignificant. Hoc autem anno (ut dictum eſt) eas datas fuiſſe decimatertia Indictione, ejuſdem Nicolai epiſtola, anno ſequenti ad eumdem Imperatorem ſcripta, & alia ad Epiſcopos data oſtendunt. Reſcripſiſſe vero Nicolaum hoc item anno jam hieme inſtante, iiſdem datis litteris declaratur, & eo tempore cum idem ſanctiſſimus Pontifex ægrotaret, ipſo interea Legato Michaele Protoſpathario proterve agente, ut non expectata bona valetudine Nicolai, egreſſus ab Urbe abſque litteris, in Oſtiam profectus civitatem, ibi expectaret tempus opportunum navigandi. Cum ipſe Pontifex ne abſque litteris ſuis reverteretur, eam Conſtantinopolim ſcripſit ægrotans epiſtolam, & licet valde prolixam, brevior ab ipſo eſt judicata, reſpectu eorum omnium quæ ſcribenda fuiſſent, ſi omnibus ab Imperatore contumelioſe conſcriptis reſpondere per ſingula voluiſſet. Nicolaus tamen ipſe Chriſtiana imbutus ſapientia, quæ in ſui injuriam ſcripta eſſent, omnino contempſit, ad ea ſola reſpondens quæ adverſus Romanam Eccleſiam & ſanctos Patres ab eo temere, procaciterque jactata fuerant.

Quid Michaelis Imp. epiſt. contineret. epiſt. 8. pag. 293.

18. Quales vero fuerint Michaelis Imp. litteræ, in exordio epiſtolæ ſuæ his verbis indicat Nicolaus Papa. *Propoſueramus quidem antequam Michael glorioſus Protoſpatharius Legatus veſter Romam veniens, epiſtolam nobis clarita-*

JESU CHR. AN. 865.

ritatis veſtræ detuliſſet, talia vobis ſcripta per miſſos noſtros quæ jam & parata erant, tranſmittere, qualia gratiſſimus filius a diligente patre, ac Dei cultores Imperatores a Sedis Apoſtolicæ Præſulibus ſoliti erant ſuſcipere. At vero præfato viro perveniente, epiſtolamque nobis veſtræ gloriæ, quæ tota blaſphemiis, tota erat injuriis plena, porrigente, mutata eſt in luctum cithara noſtra, et organum noſtrum in vocem flentium. Quoniam expectavimus tamquam de bona vite uvas, ſuſcepimus autem labruſcas; itaque mutavimus ſtylum, & oſtenſo vulneri congrua prævidimus adhibere medicamenta. Igitur ad potentiam veſtram, inſpirante Domino, ſcripturi, noſtræque mentis affectus induſtriæ veſtræ referaturi, necnon & pro ſancta Eccleſia Catholica & Apoſtolica (cujus nos præcipua cura & quotidiana ſecundum Apoſtolum doctrina conſtringit) apud vos interventuri, & epiſtolæ veſtræ aſſertionibus, prout Dominus poſſe & noſſe dederit, reſponſuri: nihil opportunius, nihil aptius nihil profecto ſalubrius arbitramur (licet vos a convìciis inchoaſſetis) quam præ omnibus flagitare ſuppliciter eum per quem Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt, & in cujus manu corda ſunt Regum, & ex quo regnat omnis qui pie regnat, & imperat omnis, qui eidem Regi Regum, & Domino dominantium non repugnat, Dominum videlicet noſtrum Jeſum Chriſtum, cui omnis rationabilis creatura miniſtrat, nimirum cui & inſenſibiles venti, & mare imperanti obediunt, quatenus & labia noſtra ad annunciandum laudem ſuam aperiens, dilatatum quoque os noſtrum paſtu doctrinæ ſalutaris adimpleat; & quæ per noſtri Apoſtolatus officium auribus veſtris exterius dicimus, per ſe quoque nutu ſuæ inſpirationis interius mentibus veſtris inſpiret; quia incaſſum terra cordis vomere noſtræ linguæ proſcinditur, niſi cæleſtis roris aſperſione intrinſecus infundatur. Deus eſt enim qui incrementum dat, & qui docet hominem ſcientiam. Putas, Imperator, non bene facimus, quod ab injuriis ſcribentes inchoaveritis, nos ab orationibus, vos a conviciis in nos, imo contra primam & magiſtram Eccleſiarum omnium loquentes exordium feceritis, nos in laudibus, & in nomine Domini, ad potentiam veſtram ſermonem habituri aperuerimus? & ne in longiori epiſtola exſcribenda diutius immoremur; ſe Sanctorum exemplo libenter pro juſtitia injurias

rias ſuſtinere addit, etſi ſcelus ſit, ac ingens ſacrilegium de ſacerdotibus male mereri aperte demonſtrat, quæ tamen ad Romanæ eccleſiæ injuriam ſcripſerat, nequaquam diſſimulaturum ſe eſſe teſtatur. *Verum tamen quæ ad Romanæ eccleſiæ injuriam, quæ ad ipſius privilegiorum immutationem, quæ ad ſedis Apoſtolicæ Præſulum derogationem ſcripſiſtis quanta poſſumus conſtantia retundemus, & nullis terroribus, nec ullis detractionibus veſtris repreſſi, quanta poſſumus virtute destruere, utpote veritatis inimica studebimus.* Imperatoris deinde mendacia, & calumnias refutat, tum in eo quod dixerat, a ſexta ſynodo nullas Romano Pontifici ab Imperatoribus Orientis communicatorias litteras datas fuiſſe, niſi a ſe ipſo, qui ingrato dederat, ideſt Nicolao, qui ejuſdem voluntati reſiſtebat, juſſaque ſpernebat, quod falſum fuiſſe adductis exemplis probat, nec umquam Imperatores Romano Pontifici juſſiſſe, ſed potius rogaſſe addit. Ad id vero quod in Romanæ lingue contumeliam ſcripſerat Imperator, quam barbaram, & Schyticam dixerat, hæc Nicolaus adnotat. *In tantam vero furoris abundantiam prorupiſtis, ut linguæ Latinæ injuriam irrogaretis, hanc in epiſtola veſtra barbaram & Scythicam appellantes, &c.* Quod ex impetitia provenire demonſtrans, ait paulo poſt. *Jam vero ſi ideo linguam Latinam barbaram dicitis, quoniam illam non intelligitis, vos conſiderate, quia ridiculum eſt, vos appellari Romanorum Imperatores, & tamen linguam non noſſe Romanam.* His multa de Romanæ eccleſiæ dignitate, & primatu, deque Epiſcoporum appellationibus ad eam ſubdit, exemplisque Epiſcoporum urbis Regiæ confirmat, Maximi ſcilicet, Neſtorii, Cryſoſthomi, Acacii, Anthimi, Sergii, Pyrrhi, Pauli, aliorumque quorum nonnullos ſua ſede dejectos Romanus Pontifex ſuæ dignitati reſtituerat, alios vero ſua ſententia dejecerat.

JESU CHR. AN. 865.

Nicolaus Rom. eccleſiæ dignitatem vindicat.

Latina lingua Græca præſtantior.

19. Cur autem ad ſingula non reſcripſerit, hanc Nicolaus rationem affert. *Ad reliqua vero, quæ ex eadem epiſtola veſtra plurima ex parte remanebant, reſcribere his pro cauſis omiſimus, quoniam tanta nos Pater cæleſtis ſecundum beneplacitum ſuum ægrotatione quaſi filios ſuos corripuit, ut non ſolum quæ ad reſpondendum propoſitionibus veſtris idonea eſſe perſpeximus, valeremus exponere, verum etiam eadem ipſa, qualiter dictarentur, nulli ægritudine nimia preſſi qui*

Cur plura Nicolaus non ſcripſerit.

JESU CHR. AN. 865.

quiverimus edicere. Et quia Legatus veſter tanta eſt impatientia uſus, ut antequam nos ex validiſſima infirmitate reſpirare aliquantulum cognoviſſet, nullam moram paſſus, mox etiam nobis inconſultis Urbe, quam vos quidem inveteratam, ſed Honorius pius Imperator æternam vocat, diſceſſerit; ob nihil aliud, niſi quia tempus hiemis imminebat, & periculum ſui, vel militum veſtrorum, qui ſecum erant, vehementiſſime formidabat. Apud quem vix obtinere potuimus, ut ſaltem dum hæc ſcriberentur (quoniam ad Urbem reverti nullo modo voluit) in Oſtia poſitus expectaret. Tertio, quia cum eadem, quæ ſuperfuerunt in ipſa epiſtola, ad quæ nihil reſpondimus, ſed potius philoſophando contempſimus, plena eſſent omni pravitate, atque blaſphemia, & contra ipſam diſpoſitionem Dei, qua Eccleſiæ, Sediſque Romanæ privilegia cunctarum Eccleſiarum privilegiis ſua ineffabili providentia prætulit, venena diffunderent: non veſtra eſſe verba (ſicut prædiximus) quæ tam perperam ſonabant, credimus, ac pro hoc his, quæ in ambiguum venerant, vel apologetica ſcripta remittere &c.

Ad pœnam poſtulatos Nicolaus tradere detrectat.

20. Cum autem ab urbe Theognoſtum monachum Ignatii familiarem, alioſque tanquam majeſtatis reos, ſibi mitti juſſiſſet Imperator, Nicolaus hæc ſe exequi non poſſe reſcripſit. *Scripſit nobis Imperium veſtrum, ut Theognoſtum, qui a fratre & Coepiſcopo noſtro Ignatio ſuper quaſdam provinciis Exarchatus pondus accepiſſe dignoſcitur, nec non & alios monachos ſibi, tamquam veſtræ Auguſtalis injuriatores Excellentiæ, detinemus. In quo, cum tamen ipſi injuriatores veſtri non fuerint, quid aliud niſi in quanta pœna & quibus tormentis ſubjiciantur hi, qui ex parte Ignatii, & apud vos in ditione veſtra conſiſtunt, liquidius agnoſcamus? Quando hi non utique ad epulas, non ad infulas alicujus honoris percipiendas profecto quæruntur, ſed potius ad puniendum, quos forte nec vidiſtis, nec cujus moris ſint, penitus agnoviſtis. Denique quidam eorum ab ineunte ætate Romæ divinis obſequiis famulati ſunt; & non juſtum credimus hujuſmodi tormentis fore ſubdendos. Theognoſtum autem non de vobis ſiniſtra, ſed potius grata prædicare teſtamur, quamobrem ergo eum quæratis, ignoramus; niſi forte quia illinc fugatus, hic apud nos requiem, quemadmodum innumeri Chriſtiani, aliquantulum reperit,* ac multa millia hominum

num continuo ad limina Apoſtolorum tranſire addit, ut ibidem ad uſque vitæ finem perſeverent. JESU CHR. AN. 865.

21. Quod autem ſuis etiam litteris Imperator addiderat, excidium ſcilicet urbis comminatus, ſi adhuc voluntati ſuæ Nicolaus reſtitiſſet, intrepido animo tantas minas S. Pontifex, tamquam puerorum terricula, Dei, & Apoſtolorum Petri, & Pauli protectione munitus, ſpernenda cenſuit, addens etiam *Cum præſertim inter nos, & vos non modica intercapedo ſit, quæ quotidie populos, non pauxillas vobis injurias, imo diſcrimina inferentes producit, & de his vos convenit potius, quam de nobis ulciſci*, Saracenos ſcilicet indicans, Orientali Imperio undique infeſtos, multisque modis dilacerantes. Unde paulo poſt ſubdit. *Quid ſæviunt homines? quid mali fecimus? Certe non Cretam invaſimus, non Siciliam exterminavimus, non innumeras Græcit ſubjectas provincias obtinuimus, poſtremo non eccleſias ſanctorum interfectis numeroſis hominibus, ac ſuburbana Conſtantinopolcos, & quæ muris ejus pene contigua incendimus &c. ut ab Saracenis geſtum fuerat.* Atque addit. *At vero de iſtis nulla fit ultio, qui Pagani ſunt, qui alterius fidei ſunt, qui inimici Chriſti ſunt, qui veritatis miniſtris jugiter adverſantur*. Hæc quidem Nicolaus Imperatoris ſugillans ignaviam, quam etiam hiſtoriçi omnes adnotarunt, dum Imperii provincias Saracenis vaſtandas, diripiendaſque reliquerat. Imperatoris minas Nicolaus contemnit.

22. His itaque dictis ad Ignatii cauſam iterum ſtilum convertens, ut eadem Romæ retractetur, jubet, ac Imperatorem rogat, ut ex utraque parte legatos mittat, iiſque ad iter, & licentiam, & ſubſidia præbeat. *Quibus ex utraque parte convenientibus, & coram noſtra præſentia, & fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum auditis, quid quæſtionis inter utramque partem emerſerit, facilius agnoſcamus, & canonice definiamus &c.* alioquin fruſtra eum minas intendere addit. *Quoniam nec illas, protegente Domino, metuimus, nec per has præcepta veſtra, niſi divinis fuerint juſſibus ornata faciemus*; ad quælibet potius pati paratum ſe eſſe affirmans, quam juſtitiæ regulas, eccleſiæque canones violare, & Nerone, Diocletiano, Conſtantio, Anaſtaſio, aliiſque Romanæ eccleſiæ perſecutoribus commemoratis, eos qui Rom. eccleſiam tutati ac venerati ſunt recenſet, eorumque ad imitandum exempla Ignatii cauſam Romæ retractari Nicolaus jubet. Quinam Imperatores Rom. eccleſiam perſecuti ſint.

JESU CHR. AN. 865.

pla proponit, tandem post multa in eamdem rem clausa jam epistola, hanc contestationem addidit. *Quisquis hanc epistolam nostram CPoli legerit, & Augustissimo filio nostro Michaeli quidquam ex iis, quæ scripta sunt, occultaverit, ne locum apud illum possit invenire sufficientem, anathema sit. Quisquis etiam interpretatus eam fuerit, & ex ea quidquam mutaverit, vel subtraxerit, vel addiderit, præter illud quod idioma Græcæ dictionis exigit, vel interpretantis scientia intelligendi non tribuit, anathema sit.* Ita sanctissimus Pontifex, quod experimento didicisset, falsatas fuisse alias litteras in Orientem a se missas, ut suo loco supra adnotavimus.

Altera Nicolai epist. ad Michaelem Imp. *epist. 9.*

23. Ejusdem prolixioris styli est epistola altera ad eumdem Imp. ab Nicolao Pontifice anno sequenti data, quæ cum ejusdem argumenti sit, ne ad eadem redire cogamur, ejusdem hoc loco mentionem facimus; ea itaque post longam præfationem, de falsatis litteris suis CPolim per Rodoaldum, & Zachariam legatos suos missis, conqueritur. Ignatii deinde, & Photii causam retractat, hactenus pro eadem Romæ, & CPoli gesta commemorans, ac tandem post iteratas, tum in præcedenti, cum in hac altera epistola humillimas preces, repetitasque minas excommunicationem iterum minatur, ac Michaeli Imp. jubet, ut litteras suas, utpote blasphemiis, injuriisque in Romanam ecclesiam refertis, igni tradat, alioquin id se Romæ coram amplissimo Episcoporum Senatu, se facturum denunciat. Unde post plurima.

Ut scripta igni tradantur Nicolaus jubet.

24. *Denique opinati sumus, & nunc nihilominus opinamur, quod pietas vestra tandem aliquando respiscat, & de Ecclesiæ Constantinopolitanæ restaurando statu, nobis salubria suadentibus, acquiescat; sicque demum omnia scripta, quæ male sunt compilata non solum adversum nos, & hanc sanctam Ecclesiam, verum etiam contra fratrem nostrum & comministrum Ignatium, coram universa Imperii sui multitudine igni tradenda decernat. Alioquin jam cunctis ecclesiæ Fidelibus, quæ foret Apostolicæ Sedis auctoritas, vel quæ fabricatoribus mendacii, seu inventoribus perversorum dogmatum immineret ultio, profecto patesceret. Impossibile est enim (quamquam nostras nos speciales injurias curare flocci pendamus) ut tantorum ac talium sanctorum Patrum & propugna-*

JESU CHR. AN. 865.

gnatorum Catholicæ Eccleſiæ, ac deſtructorum diverſarum hæreſum, atque defenſorum Orthodoxæ Fidei blaſphemias æquanimiter ſuſtineamus, vel etiam tantæ Sedis, ſive tam excellentis Eccleſiæ Romanæ, cui Deo deſervimus auctore, contumelias perferamus. Et iterum poſt aliqua. *Quapropter Imperator ſublimiſſime diligenter propter Dominum inquirentes atque ſcrutantes, ſi veſtra illam non fuiſſe præceptione tam cœnoſam inveneritis confectam, imo toxicatis ſyllabis infectam epiſtolam (ut interim de tot præſligia texentium pœna taceamus) quam illi vobis zelo veritatis flagrantibus involvere: convenit ſaltem hujus ſocia accepta, & palam cunctis igne ſuccenſa per Anguſtiales veſtros tam nobis, quam omnibus, ad quorum notitiam pervenit, deſtinatos apices competenti ſatisfactione, a tam perverſo ſenſu, & tam profanis adinventionibus, quod a ſenſu veſtro non fuerit commentis tradita, vos exhibere prorſus immunes. Jam vero ſi vobis in multis hujuſmodi ſolicitudinibus occupatis ſurreptum eſt, ut talia ſcribere mandaretis, ne pigeat clementiam veſtram hoc etiam ipſum humiliter confiteri, & legibus veſtris, ut hujuſmodi ſcripta nullius habeantur momenti, decernere, ita ut penes quem reperta fuerint, impunito non evadente, ipſius quoque ſæpe memoratæ & ſemper execrandæ epiſtolæ vel exemplaris ejus apices (intemeratis pro reverentia manentibus ſacris dictionibus) flammeo dedantur igni voranda, ut a ſiniſtræ opinionis nævo, quem ex blaſphemiis ſcriptis incurreretis, cavere valeatis, & ingrati filii circa Matrem veſtram, ex qua imperandi faſtigium vos, & patres veſtri ordine cælitus diſpoſito, percepiſtis, nullatenus appareatis. Sin autem, ſcitote quoniam poſtquam in hac vos pertinacia perſiſtere finetenus velle comperimus: primum quidem congregatis cunctarum occidentalium regionum venerabilibus ſacerdotibus, dictatores & diſpoſitores, atque præceptores tantæ fallaciæ, ſeu crudeliſſimæ derogationis Sanctorum, vel paternarum traditionum, ab omni Chriſtiana compage remotos, Apoſtolica freti auctoritate diris anathematis vinculis innodabimus: nec non & Patrum & prædeceſſorum meorum ſecuti veſtigia, qui ſoliti ſunt etiam numeroſorum Concilia nequiter celebrata caſſare Pontificum, ſi qua ſocia ſunt crebro dictæ vel exemplaria fortaſſis epiſtolæ; quin potius non ſolum hæc, ſed & omnia ſcripta, quæ vel adverſus fratrem & Coepiſcopum noſtrum Ignatium*

JESU CHR. AN. 865.

tium iniqua confecta, vel adversum nos causam illam canonice prosequentes furiose deprompta sunt, perenni damnationi mandabimus. Deinde vero decernentibus nobiscum, & simul considerantibus iisdem sanctissimis fratribus & Coepiscopis nostris, ipsam epistolam in stipite, videntibus cunctis, suspensam, vasto suppositio foco, ad vituperium vestrum coram omnibus nationibus, quæ penes memoriam S. Petri multipliciter inveniuntur, extremæ perditioni donabimus. Quatenus his rite patratis discat pius quod amet, & crudelis quod timeat &c. Hæc, & alia de damnatione, & concremation Imperialium litterarum Nicolaus Papa, quibus iterum exhortationem addens, ut Romam ex utraque parte litigantes mittat, epistolam suam claudit, ut ibidem videre est.

S. Anscharii Danorum Apostoli obitus.

25. Hoc eodem anno S. Anscharius Danorum, & Sveonum, seu Svecorum Apostolus Hamburgensis, & Bremensis Archiepiscopus vivere desiit, ut his verbis narrat Adamus Bremensis lib. 1. cap. 32. *Obiit anno Domini* 865., *indictione* 13., *qui est Ludovici secundi* 26., seu potius, ut adnotat Pagius, 25. eumdem annum exhibent Albertus Stadensis, & auctor chronici Saxonici: Anscharii vitam ab Ramberto ejus discipulo, & in Episcopatu successore scriptam post Baronii ætatem Henschenius die tertia Februarii vulgavit, eamdemque annalibus sui Ordinis seculo secundo parte 2. inserunt Mabillonius. Ex ejusdem autem scriptis, unica tantum epistola supereſt, qua delegatam sibi prædicandi evangelium provinciam inter barbaras gentes Episcopis vicinioribus commendat. *Deprecor*, inquit, *ut apud Deum intercedatis, quatenus hæc legatio crescere, ac fructificare mereatur in Domino. Jam enim Deo propitio, & apud Danos, & Sveones fundata est ecclesia Christi, & Sacerdotes absque prohibitione proprio funguntur officio. Omnipotens Deus faciat vos omnes hujus operis pia benevolentia participes, & in cœlesti gloria Christi cohæredes.* Et post unitam Hamburgensem cum Bremensi ecclesia, *Supervixit*, Hanscharius, subdit Adamus, *annos septem, sedit annos omnes trigintaquatuor, cujus depositio summa veneratione colitur tertio nonas Februarii, obiit anno Domini* 865. *indict.* 13. *Ludovici secundi anno* 26., vel 25. *Sepultus est in basilica S. Petri ante altare S. Genitricis Mariæ.*

Ramber-

26. Anscharo Rambertus successit, qui vitam prædeceſſo-

ceſſoris ſui lucubravit, ac Corbejenſibus monachis inſcripſit. Corbejenſes vero monachi poſt Ramberti obitum, ejuſdem vitam litteris prodiderunt, atque in ea narratur, quod Anſcharius in ultima infirmitate interrogatus, quem ſibi ſucceſſorem placuiſſet, Ramberti etiam facta mentione, ſucceſſorem eligere, vel indicare recuſavit: Hæc tantum addens. *De meritis tamen Ramberti ſciatis, quia dignior eſt ipſe Archiepiſcopali, quam ego ſubdiaconatus officio*, ſicque tanto auctus ſuffragio Rambertus, a clero, & populo Bremenſis Epiſcopus electus, & ordinatus eſt, cui anno proximo litteras cum pallio Nicolaus Papa miſit, ut eo loco dicturi ſumus.

JESU CHR. AN. 866. tus Anſcharii in Epiſcopatu ſucceſſor. *Bolland. die 4. Febr.*

27. Nortmannos etiam hoc anno Gallias irruptionibus, direptionibuſque vexaſſe narrat Annaliſta Bertinianus, quibus Carolus ſero reſiſtere, ac repellere conatus eſt; cum Aurelianum, Cenomanas, cum monaſteriis ibidem extantibus devaſtaſſent, ac incendiſſent, ut ex eodem annaliſta adnotat ad hunc annum Pagius nota 13. & 14. in quibus tamen diutius non immorabimur, cum plura ibidem, vel apud Mabillonium in annalibus ſui ordinis ad hunc annum videri poſſint.

Normannorum variæ in Gallias irruptiones.

JESU CHRISTI AN. 866. NICOLAI PAPÆ 9. LUDOVICI IMP. 12. MICHAELIS IMP. 25.

1. Binas ejuſdem argumenti epiſtolas ab Nicolao Papa ad Michaelem Imp. datas anno proximo recenſuimus, quarum alterum hoc anno ſcripſerat. Alias in eadem cauſa, ideſt pro Ignatii in ſuam ſedem reſtitutione, & Photii dejectione, hoc anno ad Theodoram Auguſtam Michaelis matrem, ad Eudoxiam uxorem, ad Bardam Cæſarem, & ad univerſos Epiſcopos Patriarchæ CP. ſubjectos, & ad Clerum, populumque CPolitanum idem dedit, quibus ut tandem ejecto Photio, Ignatius ſuæ dignitati reſtituatur, ac ut litteræ Michaelis Imp. ad ſe ipſum ſcriptæ, tamquam fibi, ac Romanæ eccleſiæ injurioſæ igni tradantur, jubet, deque his aliiſque hactenus a ſe geſtis, Ignatium injuria dejectum, & in exilio poſitum certiorem reddit, hortaturque, ut qua cæperat animi fortitudine, adverſantium conatus ſuſtinere perſeveret.

Nicolai Papæ epiſtolæ CPolim miſſæ.

epiſt. 10. 11. 11. 12. 14. 15. 16.

epiſt. 13.

2. His

JESU CHR. AN. 866. Nicolai Papæ epiſt. 11. ad Photium.

2. His alteram commonitoriam, ac ſimul comminatoriam adjecit ad ipſum Photium malorum omnium auctorem, incentoremque, cujus hoc eſt initium. *Innumerabilium reperiris prævaricationum obnoxius, & venerandorum canonum, atque paternarum definitionum, quinimo & divinorum mandatorum contumeliis multipliciter ac impudenter elatus etc.* Ejus deinde crimina recenſet, de quibus ſatis jam ſupra diximus, hortaturque ut tandem reſipiſcat, quod ſi renuat ſe perpetuo abſque ulla reſtitutionis ſpe anathematis vinculo, uſque ad obitum, una cum ſuis fautoribus, ſchiſmaticæque factionis participibus, plectendum eſſe denunciat.

Theodoræ Auguſtæ obitus, inter ſanctas relata. *pag. not. 7.*

3. Theodoram autem Auguſtam, poſt acceptas a Nicolao Papa litteras, quibus ejuſdem pietatem, animique conſtantiam in perferendis adverſis impenſe laudabat, non diu ſuperſtitem fuiſſe narrant hiſtorici Græci, quam uno aut altero ab hinc anno obiiſſe obſervat Pagius; eamque cum elogio ſingulari inter ſanctas Baſilii menologium die undecima Februarii recenſet, ejuſdemque laudes ad dictam diem celebrant etiam Herſchenius, Ducangius in familiis Bizantinis n. 17., aliique; litteras vero ſuas idibus Novembris indict. 15. ſignatas per legatos ſuos, Nicolaus Papa miſit, atque in his de legatorum ſuorum CPolim reditu ad Imperatorem hæc habet.

Nicolaus legatos CPolim mittit.

Concil. pag. 349.

Juxta ergo tenorem, & ordinem quo præfatas perſonas ad iterandum judicium huc venire decrevimus, latius ſagax induſtria veſtra reperiet, quem nos in hac faſtidium prolixitatis declinantes replicare refugimus. His igitur, inſpirante Deo, ita veſtræ ſerenitatis auribus intimatis, ſciat a Domino redimitum Imperium veſtrum. Miſſos ſibi a Præſulatu noſtro, Deo auctore, deſtinatos, Donatum videlicet reverendiſſimum & ſanctiſſimum S. Eccleſiæ Oſtienſis Epiſcopum, & religioſos ac venerabiles ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Leonem tituli S. Chriſti martyris Laurentii, qui appellatur Damaſi, preſbyterum, atque Marinum Apoſtolicæ noſtræ Sedis diaconum, quos benigne clementia veſtra ſuſcipiens, utpote Chriſtianæ religionis cultrix, in omnibus pie tractet, & intactos quamdiu vos penes morantur, & indemnes prorſus manere decernat. Quin & aditum, ſimulque locum. quæ injuncta ſunt ſibi, vobis licenter exponendi, congruum eis & ſufficientem impertiri dignetur. Hujus autem, alteriuſque lega-

Anaſt. pag. 421.

legationis hoc eodem anno ad Bulgaros ejuſcemodi verbis meminit Anaſtaſius : *Cum quibus* , id eſt legatis in Bulgariam miſſis ; *quoniam per Bulgaricum Regnum iter uſque CPolim terratenus tenditur : ut quidquid de ſancta Conſtantinopolitana Eccleſia (licet jam per Orientem hoc idem ipſum Papa ſemel & his Apoſtolicis litteris divulgatum habuerit) apud ſe decretum exiſteret , eidem per ſuos Legatos Eccleſiæ notum faceret , Donatum Epiſcopum Oſtienſem , Leonemque preſbyterum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconum , Miſſos idoneos direxit , ut illi Bulgariæ populum ad Fidem converterent ; & iſti quid , vel qualiter de eadem Conſtantinopolitana deliberatum habuiſſet Eccleſia , modis omnibus nuntiarent , Quod in nomine Domini cum adjutorio ſancti Petri factum eſt* . Non idem porro utriuſque exitus fuit , nam ex CPolitana nullum percepit fructum ; multum vero ex Bulgarica ad quam nunc ſtilum convertimus . JESU CHR. AN. 866.

4. Itaque Cyrilli philoſophi , fratriſque ejus Methodii pictoriæ artis peritiſſimi opera , & induſtria , quorum vitæ exſtant in actis Bollandianis die 9. Martii apud Bulgaros Chriſtiana fides propagata , eouſque creverat , ut eorum quoque Rex Bogaris eamdem ſuſciperet , ſuſceptamque armis tutaverit ; dum Crucis trophæo armatus rebelles repreſſit , ut anno 861. adnotavimus , ac CPolim profectus , ac baptizatus fuit , cui nomen ſuum Michael Imp. impoſuit . Unde Michael paſſim poſtea dictus eſt , ac ad ſua reverſus , ut narrat Simeon Logotheta num. 25. *Methodii pictoris manu Mannicillo , judicium futuramque retributionem in ſuis ædibus depingi curavit . Quamobrem etiam omnes ejus populares magis in eum accenſi tumultuantur &c.* Porphyrogeneta quidem , aliique futuri judicii picturam , Bogoris Regis baptiſmum præceſſiſſe , eique etiam ſtimulum dediſſe narrant , ut apud Baronium videre eſt ; at his in incerto relictis , hoc certum eſt , Cyrilli , fratriſque ejus opera Chriſti fidem primo propagatam fuiſſe , tum apud Cazararum gentem , Moravos etiam dictos , quibus Ratislaus præerat , cum apud Bulgaros , ut diſerte in eorum vita narrat auctor anonymus , qui eos apud Cazaros Moſchovitas dictos , Chriſti fidem pridem prædicaſſe prodit , adfirmans Michaelem Imperatorem a Ratislao Duce exoratum fuiſſe , ut ſibi viros concederet , qui Chri-

Cyrillus , & Methodius Chriſtianam fidem Bulgaris prædicant .

Bar. an. 845. num. 6. 7.

JESU CHR. AN. 866. Christi fidem sibi, suisque doceret, quibus cum Imperator Cyrillum, *simul cum Methodio* germano suo transmisisset *copiosis valde illis de palatio suo datis expendiis*, alter vero ipsorum vitæ auctor hæc addit. *Egressus itaque primo venit ad Bulgaros, quod divina gratia cooperante, sua prædicatione convertit ad fidem. Abinde autem procedens venit in terram Moraviæ*, qua in regione *cum annos quatuor cum dimidio*, secundum citatos vitæ auctores, permansissent, Romam postea anno 867. mortuo jam Nicolao Pontifice, venerunt. Quare in Bulgariam circa annum 860. profecti, inde triennio post in Moraviam transierunt, ubi quadriennio fere exacto, anno 867. Romam adierunt.

Res in Bulgaria gestæ, & Bulgarorum adversus Regem rebelli.

5. Res in Bulgaria gestas, usque ad hunc annum, quo legatos Romam Bogoris Rex, seu Michael misit, his verbis in responsione ad Bulgarorum consultationes recenset Nicolaus Papa. *Igitur referentes, qualiter divina clementia Christianam religionem perceperitis, qualiterque populum vestrum baptizari omnem feceritis, qualiter autem illi postquam baptizati fuere, insurrexerint unanimiter cum magna ferocitate contra vos, dicentes: Non bonam vos eis legem tradidisse, volentes etiam vos occidere, & Regem alium constituere. Et qualiter vos divina cooperante potentia, adversus eos præparati, a maximo usque ad modicum superaveritis, & manibus vestris detentos habueritis, qualiterque omnes primates, eorum, atque majores cum omni prole sua gladiis fuerint perempti; mediocres vero, seu minores nihil mali pertulerint. De his nosse desideratis qui vita privati sunt, utrum ex illis peccatum habeatis &c.*

Nicolai resp. ad consult. Bulgar. cap. 17.

Bulgarorum legatio Romam missa.

6. Cum igitur inter Bulgaros Christiana fides jam fata esset, eorumque Rex, ut diximus, baptismum suscepisset, ne in suscepta fide in vacuum currerent, aut inter electa semina zizania superseminaretur, neve præcipue circumstantium Græcorum Armeniorumque variis corruptelis, ac superstitionibus a christiana religione alienis, eorum integra fides, morumque sanctitas corrumperetur; ad Romanam Ecclesiam matrem, & magistram legationem Rex misit, cujus etiam Anastasius his verbis meminit. *Interea*, inquit, *meritis Beatissimi hujus in orbe prorsus exuberantibus operante potentia summi Dei, qui quotidie per famulos suos signa & mirabilia magna facit, Rex Bulgaro-*

Anast. pag. 420.

garorum Michael Chriſtianitatis & Fidei ſanctæ doctrinam cognoſcens, meruit baptizari. Et qui prius creaturæ ſerviens ſæviebat crudeliter; hiſce temporibus Creatori colla ſubmittens, ampla cœpit religione fulgere, & magna uſus eſt pietate. Tunc ad Catholicum & verum Præſulem Orthodoxum Legatos ſuos, menſe Auguſto, Indictione decimaquarta deſtinavit, donaque non parva tam e ſuis locis, quam aliunde ſummo Pontifici contulit, ſuggerens ejus Apoſtolatui, quid ſe facere ſalubrius oporteret, & quid erga reliquum Bulgaricum adhuc Baptiſmo ſacro carentem populum, ut Fidei ſacramenta perciperet, agi deberet. Quod beatiſſimus audiens Papa, magna repletus lætitia, laudes Chriſto reddidit amplas, & cum omni ſibi divinitus commiſſa Eccleſia gratulans, infinita præconia Domino noſtro, qui noviſſimis his temporibus tantum fecit miraculum, devota mente ſupplici voto perſolvit. Porro Legatis iiſdem jam nomine Michaelis Bulgarici Regis a ſancto Papa receptis, honorifice apud ſe eos retinuit. Et interim Sedis Apoſtolicæ Miſſos, Paulum ſcilicet Populonienſem, & Formoſum Portuenſem magnæ ſanctitatis Epiſcopos ſtatuens, hoſque monitis melliſtuis, atque doctrinis inſtruens, ad prædicandum ad gentem illam ire decrevit: atque his nonnulla de legatione ab Nicolao eodem tempore miſſa adnotat.

Jesu Chr. an. 866.

7. Quales autem, quantæve fuerint Bulgarorum ad Nicolaum Papam per legatos ſuos factæ interrogationes, ſeu quæſtiones propoſitæ indicat Nicolai epiſtola, in capita centum ſex diſtributa, quibus iis ſatisfacere conatus eſt, cætera ad Epiſcopum, quem eis daturus erat, remittens. Unde epiſtolam claudens. *Hæc quidem ſuggeſtionibus*, inquit, *ſive quæſtionibus veſtris, prout Dominus dedit, reſpondimus, non quantum potuimus, ſed quantum ſufficere poſſe prævidimus. Cum autem Epiſcopum Deo concedente per Præſulatus noſtri miniſterium habueritis, ille vos docebit omnia, quæ ad officium ſuum pertinent, & ſi quæ ſunt, quæ non capiet ab Apoſtolicæ ſedis auctoritate ſuſcipiet*, & paulo ſupra in eadem rem, *Ecce ſcripta noſtra, & miſſos, ac diverſos Codices in patriam veſtram deſtinavimus, & quouſque radices roboris conſequamini, vos rigare nullo modo deſiſtemus, & quouſque ad ſolidum perfectionis cibum perveniatis, vos ſaltem lacte potare nunquam penitus omittemus*.

Nicolai Papæ reſponſa ad quæſtiones propoſitas.

JESU CHR. AN. 866. Bulgarorum prudens consilium Rom. ecclesiam consulere.

Hæc & alia de pastorali sollicitudine in Bulgarorum salute procuranda Nicolaus Papa: Et sane quam fuerit prudens Bulgarorum propositum consulendi in suæ Ecclesiæ exordio Romanam sedem, cum propositæ quæstiones, tum Nicolai responsiones demonstrant; etenim jam subdoli quidam operarii ex Græcis, vel Armenis, in eam vineam irrepserant, ut non semel in suis responsionibus adnotat Nicolaus. Inter cetera. *Præterea indicastis, quod quidam Græcus mentiens, fateretur se presbyterum esse cum non esset, ac per hoc plurimos in vestru patria baptizaret, cum ergo vos inspiratione Dei cognovissetis, quod non esset presbyter, judicaveritis, ut ammitteret aures & nares, & acerrimis verberibus cæderetur, & ex vestra patria pelleretur, &c.* Licet autem barbari & rudes adhuc, tamen nonnulla mentiri Græcos fuerunt odorati, ut inter alia illud de chrismate jugiter manente, de quo consuluerunt ipsum Nicolaum Papam, ad quos ipse: *Græcos dicere perhibetis, quod in illorum patria chrisma & oriatur, & ab illis per totum mundum tribuatur, & ideo nosse desideratis si verum sit. Sed jam credimus quod vestra solertia, quod verum non sit, animadvertat.* Docuisse præterea illos eosdem Bulgaros nonnulla superstitiosa, ex eorum consultationibus, atque Nicolai responsionibus intelligitur. Quod vero permixti Græcis Armeni non unam eamdemque fidem illis annuntiarent, cum unum sit Evangelium, & una veritas, optantes illi quidem de fontibus Salvatoris aquam haurire puram, ab Ecclesia primaria, Petri Sede, atque Romano Pontifice, eam accipere deliberantes, illam quam diximus legationem miserunt, qua etiam id petebant, ut Patriarcha iis concederetur. Verum Nicolaus non annuit, hæc re-

cap. 14.

spondens. *Requisistis si liceat in vobis Patriarcham ordinari. Sed de hoc nihil definitive respondere possumus, priusquam Legati nostri, quos vobiscum mittimus, reversi fuerint, ut nobis quæ inter vos multitudo sit, & unanimitas Christianorum, renuntient. Nam interim Episcopum habetote: & cum incremento divinæ gratiæ Christianitas ibi fuerit dilatata, & Episcopi per singulas Ecclesias ordinati, tunc eligendus est inter vos unus, qui si non Patriarcha, certe Archiepiscopus appellandus sit, ad quem omnes concurrant, &c.* Porro ipsos nec dum habuisse Episcopum, illumque

cap. 72.

fore

fore ordinandum suo tempore ab ipso Romano Pontifice, ejusdem Nicolai responsiones indicare videntur, uti supra adnotavimus. JESU CHR. AN. 866.

8. Sic igitur centum, & sex responsionibus Nicolaus Papa totidem Bulgarorum interrogationibus satisfecit, una epistola legatis data cum pluribus libris, qui necessarii erant ad eos in fide christiana, & ecclesiæ disciplina instruendos, quos etiam admonuit, ne ad bella progredientes, pro militari signo equi caudam impositerum deferrent, sed Crucis vexillum; neque etiam dum prælia inirent, dies, vel horas observarent, vel in incantationibus, auguriis, vanisque carminibus spem locarent, sed ait, *Cum ad prælium ire disponitis, quod ipsi commemoraslis, agere in Dei nomine non omittite, idest ad ecclesiam ire, orationes peragere, peccantibus indulgere, Missarum solemniis interesse, oblationes offerre, confessionem peccatorum Sacerdotibus facere, reconciliationem, & communionem percipere &c.* aliaque misericordiæ opera exercere. Hæc & alia ibidem Nicolaus, quæ summatim etiam referre, longum esset. Hanc Nicolai ad Bulgaros epistolam, quam amaro stilo infectatus fuerit Schismaticus Photius, anno sequenti dicturi sumus. Quam multa Nicolaus Papa Bulgaros docuerit. *cap. 33.* *cap. 35.*

9. De eadem legatione ad Nicolaum Papam a Bulgarorum Rege missa, postquam christianam fidem suscepe-rat, Francorum etiam Annalistæ Bertinianus, & Fuldenses mentionem faciunt, addentes eumdem Regem legatos quoque suos ad Ludovicum Imperatorem misisse, ab eoque etiam Episcopos, & Presbyteros ad excolendam Christi vineam postulasse, quin auctor Bertinianus præterea subdit a Bulgarorum Rege filium suum cum armis, quibus indutus erat, cum de hostibus triumphavit, misisse, ut B. Petro Apostolo afferret, ac eadem arma Ludovicum ab Nicolao petiisse. *Mittens*, Bulgarorum Rex, *ad Ludovicum Regem Germaniæ, qui ei in fœdere pacis conjunctus erat Episcopum, & Presbyteros postulavit, & ab eo Missos cum debita veneratione suscepit. Ludovicus autem ad Carolum fratrem suum mittens, in ministerium Clericorum apud fratrem suum vasa sacrata, sacratasque vestes ac libros petiit. Unde Carolus ab Episcopis regni sui non parvam summam accipiens, ei ad dirigendum Regi Bulgarorum Rex filium* Bulgariæ Rex legatos ad Ludovicum Imp. mittit.

JESU CHR. AN. 866. *suum, & plures ex Proceribus regni sui Romam direxit: & arma, quibus indutus fuerat, quando in Christi nomine de suis adversariis triumphavit, cum aliis donis S. Petro transmisit, & plures quæstiones de sacramentis fidei consulendo, Nicolao Papæ direxit; & Episcopos atque Presbyteros mitti ab eo sibi popposcit, quod & obtinuit. Hludouvicus vero Italiæ Imperator hoc audiens ad Nicolaum Papam misit, jubens ut arma, & alia quæ Rex Bulgarorum Sancto Petro miserat, ei dirigeret. De quibus quædam Nicolaus Papa per Arsenium ei confitenti in partibus Beneventanis transmisit, & de quibusdam accusationem mandavit.* Annalista autem Fuldensis addit quod Ludovicus Rex, *Ermericum Episcopum cum Presbyteris, & Diaconibus ad propagandam fidem catholicam præfatæ genti destinavit. Sed cum illuc perveniissent Episcopi a Pontifice Romano missi, totam illam terrum prædicando, & baptizando, jam tunc repleverant. Quapropter isti accepta a Rege licentia redierunt in sua &c.* ideſt in Galliam, vel Germaniam anno sequenti.

Ludovici Imp. expeditio in Saracenos in Ducatu Beneventano.

10. In Beneventanis partibus hoc anno Ludovicum Imp. fuisse ex Bertiniano annalista scimus, quo eum gentium illarum Duces vocaverant, ut ab Saracenorum durissimo, quo jamdiu premebantur, jugo, liberaret; in quam rem generale edictum Ludovicus emisit, ut ex tota Italia instructissimum exercitum contra eos educeret, *Ludovicus Italiæ Imperator cum uxore sua Ingelberga in Beneventum contra Saracenos movit*, ait ad hunc annum Annalista Bertinianus. Edicto autem suo a Peregrino in historia Longobardorum edito, non solum cujuslibet conditionis homines nobiles, & ignobiles, laici, & ecclesiarum Episcopi, Abbates, & Abbatissæ, vel per se ipsos, vel per missos suos, jubebat, ut ad expeditionem sub indicta pœna se se pararent, quin ad edicti sui executionem viros illustres delegavit, ut cunctos ubique milites colligerent, ac *In Ministerio Vidonis*, ideſt in ditione Vidonis seu Guidonis Comitis Spoletini, *Rimmo, & Joannes Episcopus de Forcona*, electi sunt. *In ministerio Verengarii*, seu Berengarii *Forojulienſis*, ut adnotat Muratorius, *Hiselmundus Episcopus* electus est, atque iter etiam, & locum, quo eum convenire debebant, Ludovicus designavit. *Iter erit nostrum* ait Imperator, *per Ravennam, & inmediate mense Martii in*

Murat. rer. Ital. tom. 2. part. 1.

in Piſcariam, & omnis exercitus Italicus nobiſcum. Tuſcani autem cum populo, qui de ultra veniunt, per Romam veniant ad Pontem curvum, inde Capuam, & per Beneventum deſcendant nobis obviam Luceriæ octavo Kal. Apr. &c. tantoque inſtructus exercitu Ludovicus Capuam trimeſtri obſidione maxima ex parte delevit, eo quod Capuani tandiu ſibi reſiſtere auſi fuerint: inde Salernum, Melphim, & Beneventum adiit, ac ad Luceriam cum Saracenis pugnavit, ut pluribus narrat Annaliſta Bertinianus. Eoque in itinere cum uxore ſua Ingelberga in Monaſterium Caſſinenſe tranſiiſſe Ludovicum, ab Abbate Bertario honorificentiſſime exceptum, & Monaſterii privilegia confirmaſſe, narrat in Caſſinenſi Chronico Leo Oſtienſis lib. 1. cap. 36. & 37. Saracenos autem iis regionibus repreſſos quidem aliquatenus, non autem inde ejectos, ſequentis temporis hiſtoria demonſtrabit, cum non ſemel adverſus eos, vel adverſus Græcos, in nonnullis adhuc Hadriatici maris oris degentes, Ludovicus, ejuſque ſucceſſores arma inferre coacti fuerint, uſque dum undecimo ineunte ſeculo a Normannis tandem tum Græci, cum Saraceni ex iis Italiæ littoribus penitus ejecti ſunt, ut ſuo loco narraturi ſumus. Jesu Chr. an. 866.

11. Interea Nicolaus Papa ubi ſe fruſtra hactenus preces, admonitioneſque cum Lothario, & Valdrada adhibuiſſe, ac ſibi ab utroque illudi cognovit, nam Valdrada Italiam anno proximo ingreſſa ut Romam ſe conferret, cauſam ſuam dictura, vel pœnitentiam ſubitura, retro abiens, ad Lotharium redierat, indeque Theutberga Lotharii conjux ab Lothario Nicolai juſſu recepta, abire iterum coacta fuerat, non ultra hæc in Apoſtolicæ ſedis injuriam ferre ratus, eamdem Valdradam pellicem quarto nonas februarii publice excommunicavit, de quibus Bertinianus Annaliſta ad hunc annum hæc narrat. *Poſt hæc legatus ſedis Apoſtolicæ*, (Arſenius nempe) *compoſitis in Gallia rebus, Romam unde venerat, reverſus eſt. Rurſum Valdrada, ejusque complicibus decertantibus. Regis animus adverſum Tiebergam commovetur. Excitantur iræ, & in ſopitis diſcordiarum & odiorum cineribus denuo copioſus ignis accenditur. Deſpicitur, abominatur, reiicitur, adulterii crimen impingitur, omnique ingenii arte exquiritur, qualiter puniri* Nicolaus Papa Valdradam excommunicat.

JESU CHR. AN. 866.

niri quasi rea posset. Illa prævidens imminere sibi mortis periculum, latenter fugit, ac ad Carolum veniens, ejus se tuitioni commisit. Quod cum Nicolaus Papa comperisset, misit Carolo Regi epistolam exhortatoriam, simulque gratias agens, quod Tiebergam omni solatio destitutam ipse solus suscepisset. Post hæc velut alter Phinees zelo Dei accensus, Valdradam in Basilica Sanctæ Dei Genitricis ipso die Purificationis ejus excommunicavit, & ab omni Christianorum consortio separavit. Destinavitque epistolam omnibus Episcopis per Germaniam, & Gallias constitutis, causas & modum excommunicationis continentem. Direxit etiam Lothario Regi aliam Epistolam, in qua eum commonet, ut sibi caveat, ne quando secundum Domini præceptum duos aut tres testes adhibeat, & ad ultimum hoc Ecclesiæ dicat, & de cætero fiat sicut Ethnicus & Publicanus omnibus christianis timentibus &c.

Nicolai ep. ad Episc. de excommunicatione Valdradæ. epist. 11. to. 8. concil. pag. 495.

12. Extat Nicolai epistola ad Episcopos per Italiam, Germaniam, Neustriam, & Gallias constitutos data idib. Junii, indict. 14. ideſt hoc anno, qua habet. *Decreveramus quidem circa Valdradam moecham, & pertinaciter in pœnitentia permanentem vindictæ modum minus districte, quam misericorditer temperare, & juxta quod merebatur, non ita pro tanto scelere sententiam in eam justæ punitionis proferre, nisi obstinato animo perenniter in moechiæ volutabro permanere proposuisset, & nullis sacris monitis, nullis nostris, seu vestris tam crebris exortationibus se paratam exhibere &c,* cum præsertim ab legato suo in Italiam reducta retro abiens, *ea loca repetere affectat*, ait Pontifex, *in quibus facilis ipsius ad Regem Lotharium, & ejusdem Regis ad eam possit esse accessus, & ut breviter cuncta complectar de die in diem qualiter ad pristinas voluptates redeat, variis argumentis exquirit. Idcirco*, subdit post pauca, *nos eam quousque de factis suis ecclesiæ Christi, nobisque præcipue, qui ejus principaliter curam gerimus, quique causam ipsius exequi, ac investigare cœpimus, satisfecerit, donec etiam omnem a se sinistram suspicionem, consilium nostrum suscipiens adimat, a pretiosi corporis & sanguinis Domini perceptione, atque ab omnimodo sanctæ Ecclesiæ consortio sancti Spiritus, beatorumque Apostolorum Petri & Pauli judicio, & nostræ mediocritatis auctoritate, fecimus cum universit*

versis complicibus, & communicatoribus, fautoribusque suis prorsus extorrem. Hanc autem sententiam quarto Nonas Februarias a nobis promulgatam meminimus, eamque scripto vobis destinavimus. Sed quia ignoramus utrum ad vestram notitiam pervenerit, idcirco reverentiæ vestræ iterato illam pandere procuravimus, ac ut eamdem excommunicationis sententiam unusquisque Episcopus in sua diœcesi vulgare satagat, admonet, & jubet. JESU CHR. AN. 866.

13. Epistolæ etiam in Regno Lotharii constitutos epistola altera excitavit Nicolaus Papa, ut muneri suo, ac pastoris officio fungentes, Lotharium libere arguerent, ac ut adulteram abs se abjiceret hortarentur: Epistolæ hoc est initium. *Sæpe Fratres carissimi Apostolatus nostri pro causa Lotharii Regis sollicitudinem cognovistis &c.* Cum propter hæc ad eos scripsisset, nullamque ex eorum industria, & zelo fructum percepisset, alteram ad eos epistolam dedit, qua eorum desidiam graviter arguit, ac de Valdradæ excommunicatione admonet: Unde post plurima. *Sed his prælibatis ecce jam tertio nunc vobis omnibus esse Valdradam, filiæ nostræ Theutbergæ reginæ iniquissimam æmulam consortio christianorum, & communione privatam nostris epistolis indicamus &c.* & iterum, postquam eam ad pristina adulteria rediisse adnotavit. *Quapropter sententiam in eam excommunicationis, usque ad correctionem, & idoneam nostram, & totius ecclesiæ satisfactionem protulimus &c.* ac tandem post plurima, qua ratione Lotharius legitimam uxorem suam Theutbergam tractaret, ut sibi referant, eosdem Episcopos admonet, ut ibidem videre est. Nicolai ep. ad Episcopos Regni Lotharii. *epist.* 10. *append.* 1. *pag.* 494. *epist.* 49.

14. His vero in Gallia vulgatis, Lotharius timens, ne ob eamdem causam, simili pœna plecteretur, quod nonnulli Nicolao Pontifici, quasi eidem pepercerit, exprobrare visi sunt, ut idem Pontifex in epistola ad Episcopos Regni Lotharii his verbis innuit. *Porro si cujusquam fortassis adinventionis intentionisque fuerit dicere, quod non solum illa mulier, sed & Lotharius in hoc deliquisset, ideoque simili pœnitentia deberet arctari &c.* Cum, inquam, id timeret Lotharius, ad excusandas in peccato suo excusationes, interventorem apud Nicolaum Papam, Adventium Metensem Episcopum adhibuit, qui Nicolao Pontifici litteras per Theodoricum Presbyterum dedit, cum per se ipsum Adventii Episcop. Metensis epistola excusatoria pro Lothario.

JESU CHR. AN. 866.

ipſum ob barbarorum incurſiones, ſeu Normannorum, Apoſtolicam ſedem adire non potuiſſet, iiſque ſe litteras de Valdradæ excommunicatione ſcriptas nonas Junii accepiſſe narrat, dum acerbiſſimis podagræ doloribus vexaretur, eaque de cauſa reſpondere iis hactenus diſtulerat, ac Lotharium Apoſtolicæ ſedis mandatis ſe ſubmiſiſſe addit, itaut recedente e Galliis Arſenio Apoſtolicæ ſedis legato & Apocryſario, Valdradam e Palatio ejecerat, Theutbergam vero Reginam receperat, eamdemque tum in menſa, tum in ceteris officiis comitem retinebat; quia vero eoſdem Epiſcopos Nicolaus arguerat, eo quod tanquam canes muti latrare non valuerant, officio ſuo eoſdem non defuiſſe adnotat. *Itaque*, ait, *unuſquiſque noſtrum ſive ſit excuſabilis, ſive inexcuſabilis pro ſe rationem reddet &c.* ſe tamen *ab omni hujus reprehenſionis contagioſæ, teſte rerum omnium conditore, profitetur inmunem &c.* ac Prophetici ſpeculatoris exemplo, officio ſuo perfunctum fuiſſe adnotat, cum ſeipſum, tum Lotharium Regem excuſare conatus.

Lotharii ep. ad Nicolaum Papam.

15. Quia tamen graves æque, ac minaces adverſum Lotharium Nicolai Papæ epiſtolæ fuerant, ut eum placaret, Lotharius ipſe litteras officii plenas ad eum dedit, quibus ſe prædeceſſorum ſuorum exemplo, Apoſtolicæ ſedi omnem reverentiam, obedientiamque hactenus exhibuiſſe, paratumque impoſterum exhibere, teſtatur, ac Romam etiam peregrinari. *Siquidem magno*, inquit, *deſiderio accendimur ad beatiſſimorum Apoſtolorum limina, ut ad veſtram cariſſimam paternitatem noſtram præſentiam exhibere, ſed variæ incommoditates noſtram devotionem hactenus prohibuerunt, ſperantes nimiumque volentes, hoc citius, domino donante implere &c.* ac ne falſis rumoribus de ſe ipſo ab adverſariis ſuis, invidiſque ſparſis fidem haberet, aureſque præſtaret, admonet, ſeque Apoſtolicis ejus juſſionibus, & monitis paruiſſe adnotat itaut, *Quicumque vobis hoc dixit, quod ego, poſtquam Arſenius a nobis ſeparatus eſt, cum Valdrada in aliquo loco converſatus fuerim, aut poſtquam ab Italia reverſa eſt, ullum mutuum acceſſum, tactum, vel viſum inter nos habuerimus, penitus mendacium eſt &c.* ad pleniorem autem cauſæ ſuæ cognitionem, ac defenſionem, ſe Grimlandum cancellarium ſuum ad eum legatum miſiſſe ad-

monet, qua excusatione accepta, mitior in eum factus Pontifex, litteras ad Lotharium dedit, quibus primum de ejusdem cum uxore sua reconciliatione his verbis gratulatur. *Audito revertente misso nostro correctionis tuæ, ut ita dicamus initio, gratias Deo condignas egimus, & ut tibi quoque grates compatibiles referremus, animum præparavimus.* At acceptis ab Theutberga legatis, & litteris, quibus se, tœdio nimio affectam, & injuriis afflictam, significabat & petebat ab Nicolao, ut conjugium suum cum Lothario, quem ultra sustinere non poterat, dissolveret, *Compulsi sumus*, inquit, *mutare vocem, & qui ad gratiarum actiones os aperire disposueramus, in luctu & increpatione adhuc officium itaque coacti dirigimus.* Dein multis Lotharium verbis hortatur, ut ad saniora consilia revertens, Valdradam omnino rejiceret, ac Theutbergam maritali affectu retineret, cujus conjugium, nisi uterque coelibem vitam profiteretur, dissolvi non posse demonstrat. Jesu Chr. an. 866. Nicolai epis. ad Lotharium num. 51.

16. Atque in id tota mente intentus Nicolaus dum vixit, ad Ludovicum Regem scribens, ut Lotharium nepotem ad Theutbergæ dilectionem excitaret, rogavit. *Precamur amabilem dilectionem vestram*, ait, *ut Regem Lotharium monere nullo pacto desistatis, ut debitam dilectionem Theutbergæ Reginæ uxori suæ semper impendat, nec sibi blandiatur, quasi studeat eam cogere, ut aliquod sibi crimen impingat, ac per hoc valeat illam a suo consortio sequestrare, quoniam hoc nec ipse legaliter agere prævalet, nec nos talibus præstigiis, & tam fraudulentæ calliditati locum dare permittimus.* Idem argumentum in altera quoque epistola paulopost ad eumdem Ludovicum Regem scripta persequitur, ac verbis tantum, non semel se Apostolicæ sedis jussionibus pariturum Lotharium promisisse conqueritur, summamque se pro ejusdem salute sollicitudinem hactenus gessisse declarat, atque ad ultimum sane vitæ spiritum retinuisse vel inde patet, quod hæc ultima Nicolai gesta in hac causa fuere, nam anno sequenti vivere desiit, ut dicturi sumus. Nicolai epist. 53. & 55. ad Ludovicum.

17. In Svessionensi synodo secunda præter Rothadum Episcopum, Vulfadum quoque Presbyterum, aliosque ab Ebone Remensi olim Archiepiscopo, post depositionem suam, ordinatos suis gradibus dejecerat Hincmarus tunc Remensis Archiepiscopus, quorum querelæ Romam delatæ, effecerunt, ut Nicolai Papæ epist. ad Hincmarum Remensem, & Herardum Turon. Episcop.

JESU CHR. AN. 866. ejusdem Svessionensis synodi acta Nicolaus Papa rescinderet; ac, ut supra diximus, Rothadum etiam suæ sedi ac dignitati, repugnante Hincmaro, restitueret. Vulfadi vero, sociorumque causa datis ad Hincmarum Remensem litteris jusserat, ut prioris synodi actis rescissis, eosdem suis gradibus restitueret. Si vero id repugnante conscientia peragere recusaret, ut eorum causam in synodo altera Svessionensi retractaret, jussit, in qua si dejecti Apostolicam sedem appellassent, ut ex utraque parte legati mitterentur, eumdem admonuit. Unde post plurima. *Jam vero si flecti ad hoc te munda conscientia non permittit, præcipimus fratres nostros, Remigium Lugdunensem, Adonem Viennensem, Venilonem Rothomagensem, una cum ceteris Archiepiscopis, & Episcopis Galliarum, & Neustriæ, quibus tamen possibilitas est, in idipsum cum beatitudine tua, & suffraganeorum tuorum, apud Svessionem urbem diœceseos tuæ pariter convenire ad quorum venerandum conventum Ulfadum quoque, cum jam præsignatis paribus ejus, vos accersire procul dubio volumus. Siquidem omnibus videlicet tam Archiepiscopis, & Episcopis, quam ipsi Ulfado & sociis ejus, nostras hoc jubentes litteras destinavimus. Ubi canonice per ordinem cuncta, quæ in eis gesta sunt, examinantes, & subtilius investigantes, si de illorum reformatione justum quid vel pium senseritis, sine contradictione perficite, & eos in suis ordinibus restituite. Præterea si disceptantibus, vel fortasse alia atque alia decernentibus vobis, præfati dejecti sedem appellaverint Apostolicam, & ejus speciali se judicio damnari, vel absolvi petierint, præcipimus, ut si sanctitas tua, vel si Ulfadus, aut socii ejus, ad nos venire per se non possunt, vicarios vestros ad hoc negotium ventilandum & finiendum, mox post consummatum concilium 15. Kalend. Septembris præsentis XIV. indictionis auctoritate nostra collectum, vestras præsentaturos personas, nullam penitus excusationem prætexentes, utrique ad sedem B. Petri emittatis &c.* Ne autem gravate id ferret, Hincmarum admonet, ac de synodo Svessione in eadem causa celebranda, ad Remigium Lugdunensem Episcopum se scripsisse addit. In quam rem altera Nicolai Papæ epistola extat ad Herardum Senonensem Episcopum data, qua se Hincmaro scripsisse significat, atque pro Vulfadi, sociorumque restitutione, intercessisse potius, quam jussisse, si vero

Conc. tom. 8. pag. 808.

pag. 814.

vero repugnante conſcientia, id peragere recuſaverit, ut concilium Sveſſione, ad diem 15. Kal. Septemb. indict. 14. ſua auctoritate congregaret, juſſit, ubi eorumdem cauſa retractaretur, ac data dicitur tertio nonas Aprilis indict. 14., tertio quoque nonas Aprilis ejuſdem indict. data eſt altera ad Hincmarum epiſtola. Jesu Chr. an. 866.

18. Interea dum Vulfadi Presbyteri cauſa adhuc in ſuſpenſo foret, cum qui utpote Carolo acceptiſſimus, eoque tempore Rodulphus Bituricenſis Epiſcopus obiiſſet, ut Vulfado, quem Epiſcopum Bituricenſem deſignaverat, eam interea eccleſiam commendaret, eamdemque uſque ad Synodi ſententiam regeret, Nicolaum Papam rogavit. At Pontifex Carolo respondens, id nequaquam fieri poſſe advertit, ut cum diverſæ ad eum de Vulfado ex utraque parte relationes miſſæ fuiſſent, ejuſdemque cauſa in ſynodo jam indicta iterum examinanda eſſet, nunc Bituricenſis eccleſiæ præfectura eidem committeretur, Epiſtola autem ſcripta fertur quarto Kal. ſeptemb. ejuſdem decimæquartæ indictionis, ideſt hoc anno octingenteſimo ſexageſimo ſexto. Caroli Regis epist. ad Nicolaum, & Nicolai ad Carolum pro Vulfado.

19. Ad dictam autem diem 15. Kal. Septemb. indict. 14. anni labentis, cum Nicolai juſſu, Sveſſionas convenisſent Epiſcopi, eorumque pars maxima in Vulfadi reſtitutione inclinarent, cui, ut diximus, impenſe Carolus quoque Rex favebat, unus præ ceteris, ejuſdem, aliorumque reſtitutioni Hincmarus adverſabatur, in eamque rem quatuor ſchedulas diverſis temporibus ſynodo legendas obtulit, quarum hic eſt titulus. *Schedulæ, ſeu libelli quatuor per vices ſynodo oblati ab Hincmaro Remenſi*, quarum prima Hincmarus conteſtatur Vulfadum, & ſocios, ſuo tantum, & Coe. piſcoporum provinciæ Remenſis judicio non fuiſſe depoſitos, ſed a Synodo quinque Provinciarum, & electorum Judicum ſententia, a Benedicto III. & deinde a Nicolao I. confirmata; proinde ſibi integrum non fuiſſe illos reſtituere in priſtinos gradus, nec reſtitui poſſe ſine regularum, & Sedis Apoſtolicæ præjudicio, ac ſine communi ipſorum Epiſcoporum, qui id perfeciſſent, periculo. Secunda Schedula demonſtrat Hincmarus Ebonem regulariter depoſitum, & non regulariter reſtitutum, cum e contra quidam aſſererent, ipſum regulariter depoſitum non fuiſſe & canonice reſtitutum. Se tamen Pontificis, & Synodi Decretis pariturum con- De gestis Svessionensis synodi tertiæ. *Concil. tom. 8. pag. 816. ad 830.*

JESU CHR. AN. 866. contestatus est, nec se a Vulfado, & sociis infenso animo fuisse addit, etsi eorum restitutioni repugnaret.

Hincmarus restitutioni Vulfadi contradicit.

20. Verum cum intelligeret Hincmarus Episcoporum plurimos in restitutionem Vulfadi, & sociorum inclinare, eo quod bona fide, palam & publice ab Ebone Archiepiscopo, jure vel injuria Sedi suæ restituto, sacros ordines suscepissent, temperamentum quoddam proposuit tertia Schedula, ut ex indulgentia & dispensatione in pristinos gradus recuperentur, inconvulsis manentibus Synodi Svessionensis 2. Judicio, & Summorum Pontificum Benedicti III. & Nicolai I. decretis. Quartam Schedulam contra Vulfadum Synodo porrexit Hincmarus, in qua ajebat, ipsum sub jurejurando per Sanctam Trinitatem unius Deitatis professum, se nusquam ad graduum Ecclesiasticorum administrationem ulterius aspiraturum, & perjurii reum esse, qui Lingonicnsem Ecclesiam Pastore viduatam, ut ibi ordinaretur Episcopus, usurpare præsumpserit. Verum hæc Schedula, cum legi cœpisset, ita cunctorum offendit animos, ut penitus suppressa sit, uti testatur epigraphe ipsi præfixa: *Ita, quæ sequitur Schedula, Synodo est porrecta, sed quibusdam scandalizantibus non est perlecta.*

Vulfadi, sociorumque causam Apostol. sedi remittunt Epi.

21. Svessionensis autem concilii exitus is fuit, ut Episcopi in eo congregati Hincmarum Summo Pontifici excusarent, eo quod ausus non esset sua, & Comprovincialium auctoritate Vulfadum, & Socios restituere, quorum causam integram Pontifici, remiserunt, *Sed ut quondam Joab obsidens urbem Rabaz, David Regi fidissimo ne cum a me, inquit, vastata & capta fuerit, vobis & non nomini meo adscribatur victoria: Ita & nobis in præsentis rei negotio decertantibus, & quædam deflorantibus, non tamen terminantibus, solummodo Magisteriali vestro culmini eorum assignetur restitutio.* Hanc itaque viam iniere Gallicani Præsules in hac Synodo Svessionensi III. jussu Nicolai I. congregata, ut Synodo Svessionensi secundæ quinque Provinciarum nihil derogatum vellent, quasi minus æquum fuisset illius de Vulfadi, Sociorumque causa judicium, ut ex synodi actis, & ex synodica epistola constat, cujus hoc est exordium. *Convenimus siquidem, ut sacratissimis vestræ paternitatis apicibus nobis injunctum est, XV. Kalendarum Septembrium, XV. indictionis, Remigius Lugdunensis, Frotarius Burdigalensis,*

lenſis, Sterardus Turonenſis, Venilo Rothomagenſis, Egilo Senonenſis Archiepiſcopi, cum Diœceſanis conſacerdotibus, ad præmiſſam nobiſque deſignatam urbem. Ubi etiam confrater & Coepiſcopus Hincmarus cum ſuis ſuffraganeis, veſtris obtemperans monitis, devote ſuæ ſanctitatis noſtræ unanimitati exhibuit præſentium. Nec non, e latere frater Ulfadus, & collegæ ipſius, ad idem juxta Apoſtolatus veſtri inſtitutum pariter deſluxere concilium &c. His ſynodi geſta exponunt, ac in argumentum reverentiæ ipſorum & obedientiæ erga ſedem Apoſtolicam, totam pene cauſam ejuſdem judicio se reſervaſſe teſtantur: epiſtolam integram & emendatiorem poſt Baronium exhibent conciliorum editores, ut ibidem videre eſt, eique Hincmarus Remorum Archiepiſcopus ſubſcripſit, deinde Remigius Lugdunenſis, Frotarius Burdigalenſis, Herardus Turonenſis, Venilo Rothomagenſis, Egilo Senonenſis, & Liutbertus Moguntinus Archiepiſcopi; Epiſcopi deinde diverſarum provinciarum numero 28. ac data dicitur. *Anno Incarnationis D. N. Jeſu Chriſti* 866., *Regni Caroli* 27. *octavo Kal. Septembris*.

JESU CHR. AN. 866.

22. Privatas etiam ad Nicolaum Pontificem litteras dedit Hincmarus, ut ſuam erga Apoſtolicam ſedem, & Nicolaum Pontificem venerationem, obedientiamque teſtaretur, eaſdemque una cum ſynodica Egiloni Archiepiſcopo diferendas tradidit, cui etiam commonitorium addidit, quo eum, qua ratione cum Nicolao Pontifice aggere deberet, ac de geſtis in ſynodo rationem reddere admonuit, ſeque his geſtis nequaquam ob ſpiritus proterviam, ac pertinaciam, ut eidem non ſemel Nicolaus exprobraverat, reſtitiſſe, ſed conſcientiæ ſtimulis, & canonum eccleſiæ auctoritate detentum, ajebat, apologeticam præterea pro ſe ipſo ad eumdem Nicolaum epiſtolam addidit, ut in appendice ad tomum octavum conciliorum videre eſt.

Hincmari epiſt. ad Nicolaum.

23. Eadem Sveſſionenſis ſynodus epiſtolam alteram ad Nicolaum dedit, ac Actardo Nannetenſi Epiſcopo deferendam tradidit, qua de negata ab Epiſcopis Britanniæ debita ſubjectione Metropolitano eorum, Turonenſi ſcilicet Epiſcopo, conqueruntur, deque inſeſtationibus eccleſiarum Britanniæ relationem mittunt, qua ultra viginti annos jam exceſiſſe ex quo, *tirannica feritate reſumta, nec comprovincialia cum*

Synodi ep. altera de Epiſcopis Britanniæ, *epiſt.* 837.

JESU CHR. AN. 866.

cum Turonico metropolitano celebrant concilia, nec in episcoporum consecrationibus ad eumdem respiciunt. Sed neque ad synodum, si quando apostolatus vestri auctoritas nostram fraternitatem pro quibuslibet emergentibus, vel imminentibus negotiis aggregandam decernit, venire, aut legatos mittere dignantur. *Unde fit ut nullus cultus religionis inter eos, nullus disciplinæ vigor haberi possit in illis: quoniam cum sint barbari, feritate nimia tumidi, nullis sacris institutis obediunt, nullis præceptionibus sanctorum patrum se subdunt: sed pro libitu insipientiæ, malevolentiæque suæ cuncta peragunt.* Nec sæpe ab Apostolicæ sedis Præsulibus admoniti, ut Metropolitano suo, Turonensi scilicet Episcopo, se subjicerent aures umquam præbuerunt, atque ut tantis malis mederetur, ac Britannum Ducem ad obedientiam Carolo Regi debitam, cogeret, hortantur; cum etenim Brittonum Duces, excusso jamdiu Francorum jugo, nec tributum, vel obsequium ullum ultra Carolo deferrent, Episcopi quoque Britanniæ ab Turonensis Metropolitani obedientia inmunes esse voluerunt, in quam rem Nicolai Papæ extat epistola ad Salomonem Britanniæ Regem, paulo ante scriptam. Iidem autem Episcopi in litteris ad Nicolaum ex Svessionensi synodo datis, de insestationibus Britannorum mentionem faciunt, eisque acceptis. Nicolaus Pontifex Britanniæ Regem, sive Ducem admonuit, ut Episcoporum suæ provinciæ causas ad Turonensem Metropolitanum deferri permitteret, vel si ejusdem judicium refugeret, ad Apostolicam sedem remitteret, cum nullus hactenus in tota Britannia ex ecclesiæ auctoritate Metropolitanus ibidem fuerit constitutus, quod sane pacatis cum Carolo Rege rebus, *obtinere facile poteritis* ait Nicolaus, ac subdit, *Neque enim Ecclesias Domini per discordiam Regum divisiones aliquas pati, vel damna necesse est*, hæc, & alia ibidem videnda.

ep. 27. pag. 509.

Nicolai ep. ad Episcopos Svessionensis synodi.

24. Nunc post Svessionensem synodum Nicolai reliqua gesta videamus, qui ex ea acceptis litteris, totidem rescripsit, ac primo accepta ab Egilone synodica epistola ad Episcopos in ea congregatos respondens, Hincmarum graviter reprehendit, quod in causa clericorum dejectorum callide, & fraudulenter egerit, quodque Benedicti Papæ litteras mutilas, & corruptas proferre ausus sit. Quare ut iterum Episcopi convenirent, & in clericorum causa inquirerent præcepit; inte-

interim vero eosdem suis gradibus restitui jussit, quod vero Vulfadum ante plenam causæ ejus cognitionem Episcopum ordinaverint, se nequaquam probare posse testatur, in quam plurima affert, quæ exscribere longum esset, data dicitur *octavo idus Decembris indict.* 15. ideſt hoc eodem labente anno. JESU CHR. AN. 866.

25. Alteram ad Hincmarum ejusdem argumenti scripsit, qua ejusdem fraudes circa dejectos clericos, & litteras Benedicti Papæ corruptas detegit, multaque in ejusdem reprehensionem congerit, ac etiam eo quod ultra præscriptos dies pallio uteretur, reprehendit; his vero Hincmarus respondens, sui ipsius apologiam texuit, objectaque crimina diluere conatur, ut ibidem videre est. Nicolai ep. ad Hincmarum. *pag.* 851. *concil. to.* 8. *pag.* 1908.

26. Cum vero post synodum Caroli Regis litteras accepisset Nicolaus, quibus de præstita ab Hincmaro in synodo Svessionensi, Apostolicæ sedis mandatis obedientia, certiorem eum fecerat, ac dejectorum clericorum causam Apostolicæ sedi remissam, seque interim Vulfado Bituricensis ecclesiæ administrationem commissam fuisse narrabat, his acceptis Carolo rescribens Nicolaus, ejusdem in sedem Apostolicam obsequium laudat, & quid hactenus cum Hincmaro actum fuerat, commemorat, quidve pro clericis ab eo dejectis egerat, vel ad Hincmarum scripserat, ac de recepto in gratiam suam Balduino gratias agit; epistola altera ad Vulfadum Remensem clericum, ceterosque, suis honoribus in synodo restitutos, cum iis gratulatur, eademque se rata habere testatur, & ut interea debitam Hincmaro reverentiam exhiberent, eosdem admonet, ne fortasse ob pristinos gradus, eo invito, receptos, adversus eum superbirent, aut ulciscendi cupiditate, ab debito officio revocarentur, octavo idus Decæmbris indict. 15. æque ac altera ad Carolum data est; at de datis, receptisque in hac causa litteris hoc anno hæc satis sint, quas integras exhibent Baronius, & conciliorum editores, universam vero causam fusius persequuntur Natalis Alex. differt. 7. in seculum nonum, Dupinius, seculo 9. pag. 109., & auctores historiæ litterariæ Gallæ, aliique. Caroli Regis epist. ad Nicolaum, & Nicolai ad Regem. *pag.* 858. & 859. *pag.* 860.

27. Ecclesiarum quoque incolumitati consulens Nicolaus Papa, cum Aquitanicas Ecclesias ab Ducibus multis modis vexari, bonisque spoliari didicisset, ut ab scrile- Nicolai ep. ad Aquitanos de ecclesiarum incolumitate.

JESU CHR. AN. 866.

crilegis his furtis ceſſarent, ablataque eccleſiis reſtituerent datis litteris admonuit, quinimmo ſub excommunicationis pœna juſſit. *Sollicitudinis*, ait, *quam pro univerſis Eccleſiis Dominicis ſuſtinemus, neceſſitas nos compellit de omnium fidelium ſtatu impigram gerere providentiam. Quapropter de vobis etiam ſolertem curam circumferentes, audivimus quoſdam veſtrorum (quod non optabamus) ita contra Dominum efferri, ut Eccleſias ejus, & diverſa pia loca deprædari non timeant, & res eis pertinentes diſtraherc non recuſent. Quæ res valde nos contriſtavit, & ultra quam dici poſſit, menti noſtræ mœſtitiam generavit. Et ideo filii chariſſimi, curæ nobis fuit, ut his nos noſtri Pontificatus hortaremur affatibus ut ſaluti veſtræ providentes, ſolerter a tanta crudelitate ceſſetis: quinimmo quæ violenter, aut quoquo modo ſine lege tuliſtis, reddentes, tantum corrigere curetis*, hinc plurima in tanti ſacrilegii deteſtationem addit, ibidem videnda, ac data dicitur menſe Decembri indictione decimaquinta.

Quo ordine Epiſcoporum electiones in Galliis hoc tempore fierent. *concil. pag.* 1886.

28. Inter antiquas de eccleſiarum regimine formulas, ab Sirmondo tomo ſecundo conciliorum Galliæ vulgatas, ac in appendice ad tomum octavum in Labbeana editione inſertas, de Electramni Redonenſis Epiſcopi electione decretum legitur hoc anno ab Epiſcopis ordinatoribus, vulgatum, cujus hæc ſunt verba. *Anno Incarnationis D. N. J. Chriſti* 866. *anno piiſſimi Regis Caroli* 27., *tertio Kal. Octobris, in parochia Turonica, ordinamus, & ad pontificalem Sedem Redonenſis Eccleſiæ conſecramus Electrannum, electione atque decreto Cleri, & plebis ejuſdem eccleſiæ, nos in Dei nomine Antiſtites, Herardus Turonicæ metropolis, Actardus Namnetenſis, atque Rodbertus Cenomanenſis, cum conſenſu & litteris cæterorum diœceſanorum adhibito, apicibus etiam prænoniti jam dicti glorioſi Regis Caroli, hujusmodi ſtatuto, & paternæ commonitionis decreto ipſi viro allato, ut canonicis ſanctionibus, quantum Divina ſuffragaverit pietas, libenter obtemperet, & ab illicitis ordinationibus abſtineat, & peſtem ſimoniacæ hæreſis devitet: concilia quoque ſacris præfixa canonibus certis ſibi deſignata temporibus celebrare procuret, atque matri ſuæ metropoli debita reverentia ſeſe ſubdere non negligat, & juxta ſanctorum patrum regulas, nihil niſi quæ ad propriam eccleſiam extra ejus con-*

Jesu Chr. an. 866.

consensum pertentet. Hæc ego, aliaque ad institutionem & informationem fidelis viri, fratris & filii nostri Electranni, die præfixo, verbo pariter & stylo promulgantes, pontificali eum infula adornantes; sacra quoque benedictione more sanctæ Redonensis ecclesiæ pontificali eum ordine præferimus, & paterne cathedrali solio sublimantes, confratrem, sacerdotem, comparticipem in regimine & gubernaculo ecclesiæ sanctæ, nobis ex integro in Dei nomine efficimus, manuum quoque adnotationibus, sive impositionibus, *confirmavimus*. Ex hoc autem electionis decreto constat, clerum, populumque viduatæ ecclesiæ, antequam electus ab se Episcopus inauguraretur, consensum ab Rege postulasse; postulationis formula extat p. 1864. qua accepta Rex ad electum a clero, & populo præceptum dirigebat, deinde alterum iterum ad metropolitanum dabat, ut electum a clero, & populo, tamquam sibi acceptum cum provincialibus Episcopis ordinaret, ut pag. 1865. videre est, ubi etiam aliud Regis decretum legitur, ad Episcopos directum, qui cum Metropolitano ad electi ordinationem concurrere debebant.

Aliæ de Episcoporum electione, & ordinatione formulæ pag. 1866.

29. His aliæ insertæ sunt, de Episcoporum electione, & ordinatione formulæ ex Hincmaro præsertim Remensi Archiepiscopo desumptæ, quarum hoc est summarium. Epistola Hincmari ad Regem, ut electionem & visitatorem concederet ecclesiæ Silvanectensi. *Hincmari ad Hedenulphum ut visitatorem deleget in Ecclesia Cameracensi* 3. *Epistola Hincmari ad Clerum, & plebem Cameracensem, ut electionem faciant* 4. *Epistola Hincmari ad Belvocenses, de forma & modo faciendæ electionis*. 5. *Excusatio Rhemensium, qui electionem ante visitatoris adventum fecisse dicebantur*. 6. *Allocutio visitatoris ad electores*. 7. *Decretum electionis Hedenulfi Episcopi Laudunensis*. 8. *Decretum aliud electionis Eneæ Episcopi Parisiensis*. 9. *Decretum III. electionis Ansegesi Archiepiscopi Senonensis*. 10. *Epistola Senonensis ecclesiæ ad Hilduinum Archicapellanum, pro tuenda electione quam fecerant*. 11. *Examinatio Villeberti Catalaunensis ordinandi Episcopi*. 12. *Professio Adalberti futuri Episcopi Morinensis*. 13. *Professio altera futuri Archiepiscopi*. 14. *Tractoria Prudentii Episcopi Tricassini, cum electioni Eneæ adesse non posset*. 15. *Documentum de ordinatione Electranni episcopi Re-*

JESU CHR. AN. 866.

donenſit. 16. Canonicæ litteræ ab ordinatoribus datæ Hedenulpho Epiſcopo Laudunenſi.

Formulæ litterarum formatarum ab Epiſcopis datæ. *concil. to. 8. pag. 1894.*

30. Formulis de Epiſcoporum electione aliæ ſequuntur, quæ ab Epiſcopis, quibuslibet de clero dari ſolebant, cum in aliam diœceſim tranſibant, vel ad loca ſacra peregrinabantur, ac prima ab Ebroino Bituricenſi Epiſcopo ad Magnonem Senonenſem data eſt, qua Presbyterum ſuæ diœceſis Dodobertum nomine ei commendat, & ut eum in ſua diœceſi apud Hercambaldum quemdam hoſpitari permitteret, rogat: ſequens formata epiſtola a Volphone Conſtantienſi Epiſcopo ad Benaldum Argentoratenſem data eſt, eaque Annonem clericum, ut in ejus diœceſi habitare, & ad ordines promoveri poſſit, facultatem tribuit. Tertia ad Carolum Regem, ad Epiſcopos, alioſque ubicumque data eſt, pro Egilane Preſbytero, qui ad loca ſacra peregrinari decreverat, ad omnes quoque Epiſcopos miſſa eſt altera ab Joanne Cameracenſi Epiſcopo, ut Urſio Presbyter ubique reciperetur. Ejuſdem fere argumenti ſunt reliquæ ibidem allatæ, quas brevitatis ſtudio præterimus.

Carolus Aquitaniæ Rex moritur.

31. Hoc anno tertio Kal. Octobris Carolus Aquitaniæ Rex, filius Caroli Calvi, vivere deſiit, ut adnotat Annaliſta Bertinianus, qui anno ſequenti ſubdit, eumdem Carolum filiorum alterum Ludovicum Aquitanis Regem præfeciſſe.

Ethelberti Regis obitus.

32. Hoc etiam anno, uti narrat Veſtmonſtarienſis, Ethelbertus Occidentalium ſaxonum in Anglia Rex, qui *ſtrenue dulciterque per quinquennium, Regnum adminiſtraverat, obiit*, cui ſucceſſit Ethelredus ejus frater. Quo item tempore Egiloni Senonenſi Archiepiſcopo Romam proficiſcenti, ut Sveſſionenſis concilii acta deferret, non ſolum in cauſa Vulfadi, aliorumque clericorum, epiſtolam, ſeu commonitorium Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus dedit, ut geſtorum ſuorum rationem redderet, ac conceptam adverſus ſe ipſum ab Nicolao Papa obſtinationis, duritieique Phariſaicæ notam repelleret, ſed etiam in cauſa Gotheſcalchi, quem jamdiu in carcere ſynodali ſententia detentum reliquimus anno 849. ac duas eidem litteras dedit, quibus Egilonem edocet, qua ratione de Gotheſcalchi cauſa Romæ interrogatus. reſpondere deberet; cum enim non ſolum in Galliis

Hincmari epiſtolæ de pro cauſa Gotheſcalchi.

Hincm. oper. tom. 2. pag. 290. & 293.

non-

nonnullos Gotheſcalchi doctrinæ favere non ignoraret Hincmarus, atque inter alios Remigius Lugdunenſis, & Prudentius Tricaſſinus, qui uti ſuo loco diximus, ſcriptis etiam ſuis aliqualem pro Gotheſcalcho apologiam vulgaverant, ac didiciſſet Gautbertum quemdam Altumvillaris monaſterii monachum, ubi recluſus Gotheſcalchus erat, ut ait Hincmarus, *cum libris, veſtimentis, & Caballis, & aliis, quæ furari potuit*, inde aufugiſſe. *Quasi ipſius Gothescalchi reclamationem vult perferre ad domnum Apoſtolicum &c.* Ne itaque Nicolaum Papam adverſum ſe, ob Rothadi, Vulfadi, aliaſque ob cauſas, exaſperatum magis magiſque incitaret, Egilonem admonet, ut pro ſe rationem interrogatus redderet, nec ſua auctoritate, ſed ſententia duarum ſynodorum Gotheſcalchum in carceribus detineri, teſtaretur, ne ceteros peſtifera ſua doctrina corrumperet, quorum capita in utraque epiſtola exponit, ac confutare ſatagit. Hinc addit. *Si aliquis vos interrogaverit de sua doctrina, hanc esse illi respondere potestis, sicut & verba & ſcripta illius demonſtrant.* 1. *Dicit enim deitatem ſanctæ Trinitatis trinam eſſe, ſicut ſunt tres ſanctæ Trinitatis perſonæ.* 2. *Dicit ita geminam eſſe Dei prædeſtinationem, ut ſicut Deus quoſdam ad vitam æternam, ita quoſdam prædeſtinaverit ad mortem æternam.* 3. *Dicit quod non vult Deus omnes homines ſalvos fieri, ſed tantum eos qui ſalvantur: omnes autem ſalvari quoſcumque ipſe ſalvare voluerit, ac per hoc quicumque non ſalvantur, penitus non eſſe voluntatis illius ut ſalventur.* 4. *Dicit quod non pro totius mundi redemptione, Dominus & ſalvator noſter Jeſus Chriſtus ſit crucifixus, & mortuus, ſed tantum pro his qui ſalvantur.* 5. *Dicit exponens ſententiam Apoſtoli Petri*, eum qui emit eos, Dominum negantes, *Baptiſmi, inquit, ſacramento eos emit, non tamen pro eis crucem ſubiit, neque mortem pertulit, neque ſanguinem fudit. Unde latius dicta in ſuis ſcriptis inveniuntur, quæ in altera ſchedula vobis mitto, ut ſi fuerit vobis viſum, domno Apoſtolico eam monſtretis a me vobis directam, non ad illi ex mea parte oſtendendam, ſed a vobis habendam.* Ceterum ſe paratum eſſe illum ad Apoſtolicam ſedem, vel ad quamlibet aliam ſynodum, vel Epiſcopum remittere, ſi ita Nicolao Pontifici placuerit, teſtatur. Eidem tamen quælibet ad victum, vel veſtitum neceſſaria abundanter mi-

JESU CHR. AN. 866.

JESU CHR. AN. 866.

niſtrari adnotat his verbis. *Si quis aliquis vos interrogaverit de ipſius cuſtodia, talem eſſe veraciter illi reſpondere poteſtis, quidquid fratres in cibo & potu habent, hoc ei quotidie ſine negligentia miniſtratur, veſtimenta illi ad ſufficientia offeruntur, ſi vult ille accipere, ligna ad focum faciendum illi ſufficienter dantur, in manſione in qua degit caminatum habet, & neceſſarium. Lavacra illi non denegantur, ſed poſtquam in eamdem mantionem intravit, non ſolum corpus lavare noluit, verum nec manus, nec faciem.* Et ſane diuturnior, vicennalis ſcilicet in carcere, ac ad obitum uſque detentio, vitæ neceſſaria eidem non defuiſſe probat. Eademque fuſiori etiam ſtilo in epiſtola altera retractat, ac tandem cur iterum hæc ſcripſerit, hanc reddit rationem. *Quia in articulo jam profectionis miſſi noſtri, quem ad vos dirigebam, nunciatum eſt mihi habitu tantummodo monachum noſtrum, Goteſcalchi complicem, in partes Italiæ quo pergitis, cum his, quæ furari potuit de monaſterio aufugiſſe, neceſſarium duxi, accito notario, vel hæc parva & tumultuario ſermone, quæ mens ori ſuggeſſit, emiſſa veſtræ ſapientiæ intimare, ut ſi forte idem peſtifer, in illis partibus de zizania magiſtri ſui aliqua ſeminaverit, & a quibuſdam inde interrogati fueritis, habeatis, quæ illis de doctrina ejus certa reſpondere poſſitis &c.*

Gotheſcalchus tamquam excommunicatus in carcere obiit.

33. Quid de ejuſdem cauſa, vel an eadem cauſa Romæ retractata fuerit, penitus ignoratur, hoc unum ſcimus, Gotheſcalchum in carcere circa annum 868., vel ſequenti 869., poſt vicennalem circiter in carcere detentionem, ultimum diem, die trigeſima Octobris, clauſiſſe, cui etiam tamquam excommunicato, ſacramentorum perceptio negata fuit: ad Hincmarum quippe ſcripſerant Altivillarenſes monachi, cum jam ad exitum properare Gotheſcalchum animadvertiſſent, qua ratione cum eo in vitæ exitu ſe gerere deberent. Hincmarus vero juſſit. *Pro tempore ſicut mihi licuit, dixi vobis, qua conditione ſi ſe Gotheſcalchus antequam anima illius egrediatur de corpore, recognoverit, & ſpiritualem & corporalem humanitatem illi exhibeatis, Si ut præmiſi*, ait, *in obſtinatione ſua permanens mortuus fuerit, ſicut ex auctoritate B. Gregorii, & ſacrorum canonum accepimus, cum pſalmis & hymnis ad ſepulturam deportari, vel in communi fratrum ſepultura ſepeliri non debet,*

pag. 314.

bet, privatæ autem sepulturæ humanitas, sicut vobis dixi, ei non est deneganda. Hæc Hincmarus ad Altivillarenses monachos; quare cum sententiam de duplici prædestinatione abdicare recusasset Gothescalchus, divinis sacramentis, & ecclesiastica sepultura privatus fuit, ut in Hincmari vita narrat Flodoardus, sed de Gothescalchi gestis, doctrina, variaque fortuna jam supra satis pro instituto. Jesu Chr. an. 866.

34. Hisce de gestis in Occidente explicatis nunc nonnulla addimus, quæ in Oriente contigerunt, ubi dominus Deus tanquam potens, ut in psalmo legitur, crapulatus a vino, vindictam in hostes suos, seu in Orientalis ecclesiæ perturbatores exercuit. Itaque Bardas sicuti primus malorum omnium auctor, ita primus hoc anno scelerum pœnas dedit, Michael vero Imp. ejusdem consilia secutus, anno sequenti. Instantem sibi interitum didicisse Bardam Nicetas in vita Ignatii, Curopalates, & Cedrenus narrant, ceterique historici Græci. Nimirum sibi per somnium divinitus immissum cognovisse quod in Templum, & ad sedem Patriarchalem duceretur, in qua senex quidam vestibus albis indutus, qui Petri Apostolorum Principis speciem præseferebat ad cujus pedes Ignatius a Barda sede dejectus, & in exilium, atque in carcere detentus adstabat, ubi cum esset Petrus Apostolus adstanti cuidam gladium porrigens, dixit. *Deo invisum*, Bardam indicans, *in finistro loco constitutum frustratim concide, impiumque filium* Michaelem Imp. designans, *numera in iis qui sunt in dextera parte, sed simile supplicium sume.* Ut itaque rem fusiori stilo a Curopalate, aliisque narratam, paucis complectamur, cum expeditionem militarem in Cretam Michael Imp. & Bardas parassent, alter in alterum insidias paraverat, Michael Symbasium Logothetam, Bardæ ex filia nepotem, ad tantum facinus sollicitavit, eique ut minus suspecto, ut necem Michaeli inferret, destinaverat, at cum sibi uterque caveret, ac Bardas fœderatorum cohorte stipatus incederet, res tamdiu dilata est, usque dum Michael Basilio accubitori significavit, res in summo discrimine esse, si diutius Bardæ interitus differeretur. *Quibus auditis Basilius, deque Imperatoris salute sollicitus, timorem conjuratis excutit*, ac ad facinus aggrediendum impulit, quos ut Bardas strictis gladiis in se irruere vidit, terrore perculsus, præsentique vitæ

Bardas Cæsar Michaelis Imp. jussu occiditur. *psalm.* 77.

JESU CHR. AN. 866.

vitæ animadverſo diſcrimine, ad Imperatoris ſe pedes abjecit. *Haud tamen fieri poterat ut mortem effugeret. Statim inde ergo avulſum membratim concidunt, menſis Aprilis die vigeſima prima, indictione quarta decima, &c. In hunc modum Barda ſublato, miſſa Cretenſi expeditione, Imperator Bizantium rediit.*

Baſilius Imperio ſociatur.

35. CPolim itaque reverſus Michael, cum filios non haberet. *Baſilium magiſtri dignitate adornatum adoptat*, addit Porphyrogeneta. *Tumque Michael impar ipſe adminiſtrandæ Reipublicæ, & cum ſua eum illa gerendi ſimplicitas, ſtoliditaſque non lateret, ſimulque audiſſet moliri Senatum in eum defenſionem, propterea, quia illo Principe, res Romanæ adminiſtrabantur, etiam diadema (rem palmariam ac expetendam) illius capiti imponit, ac die ſacro Pentecoſtes Maii vigeſima ſexta, indictione quarta decima Imperatorem conſtituit, &c. Jam itaque Auguſti dignitate donatus, imperii curis ſe ſe impendebat, ſeque a quotidianis ludicris, & circenſibus abſtinebat &c.* ſicque non ſolum in Imperio ſucceſſorem, ſed carnificem ſibi Michael Imp. delegit, uti anno proximo dicturi ſumus.

Photius Bardam occiſum criminatur.

36. Photius interea, qui Bardam dum viveret, immenſis laudibus extulerat, quique eidem tamquam benefactori ſuo, cujus opera CPolitanum thronum invaſerat, eique tanquam viliſſimum mancipium famulatus fuerat, cum interfectum fuiſſe didicit. *Palinodiam cecinit*, ait Nicetas, *& hunc tamquam ſexcentis peccatis obnoxium, & diris devovendum, talique morte dignum prædicabat. Ita magnus ille ſophiſta Photius pro tempore & rerum occaſione mutabatur, pro Principum voluntate ſe vertens*, tamquam unus ex iis, qui vanas mundi illecebras ſequentes, religionem cupiditatibus ſuis mundique deſideriis inſervire cogunt, extatque ejuſdem Photii epiſtola, ad Michaelem Imp. paucis poſt diebus a Bardæ interitu datam, qua ejuſdem memoriæ acerbiori ſtylo inſultat, ac pluribus de ejuſdem improbitate adnotatis, hæc etiam addidit. *Atque hinc lætalem a dolore accepi inflictam plagam, dum memoria inter alia recolo, quod in ipſo improbitatis actu hinc abripiebatur, ita ut nec lacrymis abluerit ſordes vitæ, & inquinamenta, quæ miſeræ naturæ noſtræ adſtricta ſolent inhærere, nec ob injurias, quibus fortaſſis alios affecerat, ullam*

allam declararat pœnitentiam, nec ullo alio modo judicem in altera vita futurum conciliatum dare ſtuduerat. Itaque delictis onuſtus ad ejuſdem tribunal tranſmiſſus eſt; ſed pro ut ſecreto Dei judicio decretum fuerat, ita ille vitæ finem conſequebatur &c. Hæc, & alia de Bardæ interitu Photius. Jesu Chr. an. 866.

37. Cumque poſt Bardæ necem, Baſilium, ut diximus, Imperio Michael ſociaſſet, ac quis eorum in Imperio potior, aut diuturnior futurus eſſet, ignoraret Photius utriſque eodem tempore adulabatur, utroſque etiam apud alterutrum calumniabatur. *Cum tutum Imperium futurum eſſe, & longius duraturum diceret, aliquando coram Michaele adverſus Baſilium calumnias ſtruebat, aliquando vero contra, hoc pacto amborum gratiam aucupando, qui amborum amicitiam ſimulando, non in veritate eos colebat, at arbitratus quod alter illorum Imperatorum cum Imperio ſolus remaneret, eum ſibi familiaritate par eſſet devincere. Hæc autem non ſatis placebant Baſilio; detecta enim illius pravitate, licet philoſophum, doctum ſcilicet & ſapientem virum eumdem Photium ipſe Imperator exiſtimaret, tamen habebat odio.* Hucuſque Nicetas, hinc factum eſt, ut ſtatim ac Baſilius imperium obtinuit, a CPolitano throno dejiceretur, de quibus anno proximo. Photius Imperatorum adulator.

38. Leviora nihilominus hæc ſunt, ſi cum ceteris CPoli hoc anno ab Photio adverſus Nicolaum, in ſchiſmatis excitati confirmationem, geſtis, comparantur; nam ut ab expeditione Cretenſi, poſt Bardæ interitum, CPolim rediit Michael Imp.. *Photius verſutus* homo, ut narrat Nicetas, *multa adverſus Nicolaum Papam doloſe ſcribens, cum nihil aliud adverſus eum efficere poſſet, perſuadet Michaeli Imp. multis rationibus Synodum congregare, & Nicolaum damnare, atque omnes qui cum illo communicarent, ut hoc pacto pro ea damnatione, quam Nicolaus adverſus eum miſerat, vices redderet. Congregatis igitur generoſus ille Photius omnibus ſuis Epiſcopis, & quibuſdam ſordidis homuncionibus & turpibus, necnon quaſi Legatis quibuſdam Patriarcharum Orientalium in medium adductis, & facta pſeudoſynodo, Nicolaum Papam, nulla ratione, anathemate (ut ipſe petabat) damnavit*: neque his contentus, Ludovici Imp., uxoriſque ejus animum adverſus Nicolaum excitavit, ut eum a Romana ſede deijceret, hinc ſubdit. Photius in ſynodo CP. Nicolaum condemnat.

Ma-

JESU CHR. AN. 866.

Magnis etiam muneribus præcipue Regem Franciæ Dolietum ſic Ludovicum appellabant Græci, *& Engilbernam ejus uxorem ſibi propitios reddens, eos Imperatores in urbe CPolitana ſe proclamaturum pollicebatur, ſi ipſi opem ferrent, in hac re adeo abſurda & injuſta, ut ſanctum illum Nicolaum ab eccleſia vi ejicerent.*

Nicolai Papæ legati Romam redire coguntur.

39. Cum vero in ſuam ſententiam Michaelem Imp. aſtutia ſua Photius traxiſſet, ejuſdem Imperatoris animum adverſus Nicolaum Pontificem adeo exacerbavit, ut legatos illuc anno proximo miſſos, CPolim ingredi prohiberet, ut his verbis narrat Anaſtaſius. *Donatus reverendus Epiſcopus, Leoque Presbyter, & Marinus Apoſtolicæ Sedis miniſter, dum Conſtantinopolim ire vellent, ecce inter fines Bulgariæ Conſtantinopolitanorumque quemdam Theodorum illam cuſtodientem invenerunt, qui eos ultra non dimiſit abire, quin potius innumeris eos denotans injuriis adeo Sanctæ Sedis Legatis abuſus eſt, ut etiam equorum, in quibus ſedebant, capita percuteret, diceretque, Imperator noſter vos neceſſarios ſane non habet. Sed idem Imperator Legatis Regis Bulgarorum ita fertur dixiſſe: Niſi per Bulgariam miſſi Sedis Apoſtolicæ veniſſent, nec faciem meam, nec Romam diebus vitæ ſuæ viderent. Illi vero per quadraginta dies illic reſidentes, ut cognoverunt, quia hoc Imperator Græcorum fieri juſſerat, terga verterunt, & Romam hæc eadem nunciantes coacti reverſi ſunt*, anno currenti, quo Photius conciliabulum ſuum adverſus Nicolaum Papam celebravit.

Anaſt. pag. 421.

De Photii geſtis in ſynodo CP.

40. De qua pſeudoſynodo in litteris ad Manuelem Patricium hæc narrat Metrophanes. *Cum intellexiſſet Photius legatos Pontificis Romani in Bulgariam miſſos confirmationem ejus reprobaſſe, omneſque Bulgariæ Principes, & ſubjectos chriſmate iterum inunxiſſe, tum vero velut aſtro percitus oecumenicam ſynodum conſinxit. Cui conficiæ Synodo, qui tum imperitabant, Michaelem, & Baſilium noſtrum Præſides induxit; Orientis etiam trium Patriarcharum Vicarios, ac totum Senatum Palatinum, & Conſtantinopolitanæ Sedis Epiſcopos, nec non accuſatores inſtituit, qui Nicolai Papæ ſcelera videlicet exponerent, & deplorarent, iudiciumque ſynodi implorarent, teſteſque adhibuit, qui accuſatorum calumnias confirmarent. Atque ipſe quidem ficta erga Papam pietate reſpondebat, non eſſe abſentem judicandum, interimque oratio-*

nes

JESU CHR. AN. 866.

nes contra Papam aſſidentium ſibi Antiſtitum, quaſi repugnantium ſibi inferebat, quibus ſcilicet victus accuſationes admiſerit, cauſamque cognoſcere cœperit. Itaque tandem ſexcentis obrutum falſis criminibus Nicolaum damnat, atque anathemata in illum, & communicantes cum illo conijcit, confictis omnium, qui per ejus ſcilicet ſomnia erant in conciliabulo, ſubſcriptionibus, Imperatorum nempe duorum, & trium Vicariorum Orientis, totius Senatus, & Hegumenorum, & Clericorum. Auctor vero libri de Synodis, Synodo CP. *Photius Nicolai contra ſemet excandeſcentem animum agnoſcens, Michaele, in omnia mutabili, ſibi adſcito, clamque compoſita Synodo, locumtenentes aliorum Patriarcharum comminiſcens, voces & ſubſcriptiones omnium Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Abbatum ſibi ſubjectorum conſcripſit, & Patriciorum, penitus neſcientium, quando, & quomodo, & propter quid coacta eſſet. Per quos omnes depoſitionem & anathematiſmum Papæ Romano Nicolao, divina ſapientia imbuto miſit per Zachariam Chalcedonenſem Metropolitam, & Cariæ Theodorum, qui in Laodiceam aſcenderat*, translatus ſcilicet a Caria ad Laodicenſem Epiſcopatum. De hoc Conciliabulo legendus etiam Anaſtaſius in præfatione ad octavam ſynodum.

Circularis epiſtola Photii adverſus Nicolaum, & Rom. eccleſiam.

41. Quanta autem temeritate, ſeu potius furore, vindictæ æſtu abreptus in Romanam eccleſiam, & Nicolaum Pontificem debacchatus fuerit Photius indicat ejuſdem ſynodica & circularis epiſtola ad omnes Orientalis eccleſiæ Patriarchas, ex Montacutii editione ordine ſecunda, quam integram, etſi loco non ſuo, exhibet Baronius; etenim poſt quam adnotavit ſexcentis artibus humani generis hoſtem in errores continuo traxiſſe homines, itaut eorum plurimos in varias hæreſes induxerit, pia nihilominus eccleſiæ paſtorum cura, & vigilantia, & ut ſubdit, *in hac præcipue religioſa urbe CPolitana, in qua multa quidem feliciter geſta ſunt ope divina*, inter cetera Armeniorum ex variis hæreſibus converſionem commemorat, deinde Bulgarorum ex Idolorum cultu ad Chriſti fidem converſionem, quos ob miſſam ad illos ab Nicolao Papa legationem turpiſſime corruptos fuiſſe deplorat. *Nondum gens illa per biennium*, ex quo inter Bulgaros Chriſti fides prædicata fuerat, eorumque Rex Bogoris baptiſmum ſuſceperat, *rectam Chriſtianorum religionem*

Bar. an. 863. num. 34. ad 45.

JESU CHR. AN. 866.

amplexabatur, cum impii quidam homines, ideſt Nicolai Papæ legati, *& execrabiles, portenta (vel quo illos titulo Chriſtianus inſigniat) homines e tenebris prorepentes (erant enim exorti ab occiduis partibus) heu quomodo reliqua perſequi potero? Iſti inquam in gentem (novella, quorum pietas & nuper conſtituta) tanquam fulgur, terræmotus, ſeu copioſa grando; aut ut proprius quod accedit ad rei veritatem, dicam, tanquam aper agreſtis vineam domini dilectam, nuper conſitam inſilientes, pedibus & dentibus, hoc eſt ſemitis quibuſdam politiæ turpis, & dogmatum depravatorum, quæ illorum erat audacia, deprædantes devaſtabant, omni cum fraudulentia a ſanis & puris dogmatibus, & a fide inculpata Chriſtianorum, eos ſubdole deducere & corrumpere conabantur. Imprimis contra Eccleſiæ canones illicite ad Sabbatorum jejunia traducebant &c.*

Quæ & quanta per calumniam Rom. eccleſiæ Photius objecerit.

42. His tanquam præfatione in Romanæ eccleſiæ contumeliam prænotatis, quatuor deinde criminationes adverſus Romanam, ceteraſque latinæ linguæ eccleſias fuſiori ſtylo perſequitur. Quod ſcilicet primam jejunii quadrageſimalis hebdomadam a reliquo jejunio disjungerent. Quod Sacerdotibus continentiæ jugum imponerent. Quod Chriſmate inunctos ab Sacerdotibus Græcis, denuo inungere non dubitarent, ac tandem quod in Symbolo Spiritum ſanctum a Patre, & Filio procedere addidiſſent, quæ cum non ſemel a viris doctis Leone Allatio, Goario, Natali Alexandro, aliiſque paſſim confutata fuerint, in iis, ne actum agamus, non immorabimur. His vero acceptis, quid Nicolaus Papa tot injuriis laceſſitus, uſque ad ultimum vitæ ſuæ anhelitum egerit, anno proximo, quo obiit, dicturi ſumus.

Ordonii Legionis Hiſpaniæ Regis obitus, cui Alphonſus ſuccedit.

43. Ordonius autem Galliciæ, & Legionis Rex ſexdecim circiter in Regno exactis annis, ab anno ſcilicet 852. ad labentem, mortuus eſt, ac Alphonſum, ob res præclare geſtas, Magnum dictum, ſucceſſorem habuit, cui etſi initia paterni Regni turbata fuerint, ut proſequitur Mariana, temporis tamen tractu, & pacatum obtinuit, & Maurorum ſpoliis auctum, ultra annos quadraginta, & uſque ad annum 910. circiter retinuit, cum illud Garziæ filio ceſſit, ne Regnum tot laboribus auctum, retentumque, civili bello ſcindi videret, niſi ſponte ceſſiſſet.

JE-

JESU CHRISTI annus 867. Nicolai Papæ 8. Ludovici Imp. 11. Michaelis Imp. 14.

Jesu Chr. an. 867.

1. Cum itaque ex Photii litteris ad universos Orientalis ecclesiæ Patriarchas inscriptis, Imperatores, totumque Orientem adversum se, & Romanam ecclesiam commotum, & exasperatum cerneret Nicolaus Papa, etsi jam viribus fractus, ac ad obitum proximus, nam ineunte mense Novembri vivere desiit, spiritu nihilominus fervens, ut acceptas a Photio, non tam sibi, quam Occidentalibus ecclesiis injurias propulsaret, ab Episcopis in Regno Caroli constitutis, & præcipue ab Hincmaro, qui ceteris in canonum doctrina præstabat, auxilium petiit, suaque epistola hæc præfatur. *Omnium nos portare onera qui gravantur, immo hæc in nobis portare beatissimum Petrum, qui nos administrationis suæ protegit ac tuetur hæredes, fraternitas vestra liquido novit. Verumtamen inter alia, quæ nos immensis laboribus ingerunt, illa nos præcipue commovere videntur, quæ nobis, immo universæ occiduæ parti a Græcorum Imperatoribus Michaele & Basilio, & ab iis qui sibi parent, nequiter ingeruntur. Hi enim odio & invidia contra nos inflammati, quæ inferius annotabimus, nobis quasi crimina hæreseos impingere moliuntur. Odio quidem, quia Photii adulteri & invasoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ, atque Neophyti a depositis & anathematizatis factam promotionem non approbaverimus, fratris scilicet & comministri Ignatii, ejusdem Ecclesiæ Patriarchæ dejectionem, utpote a subjectis & ab Imperiali potentia factam nullo suscipientes assensu. Invidia vero, quia Regem Bulgarorum, Michaelem nomine, cum gente sua, Christi Fide susceptа, a Sede B. Petri institutores, & doctrinam expetiisse audierunt: Valentes quippe & nimium anhelantes, eosdem Bulgaros a B. Petri subjectione subducere, suoque Imperio sub prætextu Christianæ religionis callide subjugare, talia de sancta Romana Ecclesia non habente maculam neque rugam, aut aliquid hujusmodi prædicant, quatenus illi, utpote adhuc in Fide rudes, hæc audientes, nos quasi noxios, & diversarum hæreseon squalore respersos vitent, dejectent, atque penitus deserant &c.* His in exordio prænotatis, quæ hactenus in Ignatii, & Photii causa Romæ, & CPoli gesta, mutuasque lega-

Nicolai ep. 70. ad Hincmarum, & Episcopos in Regno Caroli.

concil. to. 8. pag. 468.

JESU CHR. AN. 867.

legationes vel acceptas, vel missas commemorat. Deinde Bulgarorum conversione narrata, legatos ad eos, alioſque CPolim ea occasione se misisse addit, quos nec a Græcis Imperatoribus receptos fuisse, quin & in Bulgaros succensuisse, eo quod eosdem Bulgariam transire permiserint. Narrat varias deinde criminationes a Photio, & Græcis adversus Romanam, ceterasque Occidentis ecclesias vulgatas, ut apud Baronium, vel conciliorum editores videre est, quare ut sibi in tam gravi certamine opem ferrent, his verbis hortatur. *Quapropter necesse est, ut eorum conatibus resistamus, & falsis illorum jaculis veritatis clypeum opponamus. Quod nos quidem opitulante superna potentia, prout valemus, agere non omittemus. Nec cum opportunitas cælitus datur, contra illos pro Ecclesia Christi tacebimus, sed magnopere convenit, ut & vestra quoque fraternitas morem sequuta majorum, concertans nobiscum, & unanimiter collaborans in talibus inveniatur. Siquidem (nisi mente receſſit) nunquam Hesperiæ regiones, ut de aliis mundi plagis interim taceamus, a Sede B. Petri in hujusmodi quæstionibus dissonantes inventæ sunt. Unde unusquisque vestrum, qui Metropolitana jura sortitus est, junctis sibi fratribus & Coepiscopis suis, qui sub se sunt, de his diligentem curam suscipiat; & quid invidis eorum detractionibus opponi necesse sit, rimari studeat, & invenire summopere gestiat, atque inventum nobis ocyus transmittere minime parvipendat; quatenus id nos quoque adversus eorum vesaniam cum ceteris assertionibus nostris deinde mittere valeamus &c.* In quam rem quamplurima ibidem addit, quæ brevitatis studio prætermimus: ad Hincmarum vero hæc habet. *Tua vero frater Hincmare caritas, tum epistolam legerit, mox ut etiam ad alios Archiepiscopos, qui in Regno filii nostri Caroli glorioſi Regis constiſtunt, deferatur, summopere agere studeat, ut de his singuli in diœcesibus suis, una cum suffraganeis suis, in cujuscumque Regno sint, constituti convenienter tractare, & nobis quæ repererint suggerere curent, eos incitare non negligat.* Hæc & alia ibidem, ac data dicitur *Decim. Kalend. Novembris Indictione prima.* A qua die usque ad ipsius Nicolai obitum viginti & unus dies numerantur secundum Anastasium, qui vult eum defunctum decimotertio Novembr. ut plane possit intelligi paulopost, ipsum sanctissimum Pontificem in ægritudi-

Nicolaus Papa ab Episcopis Galliarum auxilium implorat.

Nicolai interpellatio ad Hincmarum.

tudinem incidiſſe, ex qua, magno totius Eccleſiæ damno, e vita ſublatus eſt. Nam Frodoardus in hiſtoria Eccleſiæ Rhemenſis, inquit: *Hincmarus hanc accepit epiſtolam, quam multis aſſantibus Epiſcopis ante Regem legit, qui tunc in ſuo palatio Corbenio erat, & juxta mandatum Nicolai Papæ, hanc ad alios Archiepiſcopos citiſſime deferri curavit. Interim Nicolaus Papa decimotertio die menſis Decembr. e vivis exceſſit &c.* Anaſtaſius autem decimotertio Novemb. defunctum aſſerit. Quid vero pro latinis adverſus Græcos in Galliis elaboratum fuerit, Frodoardus indicat, nam Hincmari epiſtolas recenſens, hæc habet. *Item de reſponſionibus ad objecta Græcorum, quæ Odo Bellovacenſis Epiſcopus colligens deſcripſerat, & domino Hincmaro miſerat: Unde gratias Deo Rex egit, quia ſeipſum inſtructum ſenſit ab eis, quos uno ſpiritu potatos invenit, & quid de his videatur ſibi ſimul conferendum eſſe ſignificat*: & inferius de iiſdem: *Subjungit quoque de libello ipſius Odonis contra objectiones Græcorum, quædam ſe in eo memorans annotaſſe, quæ retractanda & corrigenda forent.* Hæc ipſe. Ex quibus intelligas tum Odonem Bellovacenſem, tum Hincmarum Rhemenſem eaſdem Græcorum objectiones confutaſſe, eamdemque Romanæ, & totius latinæ eccleſiæ cauſam tutati ſint Æneas Pariſienſis Epiſcopus, & Ratramnus Corbejenſis monachus, quorum opuſcula adverſus Græcorum objectiones tomo 2. Spicilegii Dacheriani extant. JESU CHR. AN. 867.

3. De his etiam Annaliſtam Bertinianum audire præſtat, qui de adventu clericorum Hincmari Romam agens hæc narrat, *Hincmari clerici in menſe Auguſto Romam venientes, Nicolaum Papam jam valde infirmatum, & in contentione, quam contra Græcorum Imperatores Michaelem, & Baſilium, ſed & contra Orientis Epiſcopos habebat, magnopere laborantem invenerunt. Quapropter uſque ad menſem Octobrium ibidem ſunt immorati. Nicolaus vero Papa gratanter ſuſcipiens quæ Hincmarus ſcripſerat, ei de omnibus ſibi ſatisfactum eſſe reſcripſit. Sed & alteram Epiſtolam eidem, & cæteris Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Regno Caroli conſtitutis tranſmiſit, innoteſcens præfatos Græcorum Imperatores, ſed & Orientis Epiſcopos calumniari Sanctam Romanam Eccleſiam, imo omnem Eccleſiam quæ Latina utitur lingua. Quia jejunamus in Sabbatis. Quod Spiritum San-* Nicolaus Papa cum Hincmaro reconciliatur.

JESU CHR. AN. 867. *Sanctum ex Patre Filioque procedere dicimus, &c. De quibus omnibus per ſingulas provincias a Metropolitanis cum eorum Coepiſcopis ſibi reſcribi præcepit.* Quorum conſultationes recipere nequaquam potuit Nicolaus paulo poſt e vivis ereptus.

Synodus Trecenſis, ſeu Tricaſſina celebratur. *concil. to. 8. pag. 870.*

4. Clericos autem ſuos legatos ad Nicolaum Papam hoc anno Hincmarus Remenſis miſit, non tam ut Trecenſis ſynodi acta deferrent, quam privatas, & Apologeticas ſuas litteras. Synodi quidem litteræ Actardo Nannetenſi Epiſcopo traditæ fuerant, teſte Flodoardo, at is cum ad Carolum Regem cum litteris ſynodi Romam ferendis reverſus eſſet, Carolus Rex, qui Hincmaro infenſus erat, ut ex iis Hincmarum ab Epiſcopis excuſatum fuiſſe didicit. *Hanc epiſtolam Actardo ſibi tradi imperavit*, ait idem Flodoardus; *& ſigilla Archiepiſcoporum lacerans, id quod in ipſa ſynodo tractatum fuerat, legit, & quia Hincmarus ex ea, non fuerat, ut prætendebat, confutatus & condemnatus, alias nomine ſuo litteras contra Hincmarum Nicolao Papæ dictare fecit, quas ſuo ſigillo obſignavit, & per eumdem Actardum cum epiſtola ſynodi Romam tranſmiſit.*

Hincmarus legatos cum apologia ſua Romam mittit.

5. Quid in ſui excuſationem, & defenſionem Hincmarus egerit, idem Flodoardus his verbis narrat. *Anno Incarnationis Domini octingenteſimo ſexageſimoſeptimo Synodus provinciarum Rhemenſis, Rothomagenſis, Turonenſis, Senonenſis, Burdegalenſis, & Bituricenſis in urbe Trecenſi coacta fuit. Ubi quidam Epiſcopi (ut uſu venit) in gratiam Regis Caroli Vulfado faventes, inſidias & factiones Hincmaro moliri cœperunt, in præjudicium veritatis, & auctoritatis ſanctorum Canonum. Verum Hincmarus ſe ratione & auctoritate defendit; & ſuffragiorum pluralitate concluſum fuit, ordinem capitulorum controverſorum una epiſtola contentorum per Actardum venerabilem Epiſcopum Nannetenſem Romam mittendum eſſe. Et hujus epiſtolæ tenor ſimilis fuit tenori illius, quam idem Hincmarus menſe Julio præcedente Romam ad eumdem Nicolaum Papam per ſuos clericos peregrinorum more ob metum inſidiarum adverſariorum indutos, miſerat.* De Hincmari apologetica epiſtola ad Nicolaum Papam menſe Julio ſcripta, & menſe Auguſto tradita, paulo poſt dicturi ſumus, nunc de ſynodi convocatione, deque geſtis in ea nonnulla adnotamus.

6. Ut

6. Ut celebriorem ſynodum redderent, eique Epiſcoporum numero auctoritatem conciliarent, ad eam Epiſcopi in Regno Caroli conſtituti, Epiſcopos in Regno Ludovici poſitos invitarunt, extatque adhuc cum hac inſcriptione convocatoria epiſtola. *Reverendiſſimis atque ſanctiſſimis fratribus omnibus Archiepiſcopis; & Coepiſcopis in Regno Domini & glorioſi Regis Ludovici conſiſtentibus, devotiſſimi fratres omnes Archiepiſcopi, & Coepiſcopi ex Regnis Dominorum & glorioſiſſimorum Regum Caroli, atque Lotharii &c.* eaque in Galliarum eccleſiis jamdiu ſcandala plurima, corruptelaſque, ac diutina inter Epiſcopos etiam diſſidia ac ſchiſmata irrupiſſe adnotant, unde direptiones eccleſiarum, Epiſcoporum, aliorumque *oppreſſiones, ſpoliationes, orbationes, captivitates, & ceteras intolerabiles ærumnas poſt omnia mala, quæ nobis pro noſtris peccatis ab impiis inferuntur paganis*, quibus ut medelam afferrent, *veſtræ ſanctitatis ſolertiam ad generalem ſynodum invitamus, de generali ſanctæ Eccleſiæ utilitate, officio, & fervido ſtudio tractaturi*, cumque Caroli, & Lotharii conſenſum non ſolum obtinuiſſent, ſed etiam ſynodum fieri ipſi Reges juſſiſſent, in eamque rem legatum ſuum ad Ludovicum miſiſſent Adventium Mediomatricorum Epiſcopum, ut ad eam Epiſcopos quoque Regni ſui adeſſe juberet, hinc ſubdunt Epiſcopi. *Porro circa diem nonam Kal. Maji eamdem ſynodum in loco qui vocatur Trecas celebrare diſponit noſtra in commune omnis eccleſia. Ergo agat veſtra ſancta unanimitas, & ad concilium divina, ut credimus, diſpoſitione coadunandum citiſſime confluat.*

Jesu Chr. an. 867. Epiſtola Epiſcoporum Regni Caroli ad Epiſcopos Regni Ludovici. *concil. pag.* 868.

7. Quid in ea geſtum fuerit ex ſynodali epiſtola ad Nicolaum Papam data, ſcimus, ac primum eam uſque ad diem nonam Kal. novembris, qua primum Epiſcopi convenerunt, ut in inſcriptione teſtantur, dilatam fuiſſe conſtat. Epiſtolæ autem hæc eſt inſcriptio *Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Domino ac univerſali Papæ Nicolao, Epiſcopi, qui præterito anno per gratiam Dei, & Decretum veſtrum, apud Sueſſionicam urbem cum aliis, qui tunc nequiverunt adeſſe nono Kal. Novemb. prima indictione apud Trecas convenimus.* Hinc Trecenſis hæc ſynodus, tanquam appendix quædam Senonenſis anno proximo celebratæ haberi poteſt, quæ de iterato examine cauſæ Ebonis Archiepiſcopi olim Remenſis

Epiſtola ſynodi ad Nicolaum Papam. *pag.* 870.

JESU CHR. AN. 867.

sis depositi, & restituti, deque dejectione Rothadi Episcopi, & Vvlfadi, sociorumque, eorumdemque restitutione unde tot inter Galliarum Episcopos contentiones cum Nicolao Pontifice exoriæ fuerant hæc in epistolæ exordio narrant. *Seriem rerum gestarum de Ebbonis quondam Remorum Archiepiscopi dejectione, sed & de ipsius restitutione, necnon & de fratris Vvulfadi, ac collegarum ejus promotione, etiam dicti Ebbonis quondam iterata repulsione, ad aliamque Ecclesiam migratione, unde a nobis investigari, & vobis remandari jussistis, quia his nemo nostrum in ordine Episcopali interfuit, nisi frater Rothadus: sicut ex Regum, & Episcoporum monumentis atque relationibus eorum, qui interfuerunt, & scriptis suis posteris reliquerunt, breviter collegimus, vestræ sanctissimæ paternitati & præcellentissimæ auctoritati transmittimus, quæ antea colligere, & auctoritati vestræ dirigere necessarium non putavimus. Atque ideo ampliora scribere sagacitati vestræ supersedimus.* Cumque ob id præcipue Ebbo Remensi Episcopatu dejectus fuisset, eo quod depositioni Ludovici Pii non solum consensum præbuisset, sed ejusdem etiam præcipuus auctor, vel instigator fuerat, utpote qui Lothario Ludovici filio in patrem rebelli impense favebat, ut suo loco adnotavimus: Hinc ab initio rem auspicantes, Ludovici Pii dejectionem ab Imperio, restitutionemque ejus narrant, ac concilia in eam rem anno 835. & 840. commemorant, sicuti Ebbonis in suam sedem reditum favente Lothario, post Ludovici obitum, Romanam Lotharii jussu ab Ebbone peractam legationem ad Sergium Papam, ejusque translationem ad Episcopatum Hildesheinensem, ubi in pace dies suos clauserat: sequuntur hæc Hincmari ordinatio in Remensem Episcopum anno 845. in synodo Bellovacensi peracta, ac tandem de ordinatis ab Ebbone post dejectionem ejus, quot inde quæstiones adversus Rothadum Episcopum, Vulfadum Presbyterum, ceterosque clericos excitatæ fuerint, adnotant, ac scripta hinc inde ad Nicolaum se transmisisse testantur, atque subdunt. *His itaque pro quantitate intelligentiæ nostræ decursis, summissæ devotionis obsequio vestri Apostolatus exoramus magnificam beatitudinem, ut sapientissima indagine consideratis utriusque partis relatis, more beatissimorum præ-*

Tota causa Apostolicæ Sedi reservata.

decef-

Jesu Chr. an. 867.

decessorum vestrorum, quæ de statu sacri pontificalis ordinis ab eis statuta, & imprævaricabili auctoritate firmata sunt & immutata de cætero maneant, mucrone Apostolico quorumcumque Metropolitanorum temeraria præsumptione suppressa, quin etiam reliquorum Episcoporum quorumcumque, seu quantorumcumque audaci conniventia penitus summota, privilegia & decreta servari innovata constitutione decernatis, ita ut nec vestris, nec futuris temporibus, præter consultum Romani Pontificis, de gradu suo quilibet Episcoporum dejiciatur: sicut eorumdem sanctorum antecessorum vestrorum multiplicibus decretis, & numerosis privilegiis stabilitum modis mirificis extat: videlicet ne aliqua varietate, & vilitate summus ordo diaboli administratione nutare, aut irregulariter labefactari sinatur. Pallium deinde pro Vulfado, cui Nicolaus presbyteratus dignitatem restituerat, quemque Bituricensem Episcopum in synodo Svessionensi ordinaverant, petunt, hisque suas subscriptiones Episcopi addiderunt, quorum primus Hincmarus Remensis, deinde Episcopi viginti, ac data dicitur *quarto nonas Novembris indictione prima.*

9. Synodali epistolæ, privatas quoque suas Hincmarus ad Nicolaum Papam misit, quibus gestorum suorum apologiam inseruit; cum etenim non minus Carolum Regem sibi infensum esse sciret, sed etiam Nicolaum Pontificem, qui multa in litteris suis in Gallias scriptis eidem objecerat, sicuti supra adnotavimus; eam ob causam objecta sibi crimina diluere, vel excusare hac altera epistola conatus fuit, ac de objectis sibi in causa Ebonis, & Vulfadi, satisfacere, & ibidem nonnulla de Benedicti Papæ privilegio, deque gestis in synodo Svessionensi, ac de immoderato pallii usu, aliisque criminationibus sibi affictis agit, atque ex his plurima falso sibi adscribi, vel juxta canonum auctoritatem a se præsumpta fuisse, testatus est; ceterum se erga Apostolicam sedem obsequentissimum fuisse, ac in ejusdem obsequio perseveraturum promittit, ut apud Baronium, vel conciliorum editores videri potest.

Hincmari Apologetica epistola ad Nicolaum. *conc. pag. 1918.*

10. Nunc reliqua Nicolai hoc anno gesta videamus, qui cum litteras Theutbergæ Reginæ Lotharii uxoris ab legatis ejus Romam missis accepisset, quibus nunciabat se vita periclitari, si apud Lotharium permansisset, ideoque se regiæ di-

Theutberga a Lothario vexata, Nicolai auxilium implorat.

JESU CHR. AN. 867. *Epist.* 48.

dignitati cedere, ac Romam proficiscendi propositum suscepisse narrabat; Nicolaus autem cum hæc ab Lothario coactam, ut Valdradam in thalamum introduceret, eamdem scripsisse didicisset, ne a viro discederet, locumque suum Valdradæ cederet, admonuit, ac nullum vitæ periculum pro justitia certando pertimescendum esse addidit. *Epistolam suggestionis tuæ præsulatui nostro deferentibus legatis tuis missam suscepimus &c.* deinde post aliqua. *Verum cum ad relationem omnium pene insignium personarum, quæ in Gallicanis, & Germanicis regionibus consistunt, mentis instectimus oculos, multum inter se distare conspicimus, &c. Omnes enim te afflictionem intolerabilem, oppressionem, nimiamque violentiam pati testantur. Tu autem his contraria suggerens, nullo cogente, sponte ac libenter a regia dignitate exui te velle, ac optare fateris, & cetera, quæ illi quidem aliter, tu vero aliter prosecuta esse, dignosceris. Ita ut omnium assertionibus legitime a Lothario rege admissa, inique deinde accusata, post hæc purgata, deinceps denuo repulsa, postremo decreto nostro jure recepta dicaris: tu autem his omnibus contraria nunc effecta, & tuæ ipsius oblita professionis, nescio quæ frivola fatearis, quæ videlicet nolumus exaggerare, quia nolumus supervacue laborare . . . . . Illud vero quod dicis Romam te velle venire, nobisque passiones, & quædam secreta tui pectoris referare, fieri non convenit, quoniam & securitas itineris, quam prætendis, nulla est, & quandiu Valdrada ita Lothario juxta posita est, av illo quoquam te discedere non permittimus &c.* & post plurima in eamdem rem, *Melius quippe tibi est*, inquit, ut veritatem loquentem *alius te occidat, quam tu te ipsam mendacium dicens interimas: Ita igitur intrepida atque constans, & mortem, quam quoquo modo semel experiri debes, præcipue pro veritate sustinere non paueas &c.* Hæc, & alia ibidem Nicolaus Papa, qui torpentes etiam in ea causa Episcopos Regni Lotharii, sequenti die, idest octavo Kal. Februarii, indictionis 15. cum alteræ octavo Kal. datæ fuerint, excitavit, ut pro pastorali sollicitudine Theutbergæ innocentiam tuerentur, ac Lotharium, ut tandem cum uxore sua reconciliaretur, admonerent: ad Carolum quoque Regem Lotharii patruum ea de causa scripsit, eumdemque admonuit, ne nefariis nepotis sui gestis consensum præberet, neve talem tantamque causam,

Nicolai epis. 48. ad Theutbergam.

epist. 50.

fam, incerto Monomachiæ eventui committere permitteret, *Monomachiam vero in legem assumi*, ait, *nusquam præceptum fuisse reperimus, quam licet quosdam iniisse legerimus, sicut sanctum David, & Goliath. sacra prodit historia, nusquam tamen, ut pro lege teneatur, alicubi divina sancit auctoritas, cum hoc & hujusmodi sectantes Deum solummodo tentare videantur &c.* JESU CHR. AN. 867.

11. In primis autem ipsum Lotharium Regem redarguit, quod Theutbergam varie vexasset, compulissetque jurare, non ipsam, sed Valdradam legitimam ipsius uxorem esse, inanem ostendens ejusmodi adinventionem, cum sententia Sedis Apostolicæ definitum esset, eam esse legitimam ipsius uxorem. Abstrahitque eum ab omni spe ducendi pellicem in uxorem, cum nec defuncta uxore, id ipsi licere, leges Ecclesiæ doceant. Valdradam vero excommunicatam esse ipsi denuntiat, sed & eadem sententia ipsum fore plectendum, nisi pareat, seque ab illicito Valdradæ consortio retraheret, comminatur. Nicolai epist. 51. ad Lotharium Regem.

12. Cumque ex Nicolai litteris in Gallias vulgatis, timerent Episcopi, ne tandem ob Lotharii adversus Theutbergam repetitas vexationes, Nicolaus Papa excommunicationis tandem sententiam in Lotharium diceret, ut tantum malum averteret Adventius Metensis Episcopus Hattonem Episcopum litteris suis sollicitavit, ut totis viribus Lotharium ad agendam pro delictis suis pœnitentiam excitaret, ad quem hæc scripsit: *De duabus partibus nobis scire evenit, idest ex Regno Caroli, & ex Regno Ludovici majoris, quia Dominus Nicolaus Apostolicus præfixam, atque immutabilem sententiam in suis scriptis directam habeat in istis partibus super causam domini ac Senioris nostri Hlotharii Regis, ita videlicet, ut si in vigilia Purificationis sanctæ Mariæ Valdradam non dimiserit, a liminaribus Ecclesiæ debeat esse exclusus. Unde nos, quasi mortali angustia vallati, & nimio tædio affecti, vestræ charæ fraternitati hos lacrymosos direximus apices, propter Deum precando, & propter illam fidem, quam illi debetis, ut nullo modo omittatis, nisi statim, & absque ulla mora in suam præsentiam venire studeatis, eique imminens periculum, quasi verus speculator, per omnia exponatis, dicendo, quomodo nullas illi moras prætendit, aut salvationis, aut forte, quod absit,* Adventii Epis. ad Hatton. de sollicitanda Lotharii pœnitentia.

JESU CHR. AN. 867.

damnationis sententia. Nos vero saluberrimum putamus esse consilium, & ex divino adjutorio, modis omnibus accelerandum, ut noster Senior festinato itinere, duos dies ante festivitatem sanctæ Mariæ in Floriking, aut in alio loco, ubicumque voluerit, si amplius non potest, saltem tres Episcopos habeat, quos sua dominatio elegerit, & in illorum præsentia, secrete de retractis in conspectu Episcoporum humiliter veniam petat, & inter lacrymosa suspiria emendationem promittat inposterum, sicque, ut paulopost subdit, *ut mihi videtur, absque omni periculo animæ suæ, & a Deo sibi concessi Regni minoratione ecclesiam S. Arnulphi liber ac securus, in purificatione S. Mariæ eamdem sanctam festivitatem celebraturus introeat. Alioquin se ipsum, & nos omnes, qui illi secundum Deum, & secundum seculum fideles sumus, ad irrecuperabilem perditionem, ut verisimile cernitur, perducet &c.* atque hæc sub alto secreto, & ut ait *sub sigillo confessionis mittuntur &c.*

Lotharius falsis promissis Nicolao ludificatur.

13. At Lotharius in Valdradæ amoribus sordescens, salutari pœnitentiæ remedio spreto, ut comminatam excommunicationem effugeret, ad solitas fraudes alias etiam adhibitas confugit, & officiosissimis præmissis litteris Episcoporum legationem ad Nicolaum destinavit, eaque se non solum ejus jussionibus obsequuturum, sed Romam etiam ad causam suam dicendam, se quamprimum adsuturum promisit, cui etiam auxilium adversus Saracenos si opus fuerit, pollicitus est. Integram pro more suo exhibet Baronius, qua post inscriptionem, & longiorem præfationem ad captandam benevolentiam mellifluis verbis exaratam, hæc addit. *Porro vestræ sanctitatis noverit pia paternitas quod isto tempore ferventissimum desiderium habemus causa orationis Apostolorum Limina visitare, vestramque diu desideratam faciem cernere, & sacra dulciter amplexari vestigia; & jam secundo, ac tertio nostri itineris apparatum sub certa deliberatione repetitum habemus, quod in voto manet, implere desiderantes. Verum si aliqua, quod absit, periculosorum temporum varietas votum nostrum interceperit, Legatos nostros Gutfridum dilectissimum avunculum nostrum, & Vultarium fidelem nostrum, necnon & Theutgaudum venerabilem Archiepiscopum, atque Attonrm Coepiscopum ad vestram præsentiam destinare procurabimus, ut per illos liquido cognoscat vestra*

Jesu Chr. an. 867.

vestra celsitudo, quam fideles nostri, & quam fideliter vestri salubribus consiliis, & spiritualibus monitis parere desideramus, deinde de auxilio adversus Saracenos promisso, paulo post hæc subdit. *Inter ista vero ratum esse duximus inferendum, quod si aliqua incursio paganorum fines beati Petri, vobis cælitus commissos, adire tentaverit, aut forte terminos augustissimi Imperatoris, atque amantissimi germani nostri Ludovici, prout nuperrima, atque infausta relatione comperimus, irrumpere præsumpserit, illud nobis absque nulla dilatione ocyus significari deposcimus, quia quolibet postposito rerum temporalium damno, atque parvipenso periturâ discrimine Regni pro amore, & timore Dei, & beatorum Apostolorum, Sanctorumque omnium reverentia, simulque vestra sanctissima paternitate, quam præ omnibus mortalium diligere, ac venerari decrevimus, nos ac fideles nostros morti, ac periculo tradere parati sumus, scientes esse scriptum: Timere non debemus mortem, quæ sine dubio perducit ad vitam.*

Nicolaus Lotharium Romam venire prohibet.

14. Nicolaus vero Papa, qui Lotharii thecnas apertasque fraudes non semel expertus fuerat, eumdem nisi antea mandatis ejus paruisset, Romam venire prohibuit, de quibus ad Ludovicum Germaniæ Regem, & Lotharii patruum, paulo ante quam moreretur, ideſt tertio Kal. Novembris, cum jam indictio prima in cursu esset, hæc scripsit. *Et adhuc ad nos se properare velle demonstrat, cum id ne sine nostra licentia præsumeret, nos ei sæpe districtius injunxerimus, & prohibuerimus. Verum quamobrem Lotharius Romam proficisci gestiat, miramur, si vestram latere potuit prudentiam. Itaque impleat prius quæ præmisimus totius occasionis, vel sinistræ suspicionis fomitem a se procul abjiciat, immo vero a nostris mentibus amputet, & tunc si ei sit huc veniendum, a nobis est solicite providendum. Si quidem etiam si cuncta, quæ nos ei supra memoravimus injunxisse, penitus adimpleta potuisset ostendere: nec sic ei contra interdictum nostrum iter Romam fuerat properandum: quanto minus nunc, quando toties a nobis admonitus, nihil de eis consummasse conveniretur. Igitur dilectio vestra illum nunc venire Romam prohibeat: alioquin, mihi credite, si contra propositum nostrum forte præsumpserit, minime ea quæ cupit honestate vel hic suscipietur, vel hic profecto regredietur,*

JESU CHR. AN. 867.

tur, &c. Hæc, & alia plura Nicolaus de Lothario, queſtus etiam, quod in ſede Trevirenſi, & Colonienſi, e quibus exciderant Guntharius, & Theutgaudus, nullum alium patiatur ordinari Epiſcopum, ſpem habens illos in eaſdem Eccleſias fore reſtituendos, pro quibus etiam Rex Ludovicus apud Nicolaum fruſtra alias interceſſerat.

Nicolai ep. ad Epiſcopos Regni Ludovici.

15. Ob eamque cauſam ſcripſit etiam ad Epiſcopos in Ludovici Regno conſtitutos, quos nimium ſollicitos pro reſtitutione eorumdem Epiſcoporum redarguit, totamque rerum geſtarum ſeriem pandit, oſtendens eos omnino reſtitutione indignos, indignumque Apoſt. Sedis, ut ſententiam ſemel magna deliberatione prolatam, contra conſuetudinem mutaret. Nam inter alia: *Ceſſet itaque*, inquit, *veſtræ fraternitatis nos ſuper, hac pulſare ſolertia, & quod fieri non poteſt, tandem aliquando deſinat. Nam Sedis Apoſtolicæ ſententia, tanta ſemper conſilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantaque poſtmodum deliberationis gravitate profertur, ut retractatione non egeat, vel immuturi neceſſarium ducat, &c.* ſed quem finem tamdem tragœdia iſta habuerit, dicemus anno ſequenti: modo autem quæ ſunt reliqua Nicolai Papæ geſta hoc ultimo vitæ ſuæ anno proſequimur.

Variæ Nicolai epiſtolæ ejuſque paſtoralis ſollicitudo.

16. Quem non ſolum eccleſiarum omnium ſollicitudinem habuiſſe ejuſdem geſta teſtantur, ſed etiam pro qualibet Chriſti gregis ovicula paſtoralem geſſiſſe curam, aliæ ejuſdem litteræ probant. Hinc interpellatus ab Hellertruda filia Lotharii Imp. & vidua Berengarii Comitis, ut bona patrimonii ſui ab Lothario fratre ſibi ablata reſtituere compelleret, Lothario quidem, utpote in multis criminibus implicato, & obſtinato ſcribere noluit. *Quia*, ut in epiſtola ajebat, *pro nefariis & illicitis negotiis ab illo abolendis, plane vobis auditis, excommunicatum habemus*, pro ejuſdem tamen cauſa Carolum Regem, ejuſque fratrem Ludovicum rogavit, ut pro ea apud Lotharium intercederent, ac ad ablata reſtituenda excitarent.

epiſt. 16. pag. 502.

Pœnitentialis epiſtola Nicolai Papæ.

17. Eamdem pro animarum ſalute ſollicitudinem indicat epiſtola altera Nicolai Papæ ad Rivoladrum Epiſcopum data, qua Vimarum ſive Cumarum quemdam atrociſſimi ſceleris reum, tres quippe filios ſuos peremerat, quique ad Apoſtolicam ſedem confugerat, ut pœnitentiam ſuis crimini-

minibus debitam perciperet, ad eum remittit, hanc ei pœnitentiam impositam fuisse admonens, *ut triennio ante fores Ecclesiæ pro peccatis suis oraturus consistat; & deinde inter auditores permaneat quadriennio; ut septem annorum curricula absque communione Dominici corporis, & sanguinis ducat: ita quidem, ut in omnibus diebus vitæ suæ carnem non manducet: & in isto septennio vinum non sumat, nisi diebus Dominicis, & festivitatum: ab inde quinquiennio tribus diebus per septimanam a vino abstineat, ut duodecim annis quantitas pœnitentiæ extendatur. Liceat itaque illi uxorem propriam non deserere, ne forte incidat in adulterium, & pro occasione unius delicti, præcipitetur fragilitate carnis in pejus. Concessimus enim ei calceatum ad vos pervenire: ac deinde triennio discalceatum ire debere; & vestimentis secundum qualitatem temporis, & aeris temperiem indui, atque lacte perfrui.* Caseum etiam manducare, suasque possessiones retinere ei permittit. Arma vero contra Paganos tantum deferre eidem licere ait; ejusdemque argumenti est altera Nicolai epistola ad Hincmarum, cujus meminit Flodoardus, de pœnitentia Eriartho imposita, qui monachum Presbyterum injuste occiderat, cui pœnitentiam annorum duodecim præfixit. Ex quibus aperte patet tunc varios pœnitentiæ gradus in usu adhuc fuisse: de pœnitentia pro varietate criminum imponenda agit etiam Nicolaus in epistola ad Rodulphum Bituricensem Episcopum, eumdemque admonet, ut modcratius Archiepiscopali auctoritate uteretur, & ne jurisdictionem in diœcesibus sibi subditis, nisi in casibus ab jure canonico definitis exerceret. Infiniti porro essemus, ac vix exitum hic annus haberet, si cuncta ab Nicolao gesta vel scripta, summatim etiam exscriberemus, quæ passim ab decretorum collectoribus, Ivone, & Gratiano relata sunt, vel in conciliorum editionibus inserta, cujus septuaginta primum epistolæ editæ sunt, deinde in appendicibus aliæ numero 27.

Jesu Chr. an. 867.

pag. 504.

pag. 480. seq. & 563.

18. His alia plura tum de ecclesiarum restauratione & ornatu ex Anastasio addenda essent, cum de consultationibus, aut querelis ejus tempore ad Apostolicam sedem delatis, nam ut adnotat Anastasius. *Hujus beatissimi temporibus Præsulis, tot tantæque diversarum provinciarum, cognita luce clarus doctrina præclari dogmatis ejus, ad Sedem Apostoli.*

Alia plurima Nicolai gesta, & consultationes.

Anast. pag. 418.

JESU CHR. AN. 867.

stolicam consultationes directæ sunt, quantas numquam penitus reminiscitur a priscis temporibus pervenisse. Qui præfatus Pontifex sacri verbi pabulo ubertim singulos reficiebat, tradens eis præcepta, juraque mystica, beatificis illos institutis satiabat, docebat, & ad propria benedictos & eruditos remittebat. Tamen quidquid quoquomodo perperam fieri cognoscebat, arguebat, super aliquos Dei tantum respectu corrigere illud malens, gravibus lamentis & orationibus infinitis rogabat, ut Dominus omnipotens per suam clementiam tale quid, tamquom non esset, bonis ac præcipuis immutaret exemplis. Hinc ut ibidem is auctor addit, cum relatione didicisset, ab Sardiniæ incolis, incestas passim, & illicitas nuptias contrahi, missis illuc Paulo Populonienſi Episcopo, & Saxu Abbate monasterii SS. Joannis & Pauli, eosdem ab iis revocare conatus est, quos vero Apostolicæ Sedis monita & jussa spernere cognoverunt, excommunicationis sententia subjecerunt, *Sicut continetur in epistolis, quas iidem legati in Sardiniam deportaverant regesto ipsius Pontificis insertis, & sic Romam post affluentes prædicationes datas, reversi sunt*, ait Anastasius.

Nicolai Papæ obitus.

19. Tandem post plura de ejus studio in exornandis Ecclesiis Principis Apostolorum, vel Doctoris gentium, & Lateranensi seu Constantiniana basilica, aliisque, adnotata, de ejusdem obitu hæc addit. *Postquam sedem Apostolicam victoriosissime ut verus Dei athleta catholice & principaliter rexit, ex hac luce idibus Novembris, indictione prima migravit ad Dominum*, ideſt 13. mensis Novembris hujus anni, indictione prima ab Kal. Septembris notati. *Porro quid dicam*, mox subdit lugens Anastasius, *cum non solum ejus exitum diversæ hominum nationes plena ratione utentes, verum etiam quantum ad intemperantiam aeris, ipsa mundi elementa diu fleverunt, & de morte tanti viri in tristitia permanserunt. Quo defuncto corpus ejus sepultum est ante fores basilicæ beati Petri Apostoli*, cum Romanam sedem per annos novem, menses sex, dies viginti sanctissime tenuisset, cujus laudes non solum Hadrianus secundus in sede successor, sed alii plurimi celebrarunt, ac post S. Gregorium Magnum, ad usque hæc tempora, vix alium ei parem extitisse scribunt, de quo instar omnium hæc verissime adnotavit Regino in chronico. *Post Beatum Gregorium usque in præsens, nullus*

pag. 422. 23.

cultus Præsul in Romana urbe pontificali honore sublimatus Nicolao videtur æquiparandus, Regibus & tyrannis imperavit, eisque, ac si dominus orbis terrarum, auctoritate præfuit. Episcopis, & sacerdotibus religiosis, ac Domini mandata observantibus humilis, blandus, pius, mansuetus apparuit. Irreligiosis & a recto tramite exorbitantibus terribilis, atque austeritate plenus extitit, ut merito credatur alter Elias, Deo suscitante, nostris temporibus surrexisse, & si non corpore, tamen spiritu & virtute. Jesu Chr. an. 867.

Inscriptio posita sepulchro Nicolai Papæ. *num.* 138.

20. Inscriptionem sepulchro Nicolai Papæ positam, ex manuscripto Codice annalibus suis inseruit Baronius, decurtatam tamen, & deturpatam. Emendatiorem quidem, non tamen integram nunc dare possumus, nam cum novi sacrarii PIO SEXTO Pontifice curante, fundamenta jacerentur, anno reparatæ salutis 1776., lapis sepulchro Nicolai primi positus inventus est, tamen truncus, attrituque, ut ejusdem inscriptionis pars maxima desideretur, itaut in nonnullis supplere eam probabilibus conjecturis necesse fuerit, nonnulli etiam versus mutili remanserint, quæ in eam suppleta sunt, virgulis signantur, cetera ex lapide diligenter descripta, ab amico carissimo Philippo Dionysio Vaticanæ Basilicæ Beneficiato, ejusdemque basilicæ, ob bullarium Vaticanum ab eo editum, illustrataque cryptas, benemerito, accepta, hoc loco exscribimus.

. . . . . Eras Eois partibus aulæ
. . . . . Is pollens austroque beatæ
. . . . . Carmen scrutare memento
Conditur hoc antro sacri substantia carnis
Præsulis egregii Nicolai dogmate sancto
Qui fulsit cunctis Mundum replevit & orbem
Intactis nituit membris castoque pudore
Quæ docuit verbis actuque peregit optimo
Sidereæ plenus mansit doctusque Sophiæ
Cælorum claris quem servant regna triumphis
Ut regnet foliis procerum per sæcula vatum

Anastasii bibliothecæ historia in Nicolao desinit; quam Guliel-mus continuavit.

Hactenus inscriptio Nicolai, quam vir egregius virgulatis verbis, cum potuit supplere conatus est.

21. In Nicolao autem Pontifice Anastasii bibliothecarii

JESU CHR. AN. 867.

historia Pontificum desinit, etsi is per aliquot adhuc annos vitam suam prorogaverit, Hinc Hadriani 2., & Stephani quinti vitas continuavit Gulielmus item Bibliothecarius.

Anastasii epist. ad Adonem Vien. Episc. *Conc. tom. 8. pag. 568.*

22. Nicolai Pontificis obitum, & successoris ejus Hadriani secundi electionem Adoni Archiepiscopo Vienn., ac per eum ceteris in Gallia Episcopis nunciavit Anastasius. *Triste tibi nuncium, proh dolor, nimium tristis ac gemens transmitto; Venerabilis quippe recordationis pater, & Papa noster Nicolaus ab hac misera vita idibus novembris ad celestem beatitudinem, ut credimus, ductus, nos miseros ac desolatos reliquit*; & post aliqua, ut ceteris hæc nota fierent jubet. *Hæc ergo cunctis fratribus nunciate*, de electo autem Hadriano hæc etiam subdit. *Habemus autem Præsulem Hadrianum nomine, virum per omnia quantum ad bonos mores pertinet valde strenuum & industrium.* Adonem vero admonet, ac rogat, ne Nicolai gesta irrita reddi permitteret. *Nam si tanti Pontificis acta cassantur*, inquit, *vestra ubi parebunt*. Timebat quippe Bibliothecarius, ne hactenus ab Nicolao gesta in causa Rothadi, Vulfadi, aliorumque, & pro dissolutione incesti conjugii Lotharii Regis cum Valdrada, post ejusdem obitum irrita redderentur, cum tum Reges Francorum, cum Hincmarus Remensis Archiepiscopus, maximæ apud Reges auctoritatis, tenaciorisque ingenii, inviti pene, ac ob excommunicationis metum, iis subscripsissent.

Hadrianus secundus Pontifex ordinatur. *Anast. pag. 424. 25.*

23. Post Nicolai obitum, per mensem unum, a die scilicet idibus Novembris, qua Nicolaus obiit, ad diem 19. Kal. Januarii, seu die 14. Decemb. qua Hadrianus ordinatus est, Rom. Sedes vacavit ut Gulielmus Anastasii continuator narrat. *Itaque Sabbato peractis rite orationibus, vigiliis, & eleemosinis, dominico die secundum morem idem venerabilis Sacerdos ab universitate ad ecclesiam S. Petri Apostolorum Principis ductus nonodecimo Kal. Januarii, indictione prima, anno præfati Augusti decimonono*, ex quo cum Patre regnare cœperat, *per Episcopos Reverentissimos Petrum Govensem, Leonem Silvæcandidæ, deinde tertio loco Donatum Ostiensem, quia Episcopus Albanensis obierat, Formosus vero Portuensis a beatissimo Nicolao ad prædicationem, & instructionem Bulgarorum destinatus extiterat, benedictionem summi Pontificatus accipere meruit &c.* Seu ordinatus fuit, cujus tanta benignitas erat, ut cum incredibilis multitudo ad

Mi-

Jesu Chr. an. 867. Hadriani Papæ benignitas commendatur.

Missæ solemnitatem advenisset, ut ab eo communionem acciperet, inter eos *Etiam Theutgaudus Trevirensis Archiepiscopus, & Zacharias Anagninus Episcopus, qui a Domno Nicolao Sacerdotio denudati, etiam communione caruerant, simulque Anastasius*, diversus a bibliothecario, *qui dudum a Leone, Benedictoque Pontificibus Presbyterio denudatus, inter laicos communicare solitus erat, ecclesiasticam communionem sub congrua satisfactione receperint*; ait idem auctor, ac subdit, Hadrianum post ordinationem suam, Dominicum, & Grimoaldum Episcopos, quos Nicolaus in Bulgariam ire præceperat, quique ob Nicolai infirmitatem & obitum, in urbe remanserant, ad destinatam legationem misisse, eodemque tempore repetitis precibus ab Imperatore Ludovico impetrasse, ut ab urbe, vel suis sedibus exules, atque ex his Velitrensem, & Stephanum Nepesinum Episcopos, & Joannem cognomento Himnomonidem. *Quos provacissima falsitas Serenissimo Augusto incusans, domo, patriaque proscripserat*, ad sua redirent. Se quippe *bonum ecclesiæ Dei pastorem videri non posse*, ajebat, *nisi oves recepisset. Qua religiosa suggestione lætificatus Augustus una cum christianissima conjuge, non solum eos, propter quos summus Pontifex miserat, honorifice ad urbem remisit, verum etiam quoscumque privata simultate tanquam reos Imperatoriæ majestatis, & in ergastulis quilibet truserat, ut reverterentur præcepit absolvi*, ait idem auctor, ab Hadriano gesta post ordinationem suam recensens.

De Hadriani gestis usque ad Pontificatum.

24. Summis Pontificibus Stephano quarto, & Sergio juniori sanguine affinem, ac ex patre Talaro natione Romano, Episcopo etiam regionis tertiæ genitum fuisse narrat is auctor, ac in Subdiaconorum ordine ab Gregorio quarto adscriptum, Presbyterum deinde ordinatum tituli S. Marci, quo in ordine ait *tam inculpabiliter degit, tam viriliter ministravit, ut non tantum sicut sanctus Presbyter, sed sicut futurus Pontifex reverenter ab omnibus coleretur &c.* ita ut jam antea post mortem Leonis quarti, & Benedicti tertii, a Clero, & populo, *subire cogeretur summum Pontificatum, nisi ipse diversis argumentis, & exquisitis excusationibus, verecunde subterfugeret &c.* Ob effusam præcipue in pauperes liberalitatem, & in peregrinos hospitalitatem, cunctis in urbe ordinibus acceptissimum fuisse, ac in ejus manibus,

JESU CHR. AN. 867.

ſicut in deſerto panem ab Jeſu Chriſto, pecuniam multiplicatam fuiſſe addit.

Ludovici legati ad electionem Hadriani, non vocati, ejus ordinationi aſſistunt.

25. Cum omnium conſenſu electus eſſet Hadrianus. *Ab eccleſia B. Mariæ Virginis, quæ appellatur ad præſepe, rapitur, trahitur, & ad Lateranenſe Patriarchium certatim a procerum, ac plebis multitudine deportatur. Quod audientes tum Miſſi Principis moleſte tulere, indignati ſcilicet, quod dum præſentes eſſent, non fuerunt invitati, nec optatæ a ſe futuri Præſulis electioni intereſſe meruerant. Qui acccpta ratione, quod non cauſa contemptus Auguſti, ſed futuri temporis proſpectu omiſſum hoc fuerit, ne videlicet Legatis Principum in electione Romanorum Præſulum expectandi mos per hujuſmodi fomitem inoleſceret, omnem indignationem medullitus ſedaverunt, & ad ſalutandum electum etiam ipſi humiliter acceſſerunt. Cumque Patriarchium Lateranenſe aſcenderent atque deſcenderent, tantis clamoribus univerſæ plebis, ut ſibi diu deſideratus vir ad conſecrandum duceretur, clamantis obſeſſi ſunt, ut nullus eorum loquentis ſecum collegæ ſui verba poſſet audire. Erant enim ſinguli circa conſecrandum Pontificem tanta dilectionis efficacia poſſeſſi, ut tale non vidiſſe, neque viſuros eſſe exiſtimarent. Denique omnes hunc certatim coram eiſdem Legatis rapere, ac anxie nitebantur portare, niſi blanditiis Senatorum, & conviciis aliquantulum ſedarentur. Quorum omnium unanimitatis deſiderium audiens Ludovicus Chriſtianiſſimus Imperator, cognoſcens etiam qualiter in eo decretum ſuis ſubſcriptionibus roboraverunt, valde gaviſus eſt, & ut tantus Dei famulus, cunctiſque gentibus, videlicet tam Romanis, quam diverſis advenis deſideratus, ut Chriſtianæ plebi præficeretur, medullitus exoptavit, & mox Imperialem ſcribens epiſtolam, cunctos Romanos, quod dignum tanto præelegiſſent officio Præſulem, collaudavit &c.*

Lambertus Dux Spoleti urbem ingreſſus prædatur. pag. 429.

Tamen inter tot fauſta, infauſta & triſtia quædam admixta ſunt, uti his verbis narrat Anaſtaſii continuator. *Lampertus Villonis filius dux Spoletinus tempore conſecrationis hujus venerandi Pontificis Romanam urbem præter conſuetudinem ſicut tyrannus intravit, non rebellantem, ſicut victor, ſatellitibus ſuis ad prædandam diſtribuit: majorum domos multis muneribus vendidit, nullis monaſteriis, Eccleſiis nullis pepercit, quinimo nobiliſſimi generis puellas tam intra Urbem, quam extra ſuis ſatellitibus indifferenter diripiendas conceſſit.*

Pro-

Propter quæ apud Auguſtos piiſſimos Romanorum querimoniis prægravatus, Ducatum perdidit, iram Principum & invidiam pene cunctorum Gallorum, tamquam revera Sedis Apoſtolicæ hoſtis adjudicatus, incurrit. Mox Pontifex tanta tyrannide liberatus, Hiſtaldum, Vualterium, Gilpianum, Odonem, & Theutpertum cum cunctis aliis raptoribus & prædonibus, quouſque raptus redderent, ſibique legaliter ſatisfacerent, omni Eccleſiaſtica communione privavit. Sed Theutpertus quæ rapuerat haud difficulter reddere ſtuduit; Hiſtaldus vero vir Deo devotus, belloque fortiſſimus, ad Præſulem ſe percutientem tota humilitate converſus eſt, ejus gratiam, ſecundum omnem Romanorum libitum ſatisfacturus, accipiens; ſpem quoque recuperandæ communionis frequenter accepit, quam nimirum recipere valeret, niſi conjurationem Lampertorum poſtea conſcius cum viris excommunicatis ac rebellibus fugiens, Beneventum petere maluiſſet. Hæc de his Gulielmus ibidem. Jesu Chr. an. 867.

26. Ubi vero Nicolaum Papam obiiſſe in Galliis auditum eſt, eique Hadrianum ſucceſſiſſe, Lotharius Rex mox ad eum ſcribens, de adepto pontificatu gratulatus, de Nicolai in eum nimia ſeveritate conqueſtus eſt, quaſi faciliores aures adverſariis ſuis præbuiſſet, quam ſuæ defenſioni; ac ſe ne Romæ ſe fiſteret, prohibitum fuiſſe. *Nos autem*, inquit, *litteris, & verbis indefinenter proclamantes, & diverſis legationibus eadem repetentes, humiliter poſtulavimus, ut nos, & accuſatores noſtri juxta divinas, & humanas leges, ſui Pontificii audientiam mereremur, ut ratio docet, noſtram præſentiam exhibendo. Sed toties repulſi etiam tandem multipliciter coacti, judicium, ac refugium noſtrum, in illa collocavimus petra, de qua Pſalmiſta confidens ajebat: Montes excelſi cervis, petra refugium herinaciis. Porro illud potiſſimum noſtræ mentis aciem obnubilavit, quod nos ab ipſa ſancta Sede repellimur, quorum progenitores, & atavi illam ſanctam Matrem Eccleſiam, divino auxilio pie ac fideliter patrocinantes protexere. Et quidem ultra quam fari poſſit, congratulamur, quod Bulgaros, & alia paganorum feritas ad Limina ſanctorum Apoſtolorum invitatur, imo quod S. Eccleſia, juxta vaticinium Prophetæ, dilatat locum tentorii ſui, & longos facit funiculos ſuos, ac pelles tabernaculorum ſuorum extendit. Sed non modice contriſtamur, quod tam cre-*

Lotharii Regis epiſtola ad Hadrianum. *pag.* 910.

JESU CHR. AN. 867. *crebro illuc anhelando, audientia prædecessoris vestri potiri non valuimus &c.* Ac cum eo gratulatus de adepto Pontificatu, ei se obsequentissimum fore promittit, admonetque ne litteras ad se destinatas per aliquem dirigeret. *Nisi aut per nostrum legatum, aut certe per vestrum a vestro sancto latere destinatum, vel per nuncium Augustissimi germani nostri Ludovici Imp. &c.* Cum timeret ne Pontificis litteræ aut celarentur, aut corrumperentur &c. Tandem se de ejusdem salute sollicitum esse testatur.

Hadriani Papæ epist. ad Lotharium. *pag.* 911.

27. Hadrianus vero, ut Regi nonnihil gratificaretur; etsi divortii sui cum Theutberga causam ab Nicolao prædecessore suo definitam esse sciret, cum tamen pro dissolutione matrimonii Theutberga Apostolicam sedem adhuc sollicitaret, Lothario rescribens, divina æque, ac humana jura ab eo violata hactenus fuisse non dissimulavit. *Duo igitur*, ajebat, *a te carnis devicto illecebra dudum commissa videntur illicita, quæ ab antecessore nostro piæ memoriæ Nicolao censura fuerant emendata canonica, unum videlicet nefarium Theutbergæ legitimæ uxoris conjugis tuæ divortium, alterum vero sceleratissimum Valdradæ mœchæ concubitum, quod non solum lex omnis divina reprobat, condemnat, & fieri omnino vetat, sed etiam mundana prohibent jura*; ac ut eadem causa in synodo iterum tractaretur jubet; Interea vero usque ad synodi celebrationem, & sententiam, ut Theutbergam in consortium reciperet, & maritali obsequio tractaret, præcipit, vel si ipsa consortium ejus refugeret. *Habeat in potestate sua Abbatias, quas ei dare ore proprio promisisti, de quarum sumptibus, atque redditibus, necessaria possit habere stipendia, dignaque subsidia.* Ac quisquis contra eam quidlibet tentare præsumpserit, *Sciat se a nobis perpetui anathematis vinculo esse proculdubio innodandum, & ab omni christianorum consortio separandum. Te autem si talibus consensum præbueris omnimodis excommunicandum.* Eamdem ob causam ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum Hadrianus litteras dedit, quibus eum excitabat, ut apud Lotharium ageret, ne Apostolicæ sedis jussa contemneret; Hincmarum vero sollicite id præstitisse narrat Frodoardus. *Significans*, Hincmarus Lothario, *se domini Hadriani litteras & mandata super hac suscepisse, & ut idem Rex in hac causa ipsius Regis præcepta conservet, suggerere curet &c.*

Frodoard. lib. 3. 20.

5. In-

28. Interea cum aliquot pœnitentiæ indicia Valdrada dediſſet, ab excommunicatione, qua Nicolai ſententia ligata fuerat, ab Ludovico Imp. rogatus eam Hadrianus Papa abſolvit, graviſſimis tamen verbis admonuit, ne ficta pœnitentia homines fallens, majorem in ſe ipſam Dei iram provocaret, ut in Hadriani epiſtola ad eam data videre eſt: ad Epiſcopos deinde Germaniæ ſcribens, eamdem a ſe abſolutam, & ſalutaribus monitis inſtructam fuiſſe refert. JESU CHR. AN. 867. Hadrianus Valdradam ab excommunicatione absolvit. *epiſt.* 14. *pag.* 913.

29. Hac via Pontificatus ſui initio incedens Hadrianus media ſcilicet, quæ omnium tutiſſima eſt, nihilominus adverſariorum Nicolai Papæ, qui omnia *ejus acta infringere conabantur*, invidiam ſubiit, ita ut teſte Anaſtaſii continuatore *Nicolaitanus & ſcriberetur, & publice diceretur*. Quia vero Lotharii cauſam ab Nicolao definitam, ut in ſynodo iterum retractaretur, juſſerat, ac Valdradam ab excommunicationis vinculo tam facile liberaverat, nimiæ indulgentiæ laxitatiſque nonnulli arguebant, quaſi Nicolai geſta reſcindere tentaret, *Unde accidit*, ſubdit idem auctor, *ut omnes Occidentalium regionum Epiſcopi ſolemnes ac honorificas litteras mittentes, religioſam ejus memoriam, Nicolai ſcilicet, utpote Orthodoxæ & veræ philoſophiæ Pontificis excolendam ſummo Pontifici jugiter inculcarent*. Græcorum vero plurimi, vel Orientalium ſedium legati, vel qui ob Photii cauſam Romæ degebant, cum eum Nicolai quoque geſtis in causa Ignatii CP. Patriarchæ, & Photii adverſari timerent, ab ejuſdem communione ſe ſe ſeparaverunt. *A cujus videlicet ſanctiſſimi Papæ collegio, cum per dies aliquot quidam Græcorum, & aliarum gentium ſervorum Dei per id tempus Romæ commorantium, ſe clanculo ſuſpendiſſent*, ait idem auctor. At Hadrianus Nicolai memoriam laudans, ejuſque geſtis ſe ſubſcribere obteſtans, eoſdem ſibi reconciliavit, ut paulo poſt idem auctor narrat, atque hæc de Hadriano hoc anno ſatis ſint. Hadrianus nimiæ auſteritatis, et laxitatis insimulatur. *pag.* 429.

30. Duplicem in Orientem Legationem ab Nicolao Papa anno proximo miſſam fuiſſe diximus, CPolim ſcilicet ad Michaelem Imp. pro Photii cauſa, & Ignatii, eoſque inde ejectos Romam re infecta rediiſſe. Alteram vero in Bulgariam, quam feliciorem exitum habuiſſe narrat Anaſtaſius. Nam Bulgarorum Rex perhonorificentiſſime legatos Apoſtolicæ ſedis excipiens, ceteros fidei prædicatores, Græcos ſcilicet, Bulgariæ Rex legatos Romam mittit. *pag.* 421.

JESU CHR. AN. 867.

licet, vel Armenos, qui illuc ſua ſponte properaverant, abjecit: *Præfatorum Apoſtolicorum ſolummodo prædicatione uſus miſſorum, paſcuis vitæ æternæ jugiter refici, pia mente duraverit, unumque ex eis Formoſum vita & moribus Epiſcopum ſibi duri Archiepiſcopum expetierit.* Miſſa iterum legatione, qua etiam pro gentis ſuæ inſtructione Presbyteros illuc mitti poſtulavit. *Ipſe vero talibus Papa compertis, valde gaviſus eſt, & infinitas Deo laudes rependens, non paucos numero coram ſe probavit Presbyteros, & quos dignos reperit, prædicationis gratia in Bulgariam direxit, cum quibus Dominicum Trivenſem, & Grimoaldum Polimartienſem Epiſcopos deſtinavit.* Quos tamen Romæ, uſque ad Hadriani ſucceſſoris electionem, ſubſtitiſſe, a quo dimiſſi ſunt, jam ſupra adnotavimus.

Michael Imper. occiditur.

31. Dum vero CPolitanæ eccleſiæ, totiuſque Orientis res ob Photii perfidiam in deterius ruerent, repente in melius mutatæ ſunt, nam cum Michael Imp. Barda Cæſare occiſo, Baſilium in filium adoptaſſet, conſortemque Imperii feciſſet, carnificem quoque ſuum elegit, ut juxta pſalmum *cognoſceretur Dominus judicia faciens.* Totius tragœdiæ ſeriem his verbis narrat Anaſtaſius. *Anaſt. pag. 430.* *Poſtquam Michael Græcorum Imperator Bardam Cæſarem, Photii fautorem, ſuum, ſicut perhibent, interitum machinantem peremit, Baſilium collegam ſibi adoptans Imperatorem conſtituit, cumque novus Imperator Baſilius a Catholicis, tamquam qui ſemper eis favebat, ſummo ſtudio coleretur, Michael a Spadonibus ſuis, dubium an filii voluntate, peremptus eſt. Moxque Baſilius rerum potitus, primo quidem non ſe fuiſſe conſcium necis Michaelis, ut fertur, omnibus ſatisfecit, tum vero ſecundum Romanæ Eccleſiæ conſtitutum pervaſorem Photium pepulit, & Ignatium Patriarcham, populo adnitente, Patriarchio reſtituit, ac ex utraque parte Ignatii videlicet Patriarchæ, Photiique neophyti legatos Romam per ſuum Spatharium Baſilium nomine deſtinavit.* Sed de legatione, geſtiſque Romæ anno ſequenti. Cum itaque Baſilium in Imperii ſocietatem admiſiſſe pœniteret Michael, quem ſuis infandis moribus, ſceleribuſque adverſari cognoviſſet, inſidias in eum, ut vita privaret, ſtruxiſſe narrant auctores Græci Curopalates pag. 156. Leo grammaticus pag. 468. Simeon Logotheta, Zonaras, Cedrenus &c. Eique Baſilicinum quemdam virum ſce-

JESU CHR. AN. 867.

sceleratum, effœminatumque, sibique simílem subrogare cogitaret, quem etiam regiis indutum vestibus, & corona capiti imposita, digniorem Imperio Basilio fuisse dixerat.

Quomodo occisus sit Michael.

31. Quare Basilius, ut periculum capiti suo imminens declinaret; *De inferenda nece Michaeli cum aliis communicato consilio, cum Michael vino in cœna obrutus torperet, manuque ductus in cubiculum Regiæ, quæ est ad divi Mamantis, somno profundissimo oppressus jaceret, egressus primum claustra cubiculi Imperatorii confregit, ne fores a cubiculariis claudi possent, deinde cum conjuratis advenit. Iis autem, qui ante cubiculum excubabant, pauci adeo, percussoribus aditum prohibere conantibus, orto tumultu, Imperator experrectus, quidam cum stricto gladio ingressus manus sustulit, quibus illi ambabus resectis, ad cæteros rediit. At Michael cum ex vino titubans, ebrietate impediente fugere non posset, miserabiliter ejulans jacebat. In quem alius quidam ex Basilianis adhuc vivere conspicatus insiliit, ensemque ita in ejus pectus adegit, ut ventre etiam trajecto, intestina elaberentur.* Hæc Zonaras, ceterique passim. De Michaelis interitu, hæc etiam adnotat Nicetas in vita Ignatii. *Michael ad sancti Mamantis martyris ædem per insidias mactatur, merito dignoque suæ amentiæ, sceleri, & impietati fato perfunctus, cum Imperium una cum matre annos quindecim menses octo, solus novem prope*, seu potius undecim prope, ut adnotat Pagius, *annos administrasset, cumque malum fecisset in conspecta ecclesiæ Dei periit, initio autem indictionis primæ Kalen. Octobris.*

Basilius Imp. Photium relegat, Ignatium in sede CP. revocat.

32. Postera die, qua post Michaelis interitum Basilius Imperator renunciatus fuit, idest die 25. Septembris *Photium e throno deturbatum in cœnobium Scepen appellatum ejicit*, ait Niceta, & post aliqua. *Tunc vero Imperator Basilius, adductum in palatium Magnauro Ignatium, silentio indicto multis laudibus cohonestavit, dies erat Dominica, tertia & vigesima Novembris, quo etiam anni tempore prius in exilium pulsus erat, qui Dei præsidio & clementia fretus novennalem ac perfectam ex virtutis certamine lauream adeptus, ecclesiæ suæ throno restituitur.* In cujus textu librariorum incuria mendum irrepsit, ut adnotat Pagius, & loco novennalem certaminis laudem eum adeptum, legendum per annos undecim, ideſt ab anno 857. ad laben-

pag. not. 15.

JESU CHR. AN. 867.

tem, & *coacta synodo*, ex Episcopis, qui CPoli tunc erant, *Pontificatu abdicavit Photium, qui sibi honorem illum vindicaverat*, ac cum ingenti Senatus, cleri, populique exultatione in ecclesiæ introitu Ignatium receptum fuisse Nicetas narrat, additque, *& ita sacer ille Ignatius cum prospero eventu sedem suam recepisset, & ecclesiæ gubernacula suscepisset, suspendit a sacris non solum Photium, & ab illo ordinatos, verum etiam omnes, qui cum eo communicaverant*, His subdit legationem ab Imperatore Basilio Romam missam fuisse ad Nicolaum Pontificem, quam tamen Hadrianus, qui Nicolao successerat, recepit, ac una cum legatis Imperatoris legati quoque Ignatii, & Photii adfuerunt, de quibus anno sequenti, quo Romam advenerunt.

Photii impostura detegitur.

33. Quanta autem tum adversus Nicolaum Pontificem, cum adversus Ignatium machinatus fuerit Sicophanta Photius, cum ejus chartæ, dum in exilium ejectus est, in lucem prolatæ sunt, aperte patuit, ac falsa eum acta adversus utrumque confixisse, ac per Orientem, & Occidentem vulgasse, de quibus hæc idem Niceta in vita Ignatii, *ut vero omnis iniquitas, quæ contra sanctum illum Ignatium fuerat perpetrata, manifestior fieret, Deus qui comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia pravorum dissipat, in Basilii Imper. animum consilium ingerit, ut mittat ad Photium, & omnia scripta, quæ a Patriarchio discedens acceperat, absque ulla temporis mora ut mitteret, ei præciperet. Ille vero jurejurando affirmabat, licet falso, nihil tale se inde accepisse propter festinationem recedendi. Dum vero hæc a Photio Præposito Bahanæ dicerentur, ipsius Photii famuli magna cum festinatione septem saccos scripturarum plenos plumbeo sigillo signatos ad Calamonem illi propinquum locum transtulerunt, occultandi causa. Quod cum famuli præpositi vidissent, & ab eorum manibus illos abstulissent, ad Imperatorem attulerunt. Quibus apertis, inveniunt duos libros auro & argento deforis bracteatos, & serico tectos, intus vero litteris valde pulchris & ornatis descriptos. Quorum alter continebat septem Actiones synodicas, quæ numquam extiterunt, nec actæ sunt, adversus Ignatium, sed tantum diabolico consilio frustra sunt machinatæ. Et singularum actionum hujusmodi initio hæc quæ sequuntur depicta habebantur, opera videlicet Syracusani illius Gregorii cognomento Asbe-*

Asbeſtæ; *erat enim bonus ille vir pingendi peritus*, *puto pro additamento ſuorum malorum*. *Et depictus ibi erat Ignatius*. *O rabiem intolerabilem*! *o inſaniam omnem exceſſum ſuperantem*! *In prima quidem Actione Ignatium depinxit*, *qui trahebatur & vapulabat*. *Supra vero illius caput ita ſcripſit*: DIABOLUS. *Non horruiſti blaſphemiæ exceſſum*? *Sed ne miremini*. *Si enim patrem familiæ Beelzebub vocavit*, *quid facere debebat familiaris ejus*? *In ſecunda iterum Actione Ignatium depinxerat ſputis conſpurcatum*, *magna vi tractum cujus inſcriptio talis erat*: PRINCIPIUM PECCATI. *In tertia vero Actione eumdem Ignatium exauctoratum pinxerat*, *& ejus inſcriptio hæc erat*: FILIUS INIQUITATIS. *In quarta itidem Actione eumdem Ignatium anathemate*, *atque exilio damnatum poſuit*, *& inſcriptio erat*: SIMON MAGUS. *In principio deinde quintæ Actionis*, *vinculis Ignatium circumdatum pinxerat*, *& vinctum*, *cujus erat inſcriptio*: EXTOLLENS SE SUPER OMNE QUOD DICITUR DEUS. *In ſexta vero Actione depinxit Ignatium damnationi traditum*, *& ejus inſcriptio*: ABOMINATIO DESOLATIONIS. *In ſeptima tandem & extrema Actione depinxit Ignatium protractum*, *ut illi caput amputaretur*, *& ejus inſcriptio talis*: ANTICHRISTUS. *Hæc quidem ego*, *ingenue fateor*, *ore proferre vereor*, *& in memoriam revocare*, *& hac de cauſa ſilentio omnino præteriiſſem*, *niſi viderem eos*, *qui talia patrarunt*, *& eorum domeſticos non ſolum ea non occultare*, *ſed potius illis gloriari*, *quinimmo ſanctitatis nomen Photio tribuere*. *Verax eſt ille qui dixit*: *Impius quando venerit in profundum malorum contemnit*. Hucuſque Nicetas.

JESU CHR. AN. 867.

34. Alter vero Codex continebat ſynodica acta adverſus Nicolaum Papam de quo hæc idem Nicetas: *Omnem videlicet calumniam*, *& abſurdam blaſphemiam ad condemnationem ſancti illius*, *& anathematiſmum impie & prave conflatum*, *dignum potius ipſo & operibus ejus a dæmone ſuggeſtis*. *Hæc autem omnia audax ille Syracuſanus Gregorius adamuſſim cum deſcripſiſſet*, *Zachariæ*, *& Theodoro prædictis præbuit Photius*, *multis cum encomiis & magnificis muneribus ad Regem Franciæ*, *ut Papam Nicolaum tamquam throno depoſitum ejiceret*. *Alios vero duos apud ſe detinuit*. *Hos igitur quatuor libros cum accepiſſet Imperator*, *& Senatui atque Eccleſiæ cum manifeſtaſſet*, *ita Photii totam*

Quæ Photius adverſus Nicolaum Papam ſcripſerit.

JESU CHR. AN. 867. *totam machinam & peſſimam conſcientiam univerſæ Reipublicæ manifeſtam reddidit. Omnes homines cum hoc viderent, ſtupore perterriti ſunt, non ſolum pro ſophiſtæ illius Photii prava mente & garrulitate, verum etiam pro exceſſu longanimitatis & patientiæ Dei. Sed hos quidem libros deinde cum attuliſſent in Synodum, & in conſpectu etiam ipſius artificis Photii exprobraſſent, tandem igni tradiderunt.* Sed hæc poſtea, tempore octavæ Oecumenicæ Synodi, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Baſilius Imperator quis eſſet.

35. Extincto itaque Michaele, Baſilius ab eo in Imperii ſocietatem vocatus ſolus imperare cœpit, qui etſi ignobili genere ortus eſſet, eum tamen ex antiqua Arſacidarum ſtirpe deſcendere adulatores ſcripſerunt, cui Michael Imperator concubinam ſuam Eudoxiam uxorem dederat, eoque jubente Photius ſolemni ritu Imperiali corona decoravit. Baſilius interea eccleſiam die ſolemni ingreſſus, *ut intruentæ victimæ particeps eſſet*, a Photio tamquam homicidam ab eccleſiæ ingreſſu prohibitum fuiſſe, eaque de cauſa in exilium a Baſilio damnatum tradunt Zonaras, Leo Grammaticus, aliique; hæc tamen ut Photio gratificarentur, eoſdem ſcripſiſſe Baronius, & Pagius adnotant: aliam tamen omnino cauſam fuiſſe, cur Photius CPolitano throno dejiceretur, tum hactenus dicta, cum dicenda inferius aperte probant.

Leo gramm. pag. 471.

Baſilius legationem Romam mittit.

36. Imperii ſui initio legationem ad Nicolaum Pontificem miſiſſe, & ab Hadriano receptam diximus, cujus his verbis meminit Anaſtaſius in præfatione ad octavam ſynodum. *Mittitur Romam a parte quidem Ignatii Metropolita Silei, qui & Perges Pamphiliæ præerat eccleſiæ, a parte vero Photii Petrus Metropolita Sardenſis, qui contra Ignatium cum jam memorato Gregorio* (Syracuſano ſcilicet) *auctor fuerat eccleſiaſticæ ſeſſionis: porro a Principe*, Baſilio, *deſtinatur regius Spatharius Baſilius nomine, qui inter utramque partem coram ſede Apoſtolica medius haberetur & fidelis eorum, quæ ſedes eadem decreviſſet, auditor & nuncius.* Ex legatis Photii Petrus in via obiit, ut ibidem Anaſtaſius teſtatur, cum etenim de Ignatii dejectione, ac Photii in CP. ſedem inauguratione Orientales Epiſcopi diſſiderent, totam cauſam Romanæ ſedi iterum definiendam Baſilius Imp. commiſit, unde Anaſtaſii continuator in Hadriano hæc etiam adnotat, poſt-

postquam narravit Photio in exilium ejecto Ignatium a Basilio restitutum fuisse. *Ex utraque parte*, ait, *Ignatii videlicet Patriarchæ, Photiique neophyti legatos Romam per suum Spatharium Basilium nomine destinavit, qui præsente Summo Antistite alternatim consligerent & justitia suffragante, aut justificarent Photium, aut perpetuo condemnarent, sed divino judicio disertissimam partem Photii pelagus absorbuit, & simplicissimam partem Ignatii cum legato Imperiali, salvam servavit, nullusque ex Neophiti parte*, ideſt Photii, *nisi monachulus Methodius nomine solus evasit, qui postmodum neque Photium, pro cujus parte venerat, neque Ignatium contra quem, sed neque universalis ecclesiæ, ad quam venerat jura suscipiens, tertio conventus, tertio perfidiæ denotatus, semel anathematizatus abscessit.* Jesu Chr. an. 867 *Anast. pag* 430.

37. Legatis autem Romam missis litteras suas ad Nicolaum iuscriptas die undecima Decembris Basilius Imp. dedit, cui jam alteras scripserat, statim ac Imperium adeptus fuerat, quas cum dubitaret, an accepissет, has alteras addidit, actione tertia octavi concilii insertas, quarum hæc est præfatio. *Qualiter se habet nostræ mentis voluntas super ecclesiasticis negotiis nostris, o divinum & sacrum, atque instar Aaron, reverendum caput, in priori epistola innotuimus. Nescientes autem si sanctis vestris, & secundum Deo gratissimis sit posita palmis (multæ namque in longinquo itinere impedientes accidunt causæ) necessarium conspeximus, primum quæ in eadem continebantur epistola, in brevi commemorare, & nunc, quæ defuerunt, supplere. Habebat itaque, in quibus malis Ecclesiam nostram, quando Imperii divinis orationibus vestris gubernacula suscepimus, invenerimus male jacentem, insanabiliter languentem, legitimo Rectore denudatam, tyrannide detentam alieni pastoris servituti subjectam, omnia instar ancillæ patientem, magis quam more Reginæ quidquam gerentem. Hæc sunt quæ illa significabat epistola. Et quædam a nobis agenda fore, visa sunt; quædam vero paternæ sanctitati vestræ penitus relinquenda. Verum nobis nihil amplius debere fieri visum est, nisi ut Photius quidem a sede removeretur, & secum quiescere hortaremur; quippe qui multa contra veritatem, & contra sacrorum Pontificum verticem commovit: in tantum enim rabies illius profecit. At vero Ignatius sanctissimus & spiritualis pater* Basilii Imp. litteræ ad Nicolaum Papam. *Concil. to.* 8. *pag.*

JESU CHR. AN. 867.

pater noſter, qui clare injurias & tyrannidem pertulit, ſecundum judicium & juſtificationem, quæ in diverſis epiſtolis veſtris inventa eſt (quamquam per eaſdem litteras vix nunc omnibus manifeſtum conſtituimus ; ſic enim ipſæ litteræ obtutæ, ut nullatenus quibuſdam oſtenſæ fuerint ab his qui ante nos principatum tenuerunt) per æquam & juſtam veritatem ad proprium thronum revocaretur, ac addit ſe promptum eſſe ; ejuſdem ſententiæ, & judicio ſubſcribere, atque ex utraque parte legatos ob eam cauſam miſſos fuiſſe memorat, ac quid cum iis agendum, qui ab Photio ordinati fuerant, vel cum eo communicaverant, ut ſibi Apoſtolica ſedes ſignificaret, precatur. *Cum hit*, ideſt cum legatis Romam ad dicendam cauſam miſſis, *mittat nobis reverendiſſimos apocryſarios, ut certificetur expreſſus, & purius ſanctiſſima eccleſia noſtra, cujus voluntatis ſanctitas tua ſuper utrisque conſiſtat*. Hæc, & alia ibidem Baſilius, qui cum litteras ineunte decembri ſcripſerit, nonniſi anno ſequenti eas Hadrianus Nicolai ſucceſſor accepit, quare reliqua in eam cauſam ab Hadriano geſta anno ſequenti reſervamus.

Baſilii Imperii initia feliciora evadunt.

38. Nec res tantum eccleſiaſticæ Baſilio imperante in melius mutatæ, ſed Imperii etiam feliciorem exitum ſortitæ ſunt, nam *qua die Imperii ſummam* adeptus eſt Baſilius, ait Porphirogeneta, *multorum trophæorum nuncii in auguſtam hanc urbem advenerunt, multiſque chriſtianis aſſertam ex captivitate libertatem ad eam perlatum eſt* ; ſicque cum ingenti pompa Imperatorem, munera, & ingentem pecuniæ ſummam, non ex publico ærario, quod exhauſtum reliquerat Michael, ſed ex privato, ſpargentem, ad Sophiæ Templum perductum fuiſſe iidem narrant hiſtorici, Leo Grammaticus, atque Porphyrogeneta, deinde reparandis Imperii viribus, & juſtitia adminiſtranda, totis viribus incubuiſſe addit is auctor, multaque de eo laude digna commemorat, quæ longum eſſet exponere. Leo autem Grammaticus vindictam a Deo in parricidas Michaelis temporis tractu immiſſam, & ſingulorum conjuratorum infelicem ex hac vita exitum prodit, ut ibidem videre eſt. Eodemque tempore, ut ceteris Imperii adipiſcendi, novarumque rerum ſpem eriperet *Baſilius, Conſtantinum, & Leonem filios natu majores ad Imperii dignitatem promovet*, quibus deinde etiam filiorum tertium Alexandrum addidit ; Stephanum vero natu minimum,

nimum, *haud secus ac Abrahamus Isaacum Deo offert, denique ecclesiæ adlegit, ac consecrat. Filias totidem numero, quot erant masculi, in sacro illustrissimæ martyris Euphemiæ monasterio devovet, ac velut munus acceptum, hostiamque Deo dicat.* Quæ quidem etsi subsecutis temporibus acta sint, uno tamen loco adnotavit Porphyrogeneta. JESU CHR. AN. 867. pag. 164.

39. Occidentis quoque res non aliter ac Orientales, utpote a Michaele neglectas, afflictas fuisse, idem auctor adnotat. *Totaque fere Italia, potissimaque Siciliæ parte Carthaginensium* (Saracenorum nempe,) *armis debellata, atque barbaris vectigalis facta. Ad hæc etiam qui in Pannonia, & Dalmatia, ac qui ultra hos Scbytæ, Crobati, aliique excusso Romani Imperii jugo, cui pridem suberant sui juris, atque liberi facti, suis dumtaxat Regulis, & magistratibus parebant. Plerique vero majoris defectionis specimine etiam baptismum ejuraverant, ut nullum erga Romanos amicitiæ, ac subjectionis pignus retinerent.* Cum itaque, ut prosequitur auctor, in Occidente res ita turbatæ essent, arrepta occasione, Agareni Carthaginenses, seu Saraceni, ingenti classe instructa, Dalmatiam undique excurrentes vastarunt, pluraque oppida, urbesque occuparunt. Ragusim obsidentes, ad Michaelem legatos suos, auxilium imploraturi Ragusini miserunt. *Nondum legati in urbem venerunt, sed itinere adhuc sustinebant, cum ignavus maluscque Imperator* (Michael) *in humanis esse desiit, rerumque summa ad vigilem, sobriumque curatorem Basilium per ejus excessum transivit.* Basilius vero his exceptis, in eorum auxilium, Nicetum virum industrium cum classe continuo destinavit, cujus adventu perterriti Saraceni ab Ragusis obsidione recesserunt, & ad Italiæ littora redeuntes, ad Barii expugnationem transierunt, ut ibidem is auctor narrat. Dalmatæ ab Imperio Orientali deficientes a Saracenis vastantur. pag. 178. Ragusis ab obsidione liberatur.

40. Cumque Chrobati, seu Croatæ, aliæque finitimæ gentes Basilii opera Dalmatas a Saracenorum infestationibus liberos vidissent, legatos suos ad Basilium miserunt, ac se non solum ejusdem potestati dederunt, sed etiam ad christianam fidem, a qua recesserant, redituros promiserunt quos Basilius benigne excepit, ac ut bono animo essent, jussit. *Ac statim cum illis Sacerdotes, suoque nomine delegatum hominem misit, ut ante alia, ab ipso animarum periculo eos eriperet, ac pristinæ fidei restitueret, atque ex delictis,* Croatæ aliæque gentes in Imperio, & ecclesiæ sinum redeunt. pag. 108.

JESU CHR. AN. 867.

lictis, quæ vel igorantia, vel dementia, aut temeritate contraxerant, liberaret. Peracto autem religioso istiusmodi opere, cunctisque divino baptismate impartitis, atque Romanorum fascibus inclinatis, atque parte redintegratus est Imperatoris Principatus, cunctisque humanissima ejus jussione, ex suis, ejusdemque gentis hominibus, magistratus, rectoresque qui illis imperio præessent, accipientibus &c. inquit Porphyrogeneta, de gestis ab Basilio Imperatore sub initio Imperii sui, hoc & sequenti anno.

Nortmanni Northumbriam sibi subjiciunt.

41. Nortmanni interea longo tempore excursionibus assueti, & Gallicanis provinciis, ut supra diximus, sæpissime infensi, Brittaniam anno proximo ingressi Nortumbrorum provinciam sibi subjecerunt, ut Huntindonienſis pag. 415. his verbis narrat. *Anno 867. prædictus Paganorum exercitus de Orientalibus Anglis ad Eboracum civitatem migravit, omnia vastando, usque Tinemutham. Eo tempore orta seditione inter Northimbros Regem suum Osbrichium nomine, regno expulerunt, & tyrannum quemdam Ellam nomine, non de Reguli prosapia genitum, in Regni apicem levaverunt, sed advenientibus Paganis, pro communi utilitate aliquatenus sedata discordia, Osbrichius, & Ella viribus adunatis, & exercitu congregato Eboracum adeunt. Quibus advenientibus mox Pagani in urbem refugiunt, & intra mœnia se defendere procurant. Quorum fugam & pavorem Christiani cernentes, etiam intra urbis mœnia eos persequi, & murum frangere cœperunt, cumque jam fracto muro, multi Christianorum in civitatem introissent, Pagani dolore, & necessitate compulsi super eos atrociter irrumpunt, cædunt, fugant, prosternunt, intus & extra: illic maxima ex parte omnes Northymbrenſium cesi, occisis duobus Regibus* (qui tributarii erant Ethelredi Regis Saxonum Occidentalium totius Angliæ Monarchæ,) *occubuerunt, reliqui vero, qui evaserunt, pacem cum Danis fecerunt. Quibus prædicti Pagani sub suo dominio Regem Eghertum prefecerunt, regnavitque super Northymbros ultra sex annis. Hæc gesta sunt Eboraci II. Kalen. April. feria VI. ante Dominicam Palmarum sed loco II. Kal. legendum* 12. *Kal.* ait Pagius nota 27. ad hunc annum, quo etiam anno, seu labenti, aliæ Nortmannorum turmæ in Gallias irruentes, strages quoque ibidem egerunt. Inter cetera auctor chronici Mosciacenſis apud Lab-

Labb. to. 1. Biblioth.

Labbæum. *Biturix eodem anno a Paganis vaſtatur, & incenditur*, a Normannis ſcilicet, ſeu Danis, ejuſdemque vaſtationis memoria fit ab auctore translationis S. Genulphi Epiſcopi, ait idem Pagius.

JESU CHRISTI annus 868. Hadriani 2. Papæ 2. Ludovici Imp. 14. Michaelis Imp. 2.

JESU CHR. AN. 868. *Mabil. sec. 4. parte 2. pag. 226.*

1. Ab Baſilio Imperatore legatos Romam poſt inaugurationem ſuam miſſos fuiſſe, ut & de ſuſcepta ab eo Imperii adminiſtratione, deque reſtituto in ſedem ſuam Ignatio, & Photio in exilium ejecto, Romanum Pontificem certiorem redderet, ac confirmationem geſtorum in cauſa Photii, & Ignatii obtineret, anno proximo diximus, cumque Baſilii, & Ignatii legati Hadriano, qui nuper in Nicolai locum ordinatus fuerat, litteras tradidiſſent, is convocata Romæ ſynodo, ab Baſilio geſta confirmavit, conciliabulum Photii contra Nicolaum habitum, ceteraque ſub Michaele Imp. ab eo geſta irrita declaravit, ac flammis tradi juſſit; iis vero, qui his conſenſum præbuerant, ſive ſubſcripſerant, *Si decreta deceſſoris mei ſecuti fuerint, & ad reverendi Patriarchæ Ignatii communionem repedaverint, atque idem conciliabulum anathematizaverint, atque monumenta illius vel exemplaria inventa cremaverint, eccleſiæ communione fruantur, alias ne hac digni reperiantur &c.* Baſilii vero nomen iis actis falſo inſcriptum fuiſſe, ex relatione Ignatii didiciſſe addit Hadrianus, quamobrem ſubdit. *Non ſolum ab omni ſiniſtra ſententia extraneum reddimus, verumetiam inter catholicorum, & piorum Auguſtorum numerum, & nunc reponimus, & ſi ſic perſeveraverit in finem recipiendum ſtatuimus &c.* De ſynodo vero Romana ab Hadriano Papa habita, non ſemel in ſynodo CPolitana anno proximo celebrata, mentio fit, ubi etiam acta cum Epiſcoporum ſubſcriptionibus integra fere inſerta ſunt. Inter cetera hæc adnotant. *Idcirco non patimur taceri ſententiam a beatiſſimo Papa Romano Nicolao ab indictione undecima contra eum* (Photium ſcilicet) *prolatam, & nunc iterum pronunciatam per ſucceſſorem ejus Hadrianum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Præſulem &c.* Romanæ ſynodo poſt Hadrianum ſubſcripſit Joannes Pergæ Pamphyliæ Archiepi-

Hadrianus Papa CPoli geſta in Rom. ſynodo confirmat.

concil. tom. 8. p. 1094.

pag. 1097.

JESU CHR. AN. 868.

ſcopus legatus, & Apocryſarius Ignatii CP. Patriarchæ, ac deinde Epiſcopi Provinciæ Romanæ, Latii, & Umbriæ numero triginta, poſt eos Presbyteri, & Diaconi Romanæ eccleſiæ, ut ibidem videre eſt.

Scripta Photii Rom. synodo oblata. pag. 430.

2. De Romana ſynodo, ibique geſtis hæc Anaſtaſii continuator in Hadriani vita litteris prodit. *At vero Baſilius legatus Imperatoris, & Joannes Metropolita Cæſaræ Cappadociæ, qui Nicolao fuerant deſtinati, huic ſanctiſſimo Hadriano Papæ cum Epiſcopis, & proceribus in Secretario ſanctæ Mariæ Majoris juxta morem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ reſidenti ſe ſatis humiliter præſentarunt, dona & epiſtolas obtulerunt, Quibus ſuſceptis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cujus conamine Conſtantinopolitana Eccleſia de ſchiſmate purgata ſurrexerat, multiplices gratias retulere &c.* ſcripta deinde *verſipellis Photii*, ut dixerunt legati, Hadriano obtulere, quibus lectis, examinatiſque anathemate, & igne digna judicata ſunt. *Nam egreſſus Metropolita librum exhibuit, & in terram præcipitavit, imprecatoria illi dicens; Tu maledictus Conſtantinopoli ſis, Romæ iterum maledictus. Te miniſter diaboli Photius, novus Simon, mendacii compilator aptavit. Te Miniſter Chriſti Nicolaus, novus Petrus, veritatis amator attrivit. Et Spatharius calce ſuo, enſeque librum percutiens, nihilominus ait: Credo, quod in hoc opuſculo diabolus habitet, quia per os complicis ſui Photii ea, quæ per ſe dicere nequit, eructat. Nam & ſubſcriptionem Baſilii noſtri Imperatoris poſt ſubſcriptionem Michaelis, quem ebrioſiſſimum ſcribere noluit ſuaſit, falſiſſime continet, quam ejus non eſſe reſtitutio Ignatii declaravit, & ſatisfactio noſtra (ſi vobis placuerit) jure jurando firmabit.* Atque his alia in ejuſdem rei deteſtationem addita ſunt, quæ ibidem, vel apud Baronium videri poſſunt.

Hadriani Papæ ſententia contra Photium, ejusque ſcripta.

3. Cum oblatum Codicem utriuſque linguæ peritis perſcrutandum dediſſet Hadrianus Papa, iique diligenter examinaſſent, apud S. Petrum concilium S. Pontifex convocavit, ait idem auctor. *Et primum quidem per legatos Conſtantinopoleos rei veritate luculenter audita, deceſſoris ſui hujuſmodi litteras relegens, ſiniſtram ipſius fumam purgavit. Deinde Photium cum ſuo conciliabulo, complicibuſque ſuis tertio anathemate percutit. Ad extremum vero cæterorum ſubſcriptionibus ſententiis roboratis, pro foribus graduum nefandi dogmatis librum, cunctorum pedibus conculcatum exuſſit.*

Quem

Quem nimirum rogus, ut fomentum quoddam ignis cepit, & pene antequam ſemiuſtum credi potuiſſet, cum magno fœtore, piceoque odore conſumpſit. Et cum forte focus inundatione pluviæ naturaliter debuiſſet extingui, ad pluviam quaſi ad olei guttas flamma convaluit, & in laudes Dei, ſanctiſſimique Papæ Nicolai, ſimulque Hadriani ſummi Pontificis miraculi ſtupor tam Latinorum, quam Græcorum corda reſolvit. Addit idem Anaſtaſius in præfatione hiſtorica ad octavam Synodum, in hac etiam Synodo juſſum eſſe, ut quod factum fuerat Romæ de inflammatione ſcriptorum Photii, pariter CPoli fieret, ſi quæ ibidem exemplaria reperiri poſſent. Quomodo autem retenti tota hyeme legati a Baſilio Imp. & Ignatio Romam miſſi, ſequenti anno una cum Apoſtolicæ ſedis legatis CPolim dimmiſſi ſint, ſuo loco dicturi ſumus. Jesu Chr. an. 868.

4. Interea Theognoſtum olim Italiæ Exarchum, qui extorris, neſcio qua de cauſa factus, *Per ſeptennium apud Principum Apoſtolorum limina, ut peregrinus & incola vixit.* CPolim redeuntem Imperatori commendavit Hadrianus in epiſtola ad eum data, eaque Imperatorem, eo quod Ignatium CPolitanæ ſedi reſtituerit, laudat, ac ſe ab Nicolao prædeceſſore ſuo de eodem Ignatio ſtatuta, confirmaturum promittit. Hadriani porro litteræ ad Baſilium ſeſſione ſeptima concilii octavi inſertæ ſunt. His alias idem Pontifex addidit ad eumdem Imperatorem Baſilium, cum jam legatos ad Nicolaum miſſos accepiſſet, ac iterum pro Ignatii reſtitutione Imperatori gratias agit. Clericorum cauſas, qui Photio adhæſerant, in concilio CPolitano ſuo juſſu celebrando pertractari jubet, in quo etiam conciliabuli Photiani acta comburi, & Romanæ ſynodi capitula a ſingulis ſubſcribi præcepit, eique ſuos, & Ignatii legatos commendat. Cujus epiſtolæ hoc eſt initium. *Legationis excellentiæ tuæ præſtantiſſimos gerulos ad anteceſſorem meum Apoſtolicæ recordationis Papam Nicolaum deſtinatos, nos licet indigni, quoniam ita dominus imperavit, vices ejus adepti, ſuſcepimus &c.* Integra conciliorum acta Baronius exhibet. Hadriani Papæ epiſtola ad Baſilium Imp. pag. 1084. pag. 980.

5. Alteram eodem tempore ad Ignatium ſuæ ſedi reſtitutum epiſtolam dedit Hadrianus Papa, qua ſe mirari ait, cur de recuperata CPolitana ſede certiorem ſe non feciſſet. *Convenerat*, ait, *ſanctitatem tuam, licet nos ad tui adjutorium primum minime provocaverit, ſaltem nunc ſuper reſtitutio-* Hadriani epis. ad Ignatium CP. Patriarcham. pag. 1084.

JESU CHR. AN. 868.

tutione tua, quæ facta dicitur lætificare nos, anhelantem proprias nobis litteras destinare &c. Se nihilominus, quæ de eo ab Nicolao statuta fuerant, observaturum fore promittit, unde inter multa. *Igitur scito*, ait, *quia in iis, quæ decessor meus sanctæ memoriæ Papa Nicolaus pro persona tua, & iis, qui tecum in tribulationibus non defecerunt, & insuper, & pro ecclesia CPolitana plurimum laborans statuit, & definivit, & nos similiter manemus, & permanebimus, & sicut ipse ad horam mortis suæ usque, tam pro te, quam pro his, qui tecum sunt in præfata ecclesia, ne quidquam cessavit procurans, ita & nos auctore Deo usque ad finem in opere pietatis hujus nulli torpori dabimus operam, debemus enim sequi laborem, cui gratia Dei successimus in honore &c.* Eique Euthymium Spatharium Basilii Imp. legatum commendat, & Theognostum sibi familiarissimum, ita ut, *Si ad Apostolicam sedem*, addit, *quosdam mittere disposueris, hunc specialiter volumus præ ceteris mitti &c.* ac data dicitur *Kal. Augusti indictione prima*, idest hoc anno.

Ignatii epistola ad Nicolaum missa, & ab Hadriano accepta. *pag.* 1010.

6. Antequam Hadriani litteras accepisset Ignatius, ne officio suo, in CPolitanam sedem Basilii jussu redux, deesset, ad Nicolaum Pontificem litteras dederat, quas, eo defuncto, Hadrianus accepit, iisque gratias agit Pontifici, quod Photium, cujus scelera narrat, damnaverit, seque suæ sedi restituendum decreverit, quod tunc Basilii Imp. jussu factum fuisse addit, ac quænam cum iis agendi ratio tenenda esset, qui ab Photio promoti fuerant, aut cum eo communicaverant, gratiisque ejus consensum præbuerant, Pontificem consulit, præcipue vero commendat Archiepiscopum Cæsareæ, qui resipiscens a Photii errore, a quo ordinatus fuerat, multa pro veritate sustinuerat, ac demum ut his de rebus legatos suos CPolim mittere dignaretur, rogat, ac multa de Romanæ ecclesiæ dignitate inferens, Photii gestis breviter narratis, quid ab eo postularet, his verbis exponit. *Primum igitur de hujuscemodi imploramus dari dispositionem*, de iis scilicet, qui cum Photio ab initio ad finem conjuncti in perversis gestis fuerant. *Deinde de his, qui ab illo manus impositionem susceperunt, & secundum ea etiam ipsi similiter per omnia frustra nequiter egerunt: insuper de Presbyteris, qui ex nostra consecratione existentes semel ei communicaverunt, vel fortassis his & ter ex arcta*

arcta angustia, non tamen subscripserunt injustitiæ chyrographo, & rursus recesserunt, & usque in præsens voluntarie vacant, adhuc etiam de iis, qui cum communione etiam subscriptionem gesserunt, mox autem ostium complexi sunt, & super hos etiam de iis, qui manus quidem impositionem a Photio, & voluntarie, & non voluntarie susceperunt, reveriti tamen, Sacerdotio nullo modo functi sunt. His de Paulo Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopo nonnulla addit, ac tandem. *Hæc igitur*, ait, *sunt capitula, pro quibus exposcimus solutionem & ordinationem in scriptis mitti humilitati nostræ. Insuper autem & Vicarios vestræ beatitudinis Episcopos dignos, & rationabiles, ut cum eis bene & convenienter disponemus ecclesiam &c.* Hæc, & alia ibidem.

Jesu Chr. an. 868.

7. His acceptis Hadrianus Papa Ignatio respondens, narrat primo prædecessoris sui Nicolai sollicitudinem pro ejusdem restitutione adhibitam, eamdemque se habere addit, quod sedem recuperaverit, gratulatur, eaque de causa Imperatorem laudat. Eos, qui a Photio ordinati fuerant, deponendos esse jubet, qui vero ab Ignatio ordinati, Photio communicaverant, si libellum, quem legati deferebant, subscripserint, recipiendos esse decernit, et ut Romanæ synodi capitula in concilio subscribantur, jubet, ac Joannem Metropolitam commendat, ut ibidem videre est; cetera autem in hac causa gesta, anno sequenti adnotaturi sumus.

Hadriani epis. ad Ignatium. pag. 1011.

8. Photius interea CP. sede dejectus, in exilium pulsus, in adversa fortuna audaciam retinens, tamquam si persecutionem injuste pateretur, cum neminem ex amicis suis sibi patrocinari cerneret, Joanni Patricio & Sacellario, cujus summa apud Basilium auctoritas erat, scribens, quique olim sibi amicissimus fuerat, de infida amicorum fide conquestus est. *Photius Joanni Patricio & Sacellario. Velim quidem mihi adjungere amicum, a quo nec ullam assequar superborum & excelsorum beneficiorum, nec mihi timeam, ne quando adversans, tanquam ventus ea simul abstrahat, quæ amissurum me, ne in somnis quidem putaveram. Unde igitur ad hanc decidi voluntatem? facta tua, qui aliquando diligebas, adduxerunt nos.*

Photii epist. ad Joannem Patricium.

9. At Joannes his acceptis, temeritatem Photii admiratus, quod invidiæ adversariorum tribueret, quod sua culpa accidisset, ut e CP. Sede, quam malis artibus invaserat, pel-

Joannes Patricius Photii temeritatem arguit.

JESU CHR. AN. 868.

pelleretur, litteras ei Atticis salibus aspersas reddens, audaciam ejus, temeritatemque repressit, Eunuchum, & a Satana obsessum appellans. *Joannes Patricius Sacellarius Angariorum Photio Attidi quidem te comparant Gallum vocantes Græcorum sophistæ. Nostri vero sapientes in Gynicæo te clausum collocant, eunuchum te esse non ignorantes, & in hoc nomine appellantes. Unde igitur tu neglectis utriusque generis legibus ad ecclesiæ Dei sacramenta prosiliisti, sursum atque deorsum omnia evertens, ut tuam corruptam & infructuosam & inutilem conditionem in ecclesiam Christi fœcundi simam, & multorum filiorum matrem intrudere contenderis? sed certo scio quod Inferis ipsis, & Inferorum portis per ea, quæ perperam agis, turpiorem & invereundiorem te ipsum demonstrasti &c.* Ac tandem post alia. *Quousque igitur non desistes turpiter agere, & in Cœlum insaniæ tuæ sagittas cum magna amentia jaculari, quibus rebus, vel dæmoniis ipsis tuis sociis risum moves. Contra vero Sanctis pro tuo interitu mœstitiam præbes, & tuum genus nunc longe magis, quam antea exosum, & execrandum tua reddis pravitate.* Aculeatis his litteris exagitatus Photius, aculeatiores reddidit, arreptæ tyrannidis, utpote cum Basilio Imp. sociatum, Joannem incusans, cui etiam interitum minatur. *Admodum pulchre quidem, ac intelligenter se habere videtur vetus proverbium. In arborem, quæ vocatur tyrannidis multos ascendisse, neminem vero descendisse, sed inde corruisse omnes. Quod si ita est, quid tibi placet & exultas? qui ne quidem in ejus ramis, gravis omnibus ac tumens, sed in foliis insipienter veheris.* Hæc ibi Photius sibi semper similis, lingua scilicet promptus, & stylo procax. De inscriptione litterarum Photii ad Joannem, & Joannis ad Photium, deque earumdem sensu, nonnulla quidem adversus Montacubium earum editorem adnotat Pagius, & præcipue, an per contumeliam Eunuchum Photium dixerit Joannes, vel quia Eunuchus revera esset, ut a Baronio, & Combefisio traditur. At Pagius ita per ignominiam dictum fuisse tenet, de quibus cum eo contendere nolumus.

Altera Photii epist. ad Joannem.

Pagi. not. 7. & 8.

10. Usque ad hæc tempora Nicolaum, post Neucratium, qui Theodoro successerat, Acemetarum Præpositum vitam tenuisse narrat vitæ ejusdem auctor apud Combefisium in actuario bibliothecæ Græcolatinæ, vel Henschenium in actis Bollandianis. Is porro, ut supra adnotavimus, pro cultu san-

Nicolai Acemetarum Abbatis obitus. *Bolland. die 4. Febr.*

ſanctarum imaginum, graves cum magiſtro ſuo, & præpoſito Theodoro perſecutiones tempore Leonis Armeni ſuſtinuerat, & reddita eccleſiis pace, ad ſuum monaſterium reverſus quietam ibidem aliquando vitam duxerat, ejuſdem Acemetarum monaſterii Neucratio in præfectura ſucceſſor factus, ſeu Abbas. At cum Photius, Ignatio ſanctiſſimo Patriarcha ejecto, CPolitanam ſedem invaſiſſet, ne cum eo communicare cogeretur, iterum fugæ, & latebris ſibi conſuluit. Sed poſt annos ſeptem, Bardæ Cæſaris diligentia detentus, vinctus ad dictum monaſterium reductus, *In carcere ad biennium retentus eſt*. At Michaele, & Barda occiſis, *Mox Baſilius Cæſar Romani Imperii ſceptra moderanda ſuſcepit, jubensque ſacram fieri Synodum, poſt redditam Ignatio Pontificalem Sedem*, Nicolaum obſecravit, *ut & ipſe monaſterii ſui curam reciperet, una ſecum obſecrationis interceſſorem Epiſcopum adhibens*. Verum cum hoc ab ipſo Imperator obtinere non poſſet, is *multa animi voluptate ab Aula remiſit : quamquam etiam ad ſe crebrius accerſebat, ejus præcipue ſimplicitate affectus*, inquit Anonymus Studita in ejus vita. *Eudociam* Baſilii Imp. uxorem, quæ in gravem morbum inciderat, & omni medicorum auxilio deſtituta erat, ſanitati reddidit, multaque miracula patravit. *Tandem animam tradidit abducentibus Sanctis Angelis, anno vitæ ipſius ſeptuageſimo quinto, a mundi autem creatione ſexies milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto, die quarto menſis imparis, prima indictione, qui eſt Februarius*, ait Anonymus auctor vitæ ejus, ideſt hoc anno; hunc autem Nicolaum Ignatio CP. Patriarchæ impenſe faviſſe indicat Nicolai Papæ epiſtola ad Michaelem Imperat., cujus anno 865. mentionem fecimus, Michaelis enim objectiones refellens, quod Photius, & Ignatius ad dicendam cauſam adeſſe non poterant, ut ſaltem per legatos ſuos id agerent, fieri poſſe addit, atque inter Ignatii amicos Nicolaum recenſet. *Mittantur etiam*, ait, *de parte Ignatii Archiepiſcopi quidam Antonius Cizici, Baſilius Theſſalonicæ, Conſtantinus Lariſſæ, Theodorus Syracuſanorum, Metrophanes Smyrnæ, & Paulus Epiſcopus Ponti Heracleæ. Ergumeni autem*, ſeu ex monachis, *Niceta Cryſopoleos, Nicolaus Studii &c.*

JESU CHR. AN. 868.

11. Plurimas Pontificatus ſui initio litteras ab Hadriano Papa in Gallias miſſas fuiſſe ad Lotharium Regem, ad Hinc-

Hadriani epiſt. ad synodum Tri-

JESU CHR. AN. 868. Hincmarum Remenſem, ad Valdradam, quam ab excommunicatione abſolutam declaraverat, & ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ, ut anno proximo adnotavimus, cumque ſynodi Trecenſis, ſeu Tricaſſinæ litteras ad Nicolaum inſcriptas, hujus anni initio, vel ſub elapſi fine accepiſſet Hadrianus, Synodi Episcopis litteras reddens, eorum diligentiam in colligendis actis, cauſaque Ebbonis tractanda, pro qua Nicolai Papæ juſſu convenerant, laudat, Vulfadi ordinationem in Bituricenſem Epiſcopum factam confirmat, palliumque eidem miſit, ac ut Nicolai Papæ nomen in dypticis ſuis inſerant, jubet, gravibuſque verbis Gallicanos Epiſcopos admonet, ne ab prædeceſſore ſuo Nicolao ſtatuta irrita fieri permittant. *Legationis veſtræ*, ait, *ſcripta B. memoriæ deceſſori meo Papæ Nicolao miſſa, nos iam in ſede illius divina dignatione locati ſuſcepimus, promptiſſimamque obedientiam veſtram, quam in colligendis geſtis, ſecundum definitionem prænominati ſanctiſſimi Præſulis exhibuiſtis, laudavimus &c.* Et poſt plurima de Nicolai perſona, & geſtis illibate ſervandis, *Scientes præterea, quia quicumque hic adverſus ejus perſonam, vel decreta gerentur, me his nunquam præbiturum conſenſum, & iterum, eſtote igitur circa hæc vigiles, eſtote fortes, & iſta omnibus, vel ultra alpes conſtitutis Epiſcopis nunciantes, ut & ipſi quoque ſuper his ſolliciti, & intenti propugnatoribus ſint ſalutaribus monitis incitati. Quoniam ſi ſedis Apoſtolicæ Præſul, vel ipſius decreta deteſtationi, vel abdicationi habentur, nullius veſtrum vel nomen, vel inſtitutum firmum, aut ſtabile permanere valebit &c.* ac data dicitur, *quarto nonas Febr. indictione prima*.

Cassinam. pag. 889.

Epist. ad Ludovicum Germaniæ Regem.

12. Poſt dies decem, ſeu idibus Febr. ejuſdem indictionis, idem Hadrianus Pontificatus ſui initio, ſeu *Inter exordia divinitus ordinati, licet in indigno miniſtro, Pontificatus mei, pacis ſtudium præ ceteris virtutibus prædicandi, ſuadendique mihi neceſſitas non inconvenienter incumbit &c.* ait ad Ludovicum Germaniæ Regem ſcribens, & ſuſceptum ab Ludovico Imp. ejus fratre bellum adverſus Saracenos in Ducatu Beneventano narrat, eumque admonet, ne eo vigente, quidquam ei, vel Lothario nepoti, qui ſuas cum Imperatore copias contra Saracenos conjunxerat, moleſtiæ, ditionibus eorum inferret, ut ibidem videre eſt.

pag. 908.

Hadriani

13. Epiſtola altera ad Epiſcopos ſynodi Sveſſionenſis inſcri-

inſcripta, Actardum Nannetenſem Epiſcopum iis commendat, ut cum eccleſia quælibet, vel etiam Metropolitana viduata paſtore remanſerit, eumdem Epiſcopum ibidem collocent, cui etiam pallii uſum concedit, *ut ſcilicet habeat pro exilio, & catena pallii ornamenta, non ad eccleſiæ, cui incardinandus eſt perpetuum inſtitutum, ſed ad ſuum ſpecialem, certique temporis uſum.* Hunc quippe Actardum Britonum feritate ab Nannetenſi ſede ſua pulſum, *multoties*, ut ait Hadrianus ibidem, *exilia, mare, vincula paſſum, etiam ad capitalem ſententiam frequenter tractum fuiſſe comperimus &c.* qui cum ad Apoſtolicam ſedem aufugiſſet, dum eum in Gallias remiſit, ut Epiſcopatu ibidem donaretur, eoſdem Epiſcopos Hadrianus admonuit, in eamque cauſam litteras quoque Carolo Regi dedit, quibus pallium Vulfado se dediſſe narrat, ac ut Actardo ad obtinendam eccleſiam faveret, rogat. *Actardus venerabilis quondam Nanneticæ urbis Epiſcopus &c.* ac data dicitur *ſeptimo Kal. Martias indictione prima.* Alteras etiam pro eodem Actardo ad Hincmarum Remenſem, & ad Erardum Turonenſem die octavo idibus Martii indict. prima, ideſt hoc anno litteras tradidit, quibus poſtquam Hincmari ſollicitudinem, in Lotharii cauſa hactenus apud Apoſtolicam ſedem agitata, laudavit, Hincmarum rogat, ut apud Carolum Regem pro Actardo obtineret, *ut vacans ei Epiſcopalis &c. etiam ſi ſibi Metropolis obtulerit eccleſia, tribuatur.* Erardum vero Turonenſem expoſitis Actardi calamitatibus, injuriiſque toleratis, rogat, *ut hic ſaltem alicujus ſuſtentationis adipiſci queat ſuæ vitæ ſubſidium, quod te negaturum profecto non credimus.*

Jesu Chr. an. 868. epiſt. ad Epiſc. ſynodi Sveſſionenſis. pag. 902.

pag. 902.

14. Cur tantam pro eo ſollicitudinem Hadrianus geſſerit, hanc in epiſtola ad Carolum data rationem reddit: *Siquidem indignum ducimus quemquam ad Apoſtolicam ſedem, ubi ſemper catholicis ſubvenitur tribulatum accedere, & non conſolatum recedere, præſertim cum quemdam Romanorum Principem, etiam a fide Chriſti extraneum, non debere quempiam ab Imperatore triſtem diſcedere, perhibuiſſe quædam fateantur hiſtoriæ &c.* hæc, & alia ibidem, quæ ſane veriſſima eſſe ſingulis eccleſiæ ſeculis innumera confirmant exempla.

Rom. Eccleſia ſemper catholicis ſubvenit.

15. Una cum pallio conſolatoriam Actardo epiſtolam Hadrianus ſcripſit, qua eum in tribulatione poſitum his erigit verbis. *Si ſecundum divinæ pietatis viſcera circa nemi-*

Hadriani epiſt. ad A. ctardum cum pallio.

JESU CHR. AN. 868. pag. 906.

nem conſiſtet reprehenſibilis quantacumque miſeratio : quanto potius erga illos exhibenda eſt totius charitatis affectio , qui circa divinum cultum irreprehenſibiles apparentes , diverſarum dein tentationum exercitia pertulerunt , nec tamen in tentationibus , Chriſto propitio , defecerunt ? Qua de re benedicimus Deo Patri Domini noſtri JESU Chriſti , Deo ſcilicet totius conſolationis , qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra , ut poſſimus conſolari eos , qui in omni preſſura ſunt. Tibique frater Actarde , qui dire fatigatus , & diuturna captivitatis miſeria quaſſatus , nec inter cuneos barbarorum , nec inter enſes infidelium defeciſti , quin etiam Dei providentia mirabiliter erutus , & liberatus , circumquaque peregrinando , procul a propria Eccleſia , procul a notis , & proximis propter eorumdem rabiem barbarorum , & continuam Britonum oppreſſionem , quibus heu nimium vicinus eſſe noſceris , & penes pejus ab eis , quam a piratis inſecutionem pateris , curriculis jam multis incedis : decus pallii pro Dei ſolius amore , quem inter furentium paganorum manus & gladios confeſſus es , prævidimus concedendum , quo videlicet pallio , cum fueris , auctore Deo , noſtroque decreto aliquem vacantem adeptus Epiſcopatum , ſcias a nobis te eidem ſtabiliter incardinatum , vel ſi contigerit forſan in proprio , certis valeas uti temporibus . Quod non aliter tibi , nec cuilibet abſque Metropolitis concederemus , niſi multoties exilia , mare , vincula paſſo , etiam ad capitalem ſententiam frequenter tracto , teſte tuo Metropolitano , qui id nobis litteris innotuit , & tibi ſpem in ſede propria non ſupereſſe ſignificavit , hoc tua ad celerrimæ conſolationis ſolatia tanta exigerent detrimenta , quin potius merita . Ut videlicet habeas pro exilio & catena , pallii ornamenta , non in tua Eccleſia perenne decretum , ſed ad tuum , certo tempore , vitæque præſentis ſpecialiter uſum &c. eumdemque Apoſtolicæ tantum ſedis judicio ſubjectum eſſe addit , ac ſcripta dicitur epiſtola *Per manum Zachariæ notarii regionarii , & ſcriniarii Sanctæ Rom. Eccleſiæ in menſe Februario indictione prima , bene vale quinto Kal. Martii per manus Anaſtaſii bibliothecarii &c. anno &c.*

tom. 8. concil. pag. 509.

Ideſt ſcripta ab Zacharia , & Actardo tradita ab Anaſtaſio bibliothecario , qui tunc Hadriani legatus in Galliis erat , ut ex epiſtola ad Hincmarum aperte conſtat , ſicque tandem , ut aliqualem Actardus Epiſcopus requiem , & ſuſten-

ta-

tationem haberet, curavit Hadrianus Papa, pro quo alias Nicolaus præceſſor fruſtra laboraverat, ut ex ejuſdem epiſtola ad Salomonem Brittaniæ Regem data conſtat. JESU CHR. AN. 868.

16. De geſtis autem Hadriani Papæ, litteriſque ab eo in Gallias ſcriptis, hæc habet Annaliſta Bertinianus, quibus hactenus dicta confirmantur. Carolus ſecunda die rogationum Adventio Metenſium Epiſcopo, & Grimlando Lotharii Cancellario deferentibus *epiſtolas Hadriani Papæ, accepit unam ſibi directam, in qua idem Apoſtolicus præcepit, ut regno Lotharii nullam moleſtiam ingerat. Alteram autem epiſtolam de abſolutione Valdradæ ad Epiſcopos regni ipſius Caroli detulerunt, ſimiles dicentes miſſas Epiſcopis Regni Hludovici, atque Lotharii. Abſolutio autem ipſius Valdradæ ea conditione eſt facta, ut Hlothario nullo pacto cohæreat. Silvacum Carolus perveniens Actardum Nannetenſem Epiſcopum Roma venientem ſuſcepit, ſibi deferentem epiſtolas, quarum una reſponſum reddit de his, quæ Nicolaus in contrarietate Hincmari mandavit: inter cætera ei inculcans, ut de cætero, ac perpetuo talis inutilis quæſtio ſopita maneret. Alteram autem epiſtolam Hincmaro detulit, ut quia idem Actardus pro Pagunorum infeſtatione & Britonum oppreſſione in ſua civitate manere non poterat, ſi locus veniret, etiam de Metropoli idem Actardus in vacante Civitate Paſtore, auctoritate Apoſtolica ab Epiſcopis ipſius provinciæ incardinetur.* Sed de his hactenus, plura fortaſſe, etſi in compendium relata. Hadriani Papæ geſta, & litteræ.

17. Dum tantam pro eccleſiæ adminiſtratione ſollicitudinem gereret Hadrianus, ut epiſtolæ ab eo in Oriente, & in Gallia ſcriptæ teſtantur, graviſſimam in ipſa urbe injuriam ſuſtinuit, dum Stephaniam uxorem, quam ante Sacerdotium duxerat, ac ex ea ſuſceptam filiam, Romanorum nobiliſſimo deſponſatam, ſceleratorum perfidia, ſibi præreptas vidit, de quibus hæc Annaliſta Bertinianus. Hoc anno 863. *Quarta feria poſt initium Quadrageſimæ, factione Arſenii filius ejus Eleutherius, filiam Hadriani Papæ ab alio deſponſatam dolo decepit, & rapuit, ſibique conjunxit. Unde idem Papa nimium eſt contriſtatus. Arſenius ad Ludovicum Imperatorem pergens in Beneventum infirmitate corripitur, & theſaurum ſuum in manus Indelbergæ Imperatricis committens, & ut dicebatur, cum dæmonibus, ſine* Hadriani Papæ uxor, & filia nefarie occiditur.

JESU CHR. AN. 868.

communione abiit in locum ſuum. Quo mortuo, Hadrianus Papa apud Imperatorem miſſos obtinuit, qui præfatum Eleutherium ſecundum leges Romanas judicarent. Idem vero Eleutherius conſilio, ut fertur, fratris ſui Anaſtaſii, quem Bibliothecarium Romanæ Eccleſiæ in exordio ordinationis ſuæ Hadrianus conſtituerat, Stephaniam uxorem ipſius Pontificis, & ejus filiam, quam ſibi rapuit, interfecit, & idem Eleutherius a miſſis Imperatoris occiſus eſt. Hadrianus vero Papa congregans Synodum ſupradictum Anaſtaſium hoc modo, ſicut ſubſequitur, poſt donationes in eum latas, iterum condemnavit.

Anaſtaſius bibliothecarius in ſynodo Roman. damnatur.

18. Itaque cum Anaſtaſius tituli S. Marcelli Presbyter Cardinalis, & Romanæ Eccleſiæ bibliothecarius, paternæ, fraternæque perfidiæ particeps, vel etiam incentor fuiſſet, latam in eum excommunicationis ſententiam ab Leone quarto jam anno 853. ut ibidem diximus in ſynodo Romana, Hadrianus Papa confirmavit. Is porro eam merito ſententiam ſubierat, eo quod relicta parochia ſua, ac ſæpe admonitus, in urbem redire contempserat, ut ex ſynodo tunc celebrata conſtat, cujus excommunicationis ſententiam ad valvas argenteas baſilicæ Apoſtolorum Principis inſcribi Leo quartus juſſerat, at Anaſtaſius in ſua perfidia & obſtinatione perſeverans, poſt Leonis quarti obitum, e latebris latronum more erumpens, & in urbem rediens, Romanam ſedem invadere conatus eſt, ſicuti anno 855. adnotavimus, ſed repulſam paſſus, ſeculari nihilominus potentia fretus, ſententiam excommunicationis ſuæ in valvis eccleſiæ depictam deſtruxit, ac dejecit: *Quam beatiſſimus Papa Benedictus*, Leonis ſucceſſor, *reſtauravit, ac lucifluis coloribus decoravit*, ait idem Annaliſta Bertinianus, de quibus ex Anaſtaſio plurima adnotavimus anno 855., cum de Benedicti Pontificis electione, & ordinatione ſermonem fecimus, quæ hoc loco referre ſuperfluum eſt.

Concil. to. 8. pag. 130.

Hadriani Papæ ſententia in Anaſtaſium Presbyterum. *pag. 131.*

19. Hunc tamen Nicolaus Papa meliora de ipſo ſperans in Romanæ Eccleſiæ communionem receperat, ut in ſententia adverſus eum lata narrat Hadrianus, cum eum ad pejora relapſum, rapinis ſe ſe fœdavit, cœdibuſque cruentavit, ut coram congregata ſynodo his verbis Pontifex narrat: *Omni Dei eccleſiæ notum eſt, quid Anaſtaſius tempore prædeceſſorum noſtrorum pontificum geſſerit, ſed & qualiter ab*

JESU CHR. AN. 863.

ab eis de illo sanctæ recordationis Leo, & Benedictus eximii præsules instituerint, palam est cunctis. Quorum unus eum depositi, excommunicavit, & anathematizavit, alter vero sacerdotalibus expolians vestimentis, inter laicos in communione recepit. Decessor itaque noster sanctissimus Papa Nicolaus eum postea, si fideliter erga sanctam Romanam Ecclesiam incederet, in gremio pari modo recepisset Ecclesiæ. Sed infidelitas ejus nunc in tantum apparuit, ut post depræ dationem patriarchii nostri, ablationemque synodalium scripturarum, quas tam super se, quam super hujusmodi a sanctissimis præsulibus diversis temporibus decretas repererat, institutionem quoque venerandæ synodi ab ipsis sanctis pontificibus factam, atque sub interpositione anathematis retectam, violari nobis subripiendo fecerit, & homines ad seminandum inter piissimos principes & ecclesiam Dei discordias, per muros hujus civitatis more furis exire coegerit: quemdamque Adalgrimum ad ecclesiam confugium facientem oculis, & lingua privari fugessérit. Modo vero, sicut multi vestrum mecum a quodam presbytero consanguineo ejus nomine Adone audistis, & aliis modis nobis revelatum est, beneficiorum quoque nostrorum immemor, hominem ad Eleutherium misit, exhortans homicidia perpetrari, quæ sicut scitis, prob dolor, facta sunt. Et ideo pro his omnibus, & pro aliis multis, quibus ecclesiam Domini perculit, atque læsit, quam etiam subdolis machinationibus hactenus tundere non desistit, auctoritate Dei omnipotentis, omniumque sanctorum patrum, ac venerandorum Conciliorum, prædictorumque pontificum, simul & judicii nostri sententia sancimus, illum eumdem Anastasium esse tenendum, quemadmodum de eo iidem Domni Pontifices Leo, & Benedictus solemniter, & synodice statuerunt; nihil in ejus anathemate, vel causa penitus adjungentes, vel minuentes, nisi ut omni communione ecclesiastica privatus existat, donec de omnibus, quibus impetitur, nobis coram synodo rationem ponat, & qui cum eo in locutione, cibo, vel potu communicaverit, pari excommunicatione cum eo teneatur annexus. Hæc, & alia ibidem Hadrianus apud S. Praxedem positus, anno Pontificatus ejus secundo, quarto idus Octobris indictione 2. idest hoc anno.

Vormatiense concilium, ejusque canones.

20. Ex synodo Romana ad Vormatiensem Ludovici Germaniæ Regis jussu celebratam transimus; habita eadem est

JESU CHR. AN. 868. *p. 941. seqq.*

est anno Domini 868. tempore Hadriani Papæ secundi, & Ludovici Imp. secundi, ut in inscriptione legitur, cujus canones octoginta extant, de recta sacramentorum administratione, de Episcoporum officiis, de Sacerdotum, ministrorumque ecclesiæ ordinationibus, vitaque instituenda, de ecclesiarum restauratione, vel immunitate servanda, deque bonorum ecclesiæ recta administratione, & partitione, de nuptiarum celebratione, criminibusque vindicandis, de vita, & disciplina monachorum, vel mulierum, quæ se Deo dicaverant, ut ibidem videre est: per singula enim capita excurrere, brevitatis susceptæ propositum nos prohibet, unum, aut alterum adnotare contenti. Ex his canone 15. statuitur, ut cum furtum in monasterio contigerit, singuli monachi Corpus, & Sanguinem Domini ad Missam Abbatis, vel alterius monachi sumentes a criminis suspicione se purgent, qui sane purgationis modus ob sacrilegii periculum tandem abrogatus fuit una cum ceteris his similibus probationibus, quæ vulgares, vel canonicæ dicebantur, judicium scilicet ferventis, vel frigidæ aquæ, vel igniti ferri, etsi longo adhuc tempore perduraſſe compertum sit; pueros etiam a parentibus monasteriis oblatos, inde cum ad pubertatem venerint, revocari non posse canone 22. statutum est. Nam ut canone sequenti additur: *Monachum, aut paterna devotio, aut propria professio facit*, quæ sane regulæ S. Benedicti conformia sunt, & canonibus conciliorum Toletanorum, quibus etiam temporis tractu derogatum est, nam monachum nonnisi propria electio, & professio nunc facit.

Salomon Dux Brittanniæ Rex dicitur.

21. Cum Salomon Brittanniæ Dux jamdiu Francorum Regum jugum abjecisset, tributumque negaret, unde etiam iis in ecclesiis gravissimæ perturbationes exortæ sunt, ac sui Ducatus Episcopos Turonensi Archiepiscopo subesse ultra non pateretur, Episcopus Actardus, aliique inde ejecti, non solum ad Episcopos Galliarum, sed etiam ad sedem Apostolicam quærelas detulerunt, de quibus alias supra mentionem non semel habuimus, cum de Nicolai epistola ad Salomonem, vel de Gallicanis synodis verba fecimus, cum inquam Salomon Francorum jugum excussisset, hoc tandem anno Carolus Aquitaniæ Rex, continuis Normannorum irruptionibus vexatus, sive sponte, sive necessitate coactus, eum-

to. 8. p. 509.

eumdem Salomonem Regem dixit, suique juris esse declaravit, ut eum in Normannorum expugnatione socium haberet, utl his verbis narrat Annalista Bertinianus. *Salomon Carolo mandavit, ut haud ipse pergeret ad expugnandos Normannos, qui residebant in Lingeri, quia idem Salomon cum valida manu Brittonum paratus erat illos aggredi, tantum ut adjutorium ex parte Caroli haberet. Ad quem idem Rex præmittens Engelramnum Camerarium, & Hostiariorum Magistrum, atque a Secretis Consiliarium suum, cum corona auro & gemmis ornata, sed & cum omni paramento Regio cultu exculto, Carolomannum filium suum Diaconum, & Abbatem, cum scara e vestigio, sicut Salomon ei mandaverat, misit, & inde Andriacam villam gratia venandi perrexit. Scara, quæ cum Carolomanno a Carolo Rege trans Sequanam missa, terram quidem vastavit, sed nullius utilitatis effectum ex Nortmannis ad quos resistendum missa fuerat, faciens, jubente Carolo Rege rediit, & sic unusquisque ad sua perrexit. Pictavenses autem vota facientes Deo, & S. Hilario, tertio eosdem Nortmannos fuere aggressi, quorum plures occiderunt, cæteros vero in fugam miserunt, & de omni præda, excepta voluntaria oblatione, decimam Sancto Hilario contulerunt.* Hanc tamen cessionem, necessitate urgente, ab Carolo Rege factam, idem Carolus Imperator postea dictus, post Salomonis, ejusque filii obitum anno 877. revocavit, ut ex capitulari eodem anno vulgato his verbis constat: *Qualiter Regnum, quod necessitate Brittonibus quondam juramento confirmatum fuerat, quia de illis, quibus firmatum est*, nullus superstes est, a fidelibus *nostris* reciatur.

Jesu Chr. an. 868.

Balut. Capitul. tom 2. pag. 266.

22. Quam in Galliis sortem Nortmanni, eamdem fere in Anglia experti sunt, ac ex Merciorum Regno, si non vi, justis saltem conditionibus ejecti sunt, ut Ingulphus, aliique Anglorum historici narrant, quod etiam ex charta donationis monasterio Croilandiæ facta confirmatur, qua Buredus Merciorum Rex hæc habet. *Istud regium chyrographum meum anno Incarnationis D. N. J. Christi 868. octavo Kal. Augusti apud Snotringam coram fratribus, & amicis, & omni populo meo in obsidione Paganorum congregatis sanctæ Crucis munimine confirmavi.* Post subscriptiones vero hæc etiam Rex addidit. *Ego Boerredus Rex Merciorum intimo ani-*

Nortmanni e Regno Merciorum recedere coacti.

JESU CHR. AN. 868.

animi affectu, totisque præcordiis gratias exsolvo speciales omni exercitui meo, maxime tamen viris Ecclesiasticis, Episcopis, & Abbatibus, aliis etiam inferioris status, & dignitatis, qui licet piissimæ memoriæ Rex quondam Etelvulphus pater meus per sacratissimam chartam suam, ab omni expeditione militari vos liberos reddiderit, & ab omni servitio seculari penitus absolutos, dignissima tamen miseratione super oppressiones christianæ plebis, Ecclesiarumque, ac monasteriorum destructiones luctuosas benignissime compassi, contra nefandissimos Paganos in exercitum Domini prompti, & spontanei convenistis, tamquam Martyres, ut Christi cultus sancto sanguine vestro augeatur, & Barbarorum superstitiosa crudelitas effugetur &c.

Ludovicus Imp. bellum cum Saracenis in Italia gerit. *epist. 12. pag. 908.*

23. Atrox cum Saracenis bellum in Ducatu Beneventano, viciniſque regionibus ab Ludovico Imp. hoc tempore geſtum fuiſſe hiſtorici Græci, & Latini narrant, quod etiam Hadrianus Papa Pontificatus ſui initio ad Ludovicum Germaniæ Regem ſcribens his verbis commemorat. *Præterea nolumus ignorare celsitudinem tuam dilectissimam & spiritualem filium nostrum Ludovicum piissimum, & a Deo protectum Imperatorem, non adversus sanctæ religionis filios, ut quidam pugnare, nec contra fidei christianæ domesticos, sed adversus filios Belial, & adversus Christi nominis inimicos, pro Sanctæ Ecclesiæ, & præcipue pro nostra securitate, proque fidelium liberatione multorum, qui pene jam fine tenus apud Samnium periclitabantur, itaut etiam fines nostros infestatio jamjamque Saracenorum invaserat &c.* Quem ideo admonet, ne eidem tanto operi intento, moleſtiam ullo modo, aut impedimentum afferret, neque Lothario, qui Ludovico Imp. in auxilium ſe adfuturum promiſerat.

Baſilius Imp. arma ſua cum Ludovico adverſus Saracenos conjungit. *Murat. rerum Ital. to. 2. part. 2. Porphyrog. pag. 181.*

24. Adverſus communem chriſtiani nominis, & utriuſque Imperii Orientalis ſcilicet, & Occidentalis hoſtem, cum Ludovico vires ſuas conjunxit Baſilius Imperator, ut paſſim Latini, & Græci hiſtorici narrant, Calaurenſe ſcilicet, & Salernitanum chronicon, Erchembertus, Leo Oſtienſis lib. 1. 36. Andreas Presbyter in chronico apud Menchenium rerum Germanarum &c. præ ceteris vero audiatur Porphyrogeneta in vita Baſilii Imp. avi ſui capite 55., dum refert Saracenos Raguſio pulſos, ut ſupra diximus, ac in Italiam reverſos, centumquinquaginta oppida, vel deditione ſponta-

tanea, vel vi occupaſſe. Quare Baſilius Imperator: *Prudenti conſilio inito ad Lodovicum Franciæ Regem, & ad Romanum Antiſtitem Legatos mittit, ut ab ſe miſſis copiis opem ferant, ac cum eis adverſus Agarenos Barii ſedes habentes pugnam inſtruant, jubens, ut & quas paulo ante memoravimus, Sclavenorum gentes, inſtitutum ſuum juvent, transmiſſo Raguſii incolarum ope, ſuiſque ipſorum navigiis Dalmatarum mari. Hoc modo conjunctis viribus, ingens contractus eſt exercitus, quodque Romanæ claſſi præfectus longe omnibus ſolertia ac fortitudine præſtaret, Barium brevi capitur, oppidumque ipſum, & ager, omneſque captivi in Romanorum poteſtatem cedunt, ſuoſque regios cives, ac colonos recipit. Rex Franciæ, Soldanum illum, ſubditoſque Saracenos, ſibi ipſe captivos ſumens, Capuam adduxit, cujus illa ditionis erat, ut & Beneventum. Huncque prima Imperatoris in Occidentem expeditio nacta finem eſt, ejuſque ſpoliis, ac claritate urbs Auguſta ornatur &c.* Hæc ibidem uno contextu, geſta per plures annos complectens is auctor, nam triennalem Barii obſidionem fuiſſe, variaque fortuna non ſemel pugnatum Italorum chronologi narrant, Salernitanus, Caſaurenſis, & Volturnenſis, hic autem inter cetera de geſtis anno ſecundo obſidionis Barii, usque ad occupationem oppidi hæc narrat. *Sequenti anno multis fultus auxiliatoribus* (Ludovicus nempe Auguſtus) *Barim perrexit, ac cum ſæpe dicto Sangdan* (quem Porphyrogeneta Soldanum appellat, qui aliis eſt Seodanus), *Auguſtalis exercitus pugnam commiſit, a quibus exuperatus, aufugit, amiſſa non modica parte exercitus ſui. De hinc omnia eorum ſata circumquaque comburens Materem adiit, quam ſine mora igne cepit. Tunc venit Venuſiam, caſtramentatuſque in ea, cœpit renovare, & Barim hinc inde graviter expugnans demolitus eſt, poſitoque præſidio pugnatorum in Canuſia præcipue eos cornibus ventilabat, &c. poſt hac iterum itum Orientanam in urbem. Sicque reverſus eſt Beneventum, atque annuente ſibi dextera ſuperna, cum jam ad extremitatem maximam perveniſſent Saraceni, miſſo exercitu Barim cœpit, anno 871.* quo quidem tempore Saraceni Bario, aliiſque locis ejecti, & repreſſi fuerunt, non tamen omnino ex Italiæ littoribus expulſi.

Jesu Chr. an. 868.

Apud Duchesn. to. 2.

25. Geſta autem in hac expeditione ſummatim recenſet Ludovicus Imp. in epiſtola ad Baſilium Imp. triennio poſt

Ludovicus Francorum virtutem a Baſilii calu-

JESU CHR. AN. 868. Imperii vindicat.

data, qua se jure, meritoque Imperatoris nomen ferre probat, ac gentis suæ, seu Francorum in ea expeditione famam a Basilii Imp. calumniis vindicat, dum eos, & paucos in Barii expeditione fuisse, eosdemque dissolutos, & deliciis deditos dixerat.

JESU CHRISTI AN. 869. HADRIANI SECUNDI PAPÆ 3. LUDOVICI IMP. 19. BASILII IMP. 3.

Synodus generalis CPoli indicitur.

1. Etsi jamdiu, nec semel Romæ, & CPoli Photius CPolitanæ Ecclesiæ invasor damnatus fuisset, solemniori nihilominus judicio eum iterum ab ea sede dejiciendum, & anathemate feriendum esse censuit Hadrianus Papa, qui postquam anno proximo in synodo Romana eumdem non solum usurpata sede dejecit, ac omnia ab eo contra Romanam Ecclesiam gesta aboleri decrevit, legatosque suos Constantinopolim mittens Donatum Ostiensem Episcopum, & Marinum Diaconum, cum Stephano Nepesino Episcopo, ut supra diximus, datis ad Ignatium Patriarcham, & Basilium Imp. litteris, ut plenaria ibidem synodus celebraretur, jussit. Hadriani ad Imperatorem epistola actione prima lecta est, altera ad Ignatium actione 3., de synodo celebranda, post plurima in Imperatoris laudem dicta, hæc addit. *pag. 980. & 1011.*

Hadriani epist. ad Basilium de synodo congreganda.

2. *Volumus ergo per vestræ pietatis industriam, illic numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque Missi præsidentes, & culparum, personarumque differentias liquido cognoscentes, juxta quod in mandatis acceperunt, singulorum libere discretiones exerceant. In quo videlicet sacrato cœtu execrandi vanitates concilii, quod adversus Sedis hujus actum est prorsus injuriam, cuncta decernimus exemplaria prorsus a possessoribus suis oblata, in mediumque delata, contemplantibus cunctis igne cremari, nec superesse apud quemlibet ex his omnibus saltem jota unum, vel unum apicem, nisi forte quis totius clericatus, imo totius nominis Christiani dignitate, anathemate perculsus, carere voluerit &c.* ut synodi Romanæ gestis subscriberent, quotquot synodo adfuissent, præcepit. *Insuper exhortamur, & salubri suadere studio procuramus Imperatoriæ instantiæ vestræ annexa sententiarum capitula, ut quæ synodice in Ecclesia Dei, ubi sanctum corpus Apostolorum Petri principis requiescit, pro abominandis profanis conciliis, Con-*

Constantinopoli a Photio, tam adversus Sedis Apostolicæ reverentiam, quam contra fratris & comministri mei Ignatii pontificium congregatis communi consonantia promulgavimus, apud vos in Synodo cunctorum subscriptione roborentur, & in singularum archivis Ecclesiarum provide recondantur &c. Legatos autem suos CPolim missos, Imperatori, & Ignatio commendat, ac de Photii legato in mare demerso addit. *Alterum vero nominatum in scriptis tuis Metropolitam, Domino dispensante, non vidimus, quia enim, sicut ille a reverendo Patriarcha Ignatio, ita seorsum ille a Photio tyranno mittebatur, volens Deus ostendere non in duo Ecclesiam suam fore scindendam (quod videlicet malum Jeroboam quondam in Israel Rex impius egit) nolens etiam nos auctoris hujusmodi schismatis nec ipsam quoque visionem percipere, antequam ad nos perveniret, justo judicio suo, pelagus cooperuit eum. Et qui populum Dei diviserat, divisa est super eum aqua, devenitque in profundum quasi lapis &c.*, ac legatorum tarditatem in reditu, ex causæ gravitate excusans, his verbis epistolam claudit. *Piissimum Imperium vestrum gratia superna custodiat, eique omnium infidelium gentium ferocitates ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ potenti virtute substernat*; data, ut verosimile est, *quarto idus Junii indictione secunda*, qua die data est altera ad Ignatium Patriarcham, cujus hoc est exordium. *Nec scriptura pandere, nec profecto lingua sufficit enarrare, quantas, o dilectissime frater, pro Ecclesiæ Constantinopolitanæ statu, atque pro tua specialiter erectione, certaminum palæstra decessor meus sanctæ memoriæ Papa Nicolaus cum subjecta sibi Ecclesia indesinenter exercuit, & usque ad melioris vitæ transitum toleravit, adeo ut in ipso suæ migrationis articulo pro commendanda causa tua, vel Ecclesiæ tibi divinitus commissæ, nec scribendo sibi pepercit, nec pro hac, si non loquendo, saltem innuendo, cessaverit, donec officium dumtaxat oris amitteret, & oculos penitus observaret. Cujus affectum, & nos quoque sumentes, sicut divina gratia ei successimus in honore, ita & merito successimus in labore, & sicut sudorum ejus, & dispositionum tunc extitimus communicatores, ita quoque nunc optamus, & satagimus esse in cunctis observatores &c.*, ac cuncta hactenus ab Nicolao prædecessore suo, ac a se ipso in eadem causa gesta commemorat, ac acta per legatos suos mittit, & ut eadem in synodo

JESU CHRIST. AN. 869.

concil. to. 8. pag. 1011.

JESU CHR. AN. 869.

nodo CPoli celebranda confirmaretur, jubet. *Ergo fraternitas tua curet*, ait, *neceſſe eſt, ut ſententiarum capitula, quæ ſynodice in Eccleſia Dei, ubi ſanctum corpus Apoſtolorum Principis Petri requieſcit, pro abolendis prophanis conciliis, CPoli a Photio tam adverſus Apoſtolicæ ſedis reverentiam, quam adversus ſanctimoniam tuam congregatis, communi conſonantia promulgavimus, apud vos in synodo cunctorum ſubſcriptione roborentur, & in ſingularum archiviis eccleſiarum provide recondantur &c.*

Baſilius Imp. ſynodum congregat. *pag. 979.* *pag. 1278.*

3. His acceptis, Baſilius Imperator Hadriani monitis obtemperans, ſynodum congregavit. Unde Epiſcopi ſynodum vix ingreſſi, de Baſilio Imp. dixerunt, *& ut aſpicitis conſilium noſtrum complevit, & in idipſum convenire, atque concurrere fecit &c.*, & in altera verſione. *Coacto enim generali concilio, quod eſt Spiritui Sancto viſum pie executus eſt &c.* Baſilius ſcilicet Imperator. Antequam ſynodi geſta exponamus, quo honore excepti ſint a Baſilio Imp. Romanæ ſedis legati, videamus, de quibus Anaſtaſii continuator hæc primum de eorumdem expeditione adnotans, ait. *Poſt hæc ideſt poſt ſynodum anno elapſo celebratam, cum epiſtolis deceſſoris ſui, ſicut ab eo fuerat ordinatum, Donatum Episcopum Oſtienſem, & Marinum Diaconum Conſtantinopolim deſtinavit: deinde ejuſdem epiſtolas ſuo tantum nomine titulatas, & commonitorium. Sed & Stephanum Nepeſinum Epiſcopum ſociavit, eisque præcepit, ut omne ſcandalum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſolerter ſopirent, conſecratiſque a Metodio, & Ignatio ſub ſatisfactione libelli, quem de ſcrinio ſuſceperant, proprias Eccleſias redderent. Photianis vero ſub eadem, ac diſtrictiori ſatisfactione communicarent quidem, ſed ſacerdotum judicium, uſque ad Sedis Apoſtolicæ ſententiam manente, ſanctiſſimi Papæ Nicolai judicio protelarent*; deinde quanto cum honore excepti, deductique CPolim uſque fuerint, ita narrat. *Itaque multorum anfractuum laborioſos circuitus penetrantes, tandem Chriſto præduce Theſſalonicam veniunt, in quam Baſilius Imp. Euſtachium Spatharium Candidatum cum ſuæ ſalutationis officio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legatis obviam deſtinavit. Qui eos admodum honorifice per contingentia itineris loca ducens Syllambriam poſuit, ubi a Siſinnio Imperiali Protoſpathario, & Theognoſto Patriarchali Egumeno, qui Romæ apud ſanctiſſimum Papam Nicolaum pro re-*

Hadrianus Papa legatos CPolim cum mandatis ſuis mittit. *Anaſt pag. 432.*

Quo honore legati excepti, & CPolim perducti ſunt.

reſtituendo Ignatio ſedulus interceſſor extiterat, cum quadraginta equis de ſtabulo Imperiali, & totius menſæ argenteo apparatu, officialibus, qui ſibi ad omne libitum famularentur excepti, ad Caſtrum Rotundum, in quo eſt Eccleſia miræ magnitudinis ſancti Joannis Evangeliſtæ nomine Deo dicata, favore Auguſtali Sabbato manſionem ſuſcipiunt. Et Dominica, quæ quintadecima dies Septembris, per Indictionem tertiam, menſis initio, more Græcorum, inchoatam, *ſingulos equos cum ſellis aureis devotione Imperatoria capientes, obviatis omnibus ſcholis, videlicet Spathariorum, Candidatorum, Stratorum, Mandatorum, ceterorumque palatinorum ordinum, cum omnibus clericorum planetatis ordinibus ad portam Auream veniunt: ibi a Paulo librorum cuſtode, & Joſeph vaſorum cuſtode, ſimulque Baſilio Sacellario Eccleſiaſticis induti veſtibus, ſalutati cum Sincellis Patriarchæ Conſtantinopoleos ſolemniter procedunt, &c.* Inde cum ingenti plebis plauſu, ac cum cereis, & lampadibus in Megauræ Palatio perducti, die craſtina cum eodem comitatu, & apparatu ad Imperatorem deducti ſunt, ac *procedentibus ad Imperatorem ipſis continuo aſurgentem ſalutabundi conveniunt, Apoſtolicas epiſtolas Imperatori offerunt, quas Imperator per ſemetipſum ſuſcipiens, oſculatur. De ſtatu Romanæ Eccleſiæ, ſalute domni Hadriani ſummi Pontificis, deque omni clericorum, Senatorumque ordine ordinabiliter perſcrutatus, Legatoſque amabiliter oſculatus, Ignatio Patriarchæ juſſionem Apoſtolicam perlaturos abſolvit &c.* ad Imperatorem die ſequenti redeuntes, eoſdem legatos Imperator rogavit, ut juxta Rom. Eccleſiæ, & Nicolai Papæ decretum, Eccleſiæ CP., ceteriſque Orientalibus pax, & unitas ob Photii temeritatem violatam, & ob Ignatii dejectionem reſtitueretur; in quam rem libellum ſibi ad Hadriano datum obtulerunt, ut eidem ſubſcriberent Orientales, quo in Græcum translato, tota cauſa ſynodi cognitioni remiſſa eſt. JESU CHR. AN. 869.

4. Nunc ad ſynodi acta tranſeuntes adnotamus duas ex Græco in latinum extare ejuſdem ſynodi translationes, quarum alteram Anaſtaſius, de qua Anaſtaſii continuator adnotat, Hadriani epiſtolam a Græcis decurtatam fuiſſe: *Denique geſtis ſalubriter omnibus, qui in decem ſeſſionibus ſynodi textus complectitur, Legati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ textum Synodi, ne quid Græca levitas falſum in eam congeſſerit, Anaſtaſio ſanctæ Sedis Apoſtolicæ bibliothecario (qui tunc temporis pro* Synodi verſio ab Anaſtaſio peracta. *Anaſt. pag.* 434.

JESU CHR. AN. 869.

pro causa Hludovvici sereniſſimi noſtri Auguſti cum Suppone Archiminiſtro poſt eos Conſtantinopolim, divina, ut creditur, diſpenſatione, pervenerant) ſubtiliter inquirendum, antequam ſubſcribant, committunt. A quo, quia in utriſque linguis eloquentiſſimus exiſtebat, ſtudioſiſſime perſcrutatus, omne quod ad laudem sereniſſimi noſtri Cæſaris, ſanctiſſimus Domnus Hadrianus Pontifex in Epiſtola ſui deceſſoris Arſenio Epiſcopo imminente adjecerat, reſecatum inveniunt. Quapropter epiſtolam Sedis Apoſtolicæ fraudulenter corroſam, ſummis clamoribus conqueruntur, fatentes ſe nullo modo ſynodalibus actionibus ſubſcripturos, niſi totius epiſtolæ integritas geſtis ſynodicis jungeretur, hoc modo Romanis certantibus, Græcis vero, non eſſe in ſynodo de laude Imperatoris, ſed de ſolius Dei tractandum altiſone reſpondentibus, nomenque Imperialis noſtro Cæſari penitus invidentibus. Tandem ad hoc uſque perventum eſt, ut interpoſita conditione voluntatis Apoſtolicæ, diffinitis ſententiis minus finite ſubſcriberent, ita legentes. Ego ille vices agens Domini mei ſanctiſſimi, & univerſalis Hadriani Papæ in hac ſancta ſynodo præſidens uſque ad voluntatem ejuſdem eximii Præſulis ad omnia, ut ſuperius legitur, conſenſi, & manu propria ſubſcripſi, quæſtionem ſcilicet ad Apoſtolicæ ſedis arbitrium remittentes. Finita nihilominus ſynodo, Græcorum plurimi querelas ad Imperatorem ob eam cauſam detulerunt, quaſi totius ſynodi auctoritatem ſibi libelli ſubſcriptione, Apoſtolica ſedes uſurpaſſet, ut ibidem idem Gulielmus Anaſtaſii continuator adnotat, de quibus idem Anaſtaſius, qui illic tamquam Ludovici Imperat. legatus aderat, hæc ad dictum libellum adnotavit.

De Hadriani epiſtola Græcorum cum latinis concertatio.

Seſſio prima ejuſque geſta. pag. 978.

5. Igitur *anno tertio conſulatus*, ſeu Imperii *Auguſtorum Baſilii, & Conſtantini indictione tertia menſis Octobris, die quinta, feria quarta*, propoſitis vivificis lignis, & Evangeliis in Templo S. Sophiæ. *Poſtquam omnes* (Græci ſcilicet Epiſcopi) *chyrographa ſua fecerunt, & teſtibus roborata tradiderunt, ſurrexerunt quidam eorum, & ad ſanctiſſimum Patriarcham Ignatium, atque ad Baſilium Imp. accedentes ſecreto dixerunt, non bene factum fuiſſe, quod Eccleſiam CPolitanam tanta ſubjectione ſubdi Romanæ Eccleſiæ permiſerint, ita ut hanc ei tamquam Dominæ ancillam tradiderint.* His verbis Imperator commotus, iis, qui legatis Rom. Eccleſiæ ſervitio

tio deputati fuerant, ut furtim chyrographa ab Græcis Episcopis tradita auferrent, jussit. *Quare Custodes fures facti, penetrantes domum quamdam partem clanculo ex numerosi illis chyrographis abstulere*, dum legati domo abessent. *Quo Vicarii reversi comperto, talia inter cetera Imperatori dixere*. Nos quidem Romam ob amissa *chyrographa redire non audebimus, tu tamen inchoatæ pro Ecclesiæ statu pietatis, nihil omnino mercedis lucraberis*, quibus verbis Imperator motus, tandem chyrographa iisdem reddi præcepit, ut ibidem narrat Anastasius, addens eadem chyrographa sibi tradita ad Hadrianum una cum Codice, quo synodi gesta continebantur, detulisse. *Ac per hoc factum est*, subdit, *ut sedes Apostolica, Deo auctore, Codicem a synodo per nos susciperet, & libellos missis quidem a nobis redditos, sed per nos salvatos haberet, quos nimirum si Missi penes se retinuissent, ut Codicem synodi, & cetera scripta proculdubio perdidissent, cum ut supra narravit*, iidem Rom. sedis legati, dum Dyracchio navim ingressi Anconam peterent, *In Sclavinorum piratas incurrentes, omnia, quæ possidere videbantur penitus amiserunt, simul & Codicem actionum præsentis synodi*. Sed de his hactenus.

Jesu Chr. an. 869.

6. Nunc propius ad ipsa synodi acta accedimus. Igitur *anno tertio consulatus*, seu Imperii, *Augusto rum &c. Indictione tertia, mense Octobris, die quinta, feria quarta, propositis pretiosis, & vivificis lignis, & intemeratis salutis nostræ evangeliis*, in dextris partibus Catecumenorum, ubi scilicet Catecumeni confiteri solebant. *Convenientibus Donato, & Stephano Deo amabilissimis Episcopis, & Marino venerabili Diacono, locum tenentibus Hadriani sanctissimi, ac beatissimi Archiepiscopi senioris Romæ, & Ignatio honorabilissimo Archiepiscopo magni nominis Constantinopoleos novæ Romæ, & sanctissimis vicariis orientis, Thoma videlicet sanctissimo metropolita Tyri, locum tenente sedis Antiochiæ, eo quod eadem viduata esset Ecclesia, & Elia Dei cultore Presbytero, & Syncello locum tenente Theodosii sanctissimi Archiepiscopi sedis Hierosolymorum. Deinde secundum jussionem amicorum Christi, & piissimorum magnorum Imperatorum nostrorum Basilii, & Constantini, præsentibus, & audientibus laudabilissimis Patriciis, videlicet Teodoro laudabilissimo Patricio, & Præposito Hemerio &c.* aliisque, quorum ibidem nomina leguntur. His itaque congre-

Hadriani legati synodo præsunt.

JESU CHR. AN. 869.

gregatis, Apostolicæ sedis legati, qui synodo præerant, & Ignatius Patriarcha; ut in synodum Episcopi, qui Ignatio hactenus communicaverant, quique pro veritate, ejusdemque restitutione laboraverant, admitterentur, jusserunt, qui numero duodecim tantum fuerunt, quorum nomina ibidem inscripta sunt. Horum autem numerus in sequentibus sessionibus auctus est, cum ad synodum accesserunt plurimi, qui Photio vel sponte, vel vi coacti, aut cum eo communicaverant, aut ordinati ab eo fuerant, quique oblato pœnitentiæ libello, ac subscribentes scripto ab Hadriano CPolim missо gradatim excepti sunt, quare Anastasius ad actionem quintam appositе hæc adnotavit. *Nota quod per singulas actiones paulatim multiplicetur numerus Episcoporum, quoniam cum in principio synodi non omnes sunt in urbe reperti, tunc solum recipiebantur in synodali Conventu, cum singulos a suis Ecclesiis venientes Romanum libellum propria manu scripsisse patesceret.* Tum ad subscriptiones in Actione X. factas ait: *non te scandalizet subscribentium paucitas, quia dum Photius diu tyrannidem exercuisset, & in loca eorum fautores suos tantummodo provexisset, quorum nullus in hac synodo est receptus, isti soli ex priorum Patriarcharum consecratione susceptibiles sunt inventi. Verum quotquot sub Nicolao, & Hadriano summis Pontificibus, Episcopi fuerunt, hujus synodi sensui consenserunt, licet hæc paucitas gregi illi pro sui justitia compararetur, cui Dominus dicit, nolite timere pusillus grex.* Synodo enim Episcopi tantum centum & novem subscripsere. Nicetas autem scribit, adfuisse tantum Episcopos 102., non numerans tres Romanos Legatos, nec Legatos triam Orientalium sedium, nec Ignatium Patriarcham, quia hos omnes tamquam synodi Præsides habuit.

De Episcoporum numero.

7. His de Episcoporum numero adnotatis, acta prosequimur, ac primo rogati sunt Apostolicæ sedis Legati, ut mandatum offerrent, id quidem primo recusarunt, at tandem ratione accepta litteras Hadriani Papæ obtulerunt, quæ primum latino sermone, uti scriptæ erant, lectæ sunt a Marino diacono Sedis Apostolicæ uno ex Legatis, quæ a regio interprete translatæ, græce auditæ sunt legi, quibus lectis, & ab Ignatio Patriarcha, & reliquis Episcopis Deo pro tanto beneficio per Romanum Pontificem impertito, gratiæ redditæ sunt. Posthæc ab Apostolicæ Sedis Legatis jussæ sunt legi

Legati Apostolicæ sedis mandatum exhibent.

Bar. num. 15.

legi Legatorum Patriarchalium ſedium Orientis litteræ, quas ab ipſis Patriarchis acceperant. Pro Patriarcha autem Antiocheno (eo quod ſedes illa vacaret) ſatisfecit, qui aderat Elias Tyri Epiſcopus, tenens locum Patriarchæ, ſede vacante CPoli, qui venerant ante ferme biennium, ut in actione quinta inferius narratur. Lectæ ſunt etiam litteræ Theodoſii Hieroſolymorum Patriarchæ ad Patriarcham Conſtantinopolitanum redditæ, quarum eſt exordium: *Honorabiliſſimis & cultu digniſſimis litteris &c.* ex quibus quædam, quæ pertinent ad præſentem ſtatum ejus eccleſiæ intelligendum, hic deſcribenda ſunt; ex illis quippe conſtat, Hieroſolymorum Eccleſiam ſub Saracenorum jugo poſitam hoc tempore aliquali pace frui, non ſine tamen trepidatione, ne aliqua levi occaſione ab hoſte Chriſtianæ religionis arrepta perturbaretur. De quibus inter cetera hæc habet: *Noſti autem utique, ſanctiſſime, cauſam ob quam neque ſcribere neque mittere potuimus ad vos, ne forte fieremus penes poteſtatem quæ nos tenet, exiſtimationis malæ, vel ſuſpicionis. Etenim multam benevolentiam, & compaſſionem oſtendunt in nos, licentiam nobis præbentes ædificandi Eccleſias noſtras, & tenendi ſine prohibitione mores noſtros, juſſe agentes, & in nullo nobis injuriam, vel violentiam inferentes.* Et paulopoſt, quo prætextu, vel colore miſerit Legatos ad Synodum ita declarat: *Noſti autem utique, ſanctiſſime, quia multa temeritate, & auſu hos tranſmiſimus præcipitanter, & audacter ad ereptionem quaſi quorumdam Saracenorum apud vos in cuſtodia conſiſtentium. Precamur igitur & rogamus, ut loquaris ad aures a Deo coronati piiſſimi domini noſtri, quod donet nobis quotquot voluerit magnificæ ejus dominatio Saracenos, ad ſatisfactionem noſtrorum, & inſuprascriptam repræſentationem meorum, quinimo & ſalutem noſtram, & tegmen omnium noſtrum. Si enim tam ab Imperiali, quam a veſtra providentia non fuerit hoc taliter ordinatum, pavor non modicus erit in omnimodam perditionem noſtram, cum opportunitatem invenerint.* Sed, quæ idem ad eumdem Ignatium munera mittat, ex eadem ejus epiſtola ſic accipe. *Interea ſperans penes ſacratiſſimam, & ſolerſiſſimam affectionem tuam impetrare quæ cordi ſunt, poderem & ſuperhumerale cum mitra, pontificalem ſtolam ſancti Jacobi Apoſtoli, & fratris Domini primi Archiepiſcoporum*, Hieroſolymorum ſcilicet, *qua anteceſſores mei Patriarchæ circumamicti,*

JESU CHR. AN. 869.

mitti, semper in Sancta Sanctorum ingrediebantur sacerdotio fungentes, videlicet sanctam memoriam Vitæ, Resurrectionis scilicet, *& sanctum coluere, qua & ego indutus sum eamdem gerens, tuo desiderabili & honorando mihi capiti, ex amore & dilectionis copia transmisi, quatenus sanctifica suavitate, ac tactu sanctorum locorum, utpote dignus perfruaris. Simul autem & sacrum vas Cymiliorum sanctæ Resurrectionis, craterem argenteum cum imaginibus interfatilem transmisi.* Hæc munera missa sunt per Eliam Syncellum Legatum, una cum Thoma Archiepiscopo Tyri.

Synodo adstantes libello Apostolicæ sedis subscribunt.

8. Post hæc autem ab Apostolicæ sedis legatis oblatus est libellus, cui universi Episcopi, Sacerdotes, clerici, & monachi subscribere debebant, antequam reciperentur, quo cunctas hæreses execrati, & inter alia Iconomachiam, anathema Photio dicere compellebantur, donec sedis Apostolicæ mandatis paruissent, actaque conciliabuli contra Sedis Apostolicæ reverentiam congregati, eodem anathemate complecti fatebantur, ac etiam synodos ab Nicolao, vel Hadriano successore in causa Photii, & Ignatii celebratas amplecti, ac subscribere debebant, ut ibidem, vel apud Baronium videre est.

Conc. tom. 8. pag. 988.

De legitima Photii damnatione synodi sententia.

9. Lecto libello, & rogata de eo Synodi totius sententia, omnium una voce ipse laudatus atque probatus est. Lectaque est definitio Legatorum Antiochenæ, & Hierosolymitanæ Ecclesiarum ante Legatorum Apostolicæ Sedis adventum habita Constantinopoli, cum morantes diu venire ab Urbe Legatos haud diutius expectare haberent in animo, cum jam (ut Anastasius ait) annum integrum illic morati essent, & discessionem pararent. Porro eorum definitio non alia fuit, nisi ut in omnibus obediretur Nicolai Papæ decretis. Quibus omnibus a plena Synodo comprobatis, ab eodem Patricio Bahane rogatio facta est, ut edisserent Apostolicæ Sedis Legati, quomodo Nicolaus Papa absentem Photium condemnasset. Satisfecerunt Legati, recensentesque res gestas ab expulsione Ignatii usque ad Romanum Concilium, omnia recte, riteque, & auctoritate legitima facta esse monstrarunt. Pariterque rogati Legati sedium Patriarchalium, cur venientes Constantinopolim, Photium non convenerint, sed ut execrabilem habuerint, responderunt & probaverunt, quod numquam ab ulla Patriarchalium sedium Orien-

Orientalium eum receptum certo ſcirent, ſed & damnatum a Romano Pontifice. Ex quorum reſponſione redargutum eſt falſitatis ipſum Conciliabulum Photii adverſus Romanum Pontificem Nicolaum, cui mentitus fuit interfuiſſe, & ſubſcripſiſſe Legatos ſedium patriarchalium Orientis. His abſolutis, ſecutæ ſunt acclamationes in Synodis fieri conſuetæ, & primæ Actioni finis impoſitus eſt. JESU CHR. AN. 869.

10. Die ſeptima ejuſdem menſis Octob. & Indict. tertiæ, iidem qui ſupra Patres, iiſdem ſacris ritibus ad locum Synodi convenere, ubi auditi ſunt pro foribus ſtare quamplurimi Epiſcopi, qui olim vel a ſancto Methodio, vel ab Ignatio ordinati, ab eodem Ignatio receſſerant, ſecuti Photium alienæ ſedis invaſorem, iique in ſynodum ingreſſi, libellum obtulerunt, in quo, ipſo ferme exordio, de Photio dolentes ſe ſubdole ſupplantatos fuiſſe dixerunt: *Erat vir alia quidem loquens, & alia cogitans, & operam dans mendacio, ſemper proponebat bona, deveniebat autem ad mala, & erat potens ad ſuperandum & decipiendum, ut non ſit factus talis, nec fiet ullus hominum. Unde cum talis eſſet ſupplantavit nos &c.* Innumera alia addentes in deteſtationem ejuſdem, dicentes pariter ab eodem Photio mendaciter aſſertum, ſedes Patriarchales cum ipso ſentire in depoſitione Ignatii Patriarchæ, ſicut etiam cum in Nicolaum Papam jaculatus eſſet anathema, mentitus eſt, ſedes patriarchales ab ipſo ſtare: ſed & quod in eos, qui ipſius mendacium detexerunt, haud mediocrem exercuerit crudelitatem, flagris, exiliis, proſcriptionibus, atque carceribus, aliiſque pœnis, ſuperius ſuo loco & tempore recenſitis, eos ſubjiciens. Quibus auditis, & interrogatis an libellis ab Eccleſia Romana Synodo miſſis ſubſcriberent, libenter conſenſerunt. Impoſitique ſunt illi ſuper lignum ſanctæ Crucis, & ſancta Dei quatuor Evangelia, unde ſumentes illi, & eorum Patriarchæ Ignatio offerentes, ab illo ex conſenſu Synodi ſuper ipſis humeralibus impoſitis, recepti ſunt in Eccleſiam. Simili modo qui poſt hos ad pœnitentiam ſequuti ſunt Presbyteri, & Diaconi, pariter eadem ratione ab Ignatio Patriarcha Eccleſiæ reconciliati ſunt, redditis eis orariis, tamquam inſignibus. Poſt hos ultimo loco ſubdiaconi etiam pœnitentes recepti ſunt, omnes (ut continet eorum libellus) rogantes admitti per interceſſionem Episcoporum querelæ adverſus Photium.

JESU CHR. AN. 869.

sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, & sanctorum Apostolorum & sanctissimi, ac beatissimi Papæ Nicolai &c. Aliqualis nihilominus lapsis pœnitentia ab synodo imposita est, ut scilicet usque ad Nativitatem Domini ab offerendo sacrificio Sacerdotes abstinerent, ut a carnibus ii abstinerent, usque ad id temporis, qui iis utebantur, qui vero carnibus abstinebant, ab ovo & caseo quarta, & sexta feria abstinerent, & ut singulis diebus sextum, & trigesimumseptimum psalmum, cum aliis precibus recitarent.

Pœnitentia iis imposita; qui ad ecclesiæ unitatem redierunt.

Sessio tertia.

11. Tertia actio quinto Idus octobris habita est, die scilicet undecima, qua cum iidem convenissent, nonnulli adfuerunt Episcopi, & Archiepiscopi, qui libellum a Romano Pontifice missum susciperé, eique subscribere recusarunt, ex iis Theodotus Metropolitanus Ancyræ, & Nicephorus Niceæ Metropolitanus, qua de causa nequaquam recepti sunt, ac jussu legatorum sedis Apostolicæ, Basilii Imp., & Ignatii, epistolæ ad Nicolaum Pontificem datæ, ac ab Hadriano acceptæ, & Hadriani Papæ litteræ ad Ignatium lectæ sunt, iisque peractis tertiæ actioni finis impositus est.

Sessionis quarræ gesta.

12. Tertio iduum octobris, seu die 13., duo ex parte Photii Episcopi Zacharias, atque Theophilus introducti sunt; uterque ex illis quatuor, qui olim una cum Barsa Legato Michaelis Imp. legatione functi sunt nomine Photii ad Nicolaum Romanum Pontificem, qui cum mendaciter jactarent, tum ipsos, tum Photium a Nicolao Papa receptos, ut audirentur a Synodo, Senatores, qui aderant expetierunt, ac etiam Photius ipse, si vellet, audiri deberet: repugnantibus autem Apostolicæ Sedis Legatis, utpote quod sententia Romanorum Pontificum condemnati audiri iterum non deberent, ex indulgentia tamen jussi sunt in Synodum ingredi, & ultimo loco stare. Qui cum ab ipsis Legatis, præcipue vero a Marino diacono, qui præsens fuit, auditi sunt dicere a Nicolao Pontifice Photium receptum, manifesti mendacii, litteris Nicolai convicti sunt, cum patefactum sit, Photium numquam a Nicolao receptum, sed sæpius condemnatum. Quibus lectis, & Legatis Patriarchalium Ecclesiarum interrogatis, an ab illis Photius fuerit aliquando receptus, negantibus illis omnino, foras missi sunt cum dedecore, tamquam mendaciorum opifices, pseudoepiscopi Theophilus & Zacharias; Metrophanes vero Smyrnensis Archie-

chiepiſcopus coram omnibus teſtatus eſt, ſe ea de cauſa ſeductum a Photio, quod ille ſceleſtus aſſereret, receptum ſe a Romano Pontifice, & omnibus Patriarchis. Sed quo prætextu illi ſe cum Nicolao Pontifice communicaſſe jactarent, in fine Actionis ejuſdem redditur manifeſtum; nimirum quod Romanæ Eccleſiæ conſuetudinis eſſe dicerent, nullum peregrinum Epiſcopum permitti in ſancti Petri baſilicam introire, niſi Fidei libello prius oblato, cum hoc ipſi feciſſent, ſatisfactum putarunt, ut dici poſſent communicaſſe cum Nicolao Pontifice. Imo & cum alium dediſſent libellum, quo declararent, atque jurarent, ſequuturos ſe omnino Apoſtolicæ Sedis judicium: nec ſic quidem admiſſi ſunt cum aliis Epiſcopis ad communionem, eo quod ab eo miſſi eſſent, qui thronum invaſiſſet alienum. Peractis his, finis impoſitus eſt cum acclamationibus ex more quartæ Actioni. JESU CHR. AN. 869.

13. Poſt hæc autem die decima nona ejusdem menſis Octob., eadem tertia Indict., rurſum ex inſtituto coeunt Patres ritu ſolemni, cum Photius ipſe præcepto Imperatoris juſſus eſt invitus accedere. Quem ut laicum, per laicos vocari voluerunt Apoſtolicæ Sedis Legati, non per Epiſcopos. Quibus Photius ſe invitum adduci conteſtatus eſt, & ſilentium ſervaturum, illud Davidicum male uſurpans: *Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: Poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator adverſum me.* Ad quem S. Synodus hæc ſcriptis denunciari mandavit ingredi detrectantem: Quia opera tenebrarum habens in temetipſo, formidaſti ſanctam, & univerſalem Synodum, quæ in lumine veritatis eſt congregata, ne manifeſtareris divulgatus per eam, quemadmodum ſanctum perhibet Evangelium: Quia omnis qui prava agit, odit lucem, ut non arguantur opera ejus. Sed ſcriptum eſt: In chamo & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Quibus auditis, Photius, rurſus vim conteſtatus, eſt introductus, & in medio conſtitutus, juſſuque S. R. E. Legatorum interrogatus, an ſuſciperet conſtituta SS. Patrum? Non, reſpondit. Et a Legatis ipſis quæſitus, utrum reciperet conſtituta Roman. Pontificum; nec verbum ullum reſpondit: ſed ut ille, qui ſine veſte nuptiali inter alios convivas inventus, compellatus obmutuit, ac præ confuſione conticuit, vafreque verba repreſſit. Etenim ſi ea recipere dixiſſet, quibus ſe ſciret eſſe damnatum, Photius synodo adesse compulsus quid aperit.

JESU CHR. AN. 869.

tum, contra ſeipſum manifeſte ſententiam promulgaſſet. Sed cum affirmare in damnum ſuum non acquievit, tamen nec auſus eſt negare, & ea ſe non recipere profiteri, quod probroſum adeo ſciret ſibi fore, & ab aliis deteſtandum. Sed vaſer ille, Chriſti imitationem prætexens, ea auſus eſt velare turpitudinem ſuam de affectato ſilentio, affirmans ſe Chriſti exemplo tacere, cum judicaretur. Sic infelix, vel ſilentio, vel compoſitis, & comparatis ex divina Scriptura verbis, Synodum ſe eludere poſſe exiſtimavit, eluſus ipſe, atque confuſus, cum ibi contra ſe recitatas audivit epiſtolas Nicolai, cujus voluntate ſe patriarchatum conſecutum eſſe, mentitus fuerat, ſicut de communicatione aliarum ſedium Patriarchalium falſo olim fuerat gloriatus, teſtimonio earumdem ſedium Legatorum ibi in Synodo redargutus, & numquam ab eis receptum. Cum igitur ſic undique convictus ille, & condemnatus haberetur, tempus tamen ad reſipiſcendum a Synodo reo benigne impertitum eſt, ſed ipſe recuſavit accipere. Quo foras ejecto, abſoluta eſt cum ſolitis acclamationibus Actio quinta.

Sessio sexta Photii causa agitur.

14. Sexta vero celebrata eſt vigeſima quinta menſis Octobris, cui intereſſe voluit Imperator, atque primum peroravit in ea Metrophanes Metropolitanus Epiſcopus Smyrnæ, cujus abſoluta oratione, Legati Apoſtolici ab Imperatore petierunt non retractari, ſed executioni mandari, quæ contra Photium tyrannum definita fuiſſent. Relectæ ſunt litteræ Nicolai damnationem Photii continentes, idemque aſſeruerunt duarum Patriarchalium ſedium Legati, iterum coram Imperatore teſtantes, numquam ab ipſis Photium fuiſſe receptum. Admiſſis autem in Synodum Epiſcopis, qui erant ex parte Photii, auditis litteris Nicolai, & aliis propoſitis contra Photium a cæteris Patriarchis, interrogans Imperator Epiſcopos Photii, ſi acquieſcerent adeo manifeſto, atque toto cælo patenti judicio, totius orbis Eccleſia comprobato: negantibus illis, atque petentibus licere ſibi defendere Photium, ex eis unus, Zacharias nomine, Chalcedonenſis Episcopus prolixa oratione, ſed vacua ratione conatus eſt Photii damnati ſæpius cauſam tueri, in qua ubi putaret, quod cardo totius controverſiæ moveretur, probare in primis conatus eſt, juſtam fuiſſe Ignatii depoſitionem, ut quoquo modo poſt eum potuiſſet Photius ſubrogari: ſed nequidquam hoſtis invenit, quod in Ignatium effutiret.

tiret. Porro eidem satisfecit, respondens omnibus, & redarguens singula ab eo proposita vana argumenta Metrophanes Metropolitanus Episcopus Smyrnæ. Cum vero nec sic ille cederet veritati, nec admonitioni acquiesceret Imperatoris, exprobrante eo adhuc ipsis Photii Episcopis, eos, sicut ipsum, ex laicis & curialibus ab eo ordinatos, ex Patriciis videlicet, Protospathariis, Spathariis & Stabulariis esse creatos Episcopos: illis vero nihilominus resistentibus, & abutentibus tanta Imperatoris clementia: Legati Apostolicæ Sedis repressérunt hominem jam excommunicatum in Synodo loqui præsumentem, hoc nec ipsi, nec ejus similibus excommunicatis licere, post sententiam latam, sed tantum oblatum si velint accipere libellum ab Ecclesia Romana, & sic veniam petere. Negantibus autem iis, Imperator eos, ut tandem resipiscerent, seque synodi sententiæ submitterent, longa oratione hortatus est, hæc inter cetera sapienter adnotans. *Vos principali manu synodos inordinatas soli ac singulariter sine Patriarchalibus thronis facientes, sanctas vocare ausi estis, & huic præsenti, quæ ab omnibus Patriarchalibus thronis celebrata est, Dei cooperatione ac gratia, qui Imperium nobis commisit, detrahere non erubescitis. Utique nostis, & vos, & universitas, quæ sub Cælo est, quia protectione veri Dei nostri quinque Patriarchæ orbis terrarum recta sentiunt, & non est læsio fidei, & ideo quidquid judicant, necessario debetis recipere.* Hæc, & alia plura ad contumaces Photii patrocinatores, sed frustra, nam sicuti in psalmo legitur. *Exemplo aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet voces incantantium, & venefici incantantis sapienter*, ipsi in sua obstinatione obdurauerunt.

Jesu Chr. an. 869.

gag. 1056.

psalm. 57.

15. Sequitur sessio septima quarto Kal. Novembris celebrata, seu die 31. qua cum Imperator adesset, introductus est iterum *Photius baculo innixus, & cum eo Gregorius Syracusanus: Marinus Deo amicissimus Vicarius dixit: Tollite baculum de manu ejus: signum est enim dignitatis pastoralis, quod hic habere nullatenus debet, quia lupus est, & non pastor.* Eo dempto, jubetur ab ipsis Apostolicæ Sedis Legatis rogari Photius, si pœniteat, & paratus sit offerre libellum. Cum ille pervicax Legatos ipsos potius pœnitere debere respondit; quare maxime est redargutus a Legatis duarum sedium Patriarchalium. Post hæc autem intromissi sunt

Sessio septima.

JESU CHR. AN. 869.

sunt Episcopi partis Photii, rogatique de libello pœnitentiæ dando, at ii obstinatiores quam antea reperti sunt, adeo ut Imperator his eos verbis statuit compellandos: *Dicite unde estis? De cælo estis? an de terra, in qua nos degimus? Et ostendite ab hac hora: Quis sive hæresis mota est, sive schisma emersit in qualibet parte, & sensit aliquis extra quatuor Patriarchia, & salvatus est? & audio vos hodie. Quatuor Patriarchia, imo vero quinque condemnatione condemnant vos. Quid vobis videtur ad hæc? est qui adjuvet vos? dicite.* At illi stulte provocantes ad Canones, Synodi judicium conati sunt subterfugere. Tunc Apostolicæ Sedis Legati repetitum a Romano Pontifice Nicolao judicium recitari voluerunt, quo secundo eumdem Photium condemnavit, missum Constantinopolim per epistolam ad Archiepiscopos, & Episcopos, & Clerum Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quæ incipit: *Ea, quæ nuper Constantinopoli gesta sunt &c.* postea vero jussæ sunt legi epistolæ Hadriani superius recitatæ, quibus confirmavit ipsius Nicolai prædecessoris contra Photium acta. Inde vero recitatæ sunt res gestæ in Concilio Romano sub eodem Pontifice Hadriano, in quo novissimum Photii conciliabulum contra Nicolaum Pontificem damnatum est, igni comburendum, similiter & Photius, & omnes qui subscripserunt: erant acta illa tribus distincta allocutionibus Hadriani ad idem Concilium habitis. Inde vero lecta est a Niceta Archidiacono Legatorum Sedis Apostolicæ admonitio ad Synodum, ut contra Photium, ejusque sectarios decreta executioni mandentur: postea vero secuta est declamatio Ignatii Patriarchæ ad Synodum facta contra eumdem Photium, Dei beneficia facta in se recolendo, cum post tot passiones & perturbatioues Deus respexerit sua misericordia in ipsum. Sic enim est exorsus: *Fratres, & filii dilecti, rogo vos ego humilis Pontifex vester considerare, & conspicere, completum esse maxime nunc eloquium Scripturæ, quod habet: Aspicite ad antiquas generationes, & videte, Quis credidit Domino & confusus est? Vel quis permansit in timore illius, & despexit eum?* & post nonnulla conversus ad Photium: *Ecce*, inquit, *homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua &c.* absoluta autem hujusmodi cum gratiarum actione proclamatione, per Stephanum Archidiaconum

JESU CHR. AN. 869.

conum in fine hujus Actionis ejusmodi anathematismi in Photium adstantem sunt recitati, & (ut addit Anastasius in notis) ex Romano Concilio sub Hadriano. *Photio Curiali, & Invasori Anathema. Photio sæculari, & forensi Anathema. Photio neophyto, & tyranno Anathema. Photio schismatico, & damnato Anathema. Photio mœcho, & parricidæ Anathema. Fabricatori mendaciorum Anathema. Inventori perversorum dogmatum Anathema. Photio novo Maximo Cynico Anathema. Novo Dioscoro Anathema. Novo Judæ Anathema. Omnibus sequacibus, & fautoribus ejus Anathema. Gregorio dudum Episcopo Syracusano Anathema. Eulapio depositio, & schismatico Anathema*: Hæc sequuta sunt acclamationes plenissimæ dictæ Imperatori, Imperatrici, Romanis Pontificibus Nicolao, & Hadriano. Nicolao in hæc verba: *Nicolai beatissimi Papæ Romani æterna memoria. Novi Phinees æterna memoria. Novi Danielis æterna memoria: Novi Martini æterna memoria.* Et Hadriano ejus successori sic acclamatum est: *Hadriano sanctissimo Papæ Romano multi anni. Interemptori novi Simonis multos annos. Percutienti novum menducem Ananiam multos annos.* Ignatio etiam acclamatum est & Legatis Apostolicæ Sedis, atque cæterarum sedium Patriarchis. His Nicetas in vita Ignatii addit Episcopos, ut Photii damnationi subscriberent, calamum in sacrum Christi sanguinem intinxisse, quod etiam in condemnatione Pyrri Monothelitæ Romæ factum fuisse supra adnotavimus. At cum de his, nihil in actis, etsi integra superstint, occurrat, hæc Nicetæ narratio incerta redditur, sicuti, & suspectam diximus eamdem subscriptionem in Pyrri condemnatione factam.

Octavæ sessionis gesta.

16. Octava sessio die quinta novembris ejusdem indictionis tertiæ, iisdem ritibus, quibus antea factum fuerat, præsente Basilio Imp. celebrata est, cui cum Imperator suggessisset, ut chyrographa, quæ ab omni hominum genere Photius extorserat, incenderentur, una cum scriptis ab eo voluminibus contra Nicolaum Pontificem, ac cuncti Basilii Imp. consilium probassent, tunc positum est in medio synodi vas æneum plenum igne, & delati sunt in marsupio a Theophylacto reverendissimo diacono, & Referendario omnes tomi chyrographorum, qui exacti sunt a Photio ab omni sacro catalogo, & omni ordine clericorum tam magnæ Ecclesiæ, quam earum, quæ foris sunt, quamque etiam in magnis

JESU CHR. AN. 869.

& parvis, & omnibus senatoriæ dignitatis, & cunctis aliis tam illustribus, quamque ignobilibus, atque his qui in omni arte, ac disciplina & diverso studio esse videbantur, usque ad pellarios, & pisces vendentes, & lignarios, & acus facientes. Insuper, & libri, qui ficte conscripti sunt contra beatissimum Nicolaum Papam, & gestorum relationes, ac Synodi, quæ contra sanctissimum Patriarcham Ignatium factæ sunt a Photio. Et accipiens Georgius reverendissimus Orphanotrophus singulos libellos, & tomos, tribuit hominibus utrorumque scriniorum Vicariorum, qui miserunt omnia in ignem, & cremata sunt, & redacta in nihilum. Posthæc autem introducti in Synodum Petrus, & Basilius, quos Photius finxerat in suo Conciliabulo attulisse libellos ab Urbe Roma adversus Nicolaum Pontificem, qui interrogati, negaverunt omnino. Sed & fallarius ille, qui in eodem conciliabulo suppositus erat Leontium quemdam, subscribentem tamquam Apocrisarium Patriarchæ Alexandrini, introductus iste in medium, negavit omnino se fuisse Apocrisarium, vel subscripsisse, sed tantum ab eodem Patriarcha litteras accepisse ad Imperatorem. His detectis Photii subdolis impostoris, a Legatis Apostolicæ Sedis jussus est legi canon Concilii Romani sub Martino Papa adversus hujusmodi impostores, ut non recipiantur ad pœnitentiam nisi in fine vitæ. His absolutis, introducti sunt Iconomachi, quorum caput Theodorus, Christinus dictus, qui negavit se colere imagines sacras, & quod non inveniretur esse Christi præceptum: cui responsum est, præceptum Christi id esse, quod ab universa Catholica Ecclesia definitum fuerat. Illo autem in impietate perseverante, duo alii Iconomachi, Nicetas clericus, & Theophilus laicus pœnitentes ad Ecclesiam rediere, quos Imperator ad osculum susceptit. Et prolatis in Iconomachos anathematismis, repetitisque iterum iisdem in Photium, collaudato ex more acclamationibus Imperatore ab universa Synodo, finis impositus est octavæ Actioni, ultimæ anni hujus dicta die quinta Novembris; reliquæ autem duæ aliæ Actiones sequenti anno sunt celebratæ, quæ ne discrimine temporis, ab aliis divisæ in volumine remanerent, cum eædem omnes sint unius ejusdem Concilii Actiones, hic eas superioribus jungere, conveniens magis, & opportunum visum est.

Nona actio

17. Sequenti igitur anno Redemptoris octingentesimo

JESU CHR. AN. 869. octavæ Synodi.

simo septuagesimo, duodecima mensis Februarii, in eumdem locum, in quo aliæ habitæ sunt ejusdem Concilii superiores sessiones, convenere Patres. Ubi cæremoniis consueto ritu præmissis, ad rerum gerendarum tractationem devenientes, primum omnium in sanctam Synodum introire jussus est Legatus, qui nuper advenerat missus a Patriarcha Alexandrino Michaele. Qui autem functus est ea legatione Joseph nomine, Archidiaconus erat ejus Ecclesiæ, qui ubi in sanctam Synodum ingressus est, suæ legationis protulit legendas litteras, quibus probe cognitis, inventus est revera esse Legatus. Idemque præcognitis, quæ in Synodo octo Actionibus acta fuerant, omnia rata habuit, & confirmavit. Post hæc introductis falsis testibus, qui suasione Photii, & compulsione Michaelis Imperatoris contra Ignatium falsum dixerant testimonium, primus fuit Theodorus Protospatharius, qui auditus est, inde Leo Consul, & post hos alii nobiles magistratus, qui Michaelis Imp. jussu confessi sunt contra Ignatium falsa juraſſe; quorum hæc nomina, Eustachius regius Spatharius candidatus, Constantinus regius Spatharius, Basilius regius Mandator, Photius Spatharius, & factus Chartularius militaris Logothesii, Paulus regius Scriba, Christophorus regius Spatharius, & Secundus vulgi Prasinorum, Anastasius dudum diaconus, Marianus Vestitor, & factus Epoptes, Constantinus Chartularius, Arsabir regius Candidatus functus prima legatione a Michaele ad Nicolaum Pontificem, & Constantinus regius Protospatharius: omnes autem jurati testes contra Ignatium, utpote falsa testati coram plena Synodo de perjurio confessi sunt, & pœnitentiam a Legatis Sedis Apostolicæ, & universa Synodo acceperunt, quænam hæc autem fuerit, ibidem descripta est verbis istis. *Definimus, & promulgamus hos per septem annos Epitimium habere: esse illos duobus annis extra Ecclesiam, & aliis duobus intra Ecclesiam audire divinas Scripturas usque ad catechumenos, non tamen ullo modo communicare, sed abstinere a carnibus, & vino quatuor annis præter Dominicos dies, & Dominicas festivitates, & aliis tribus annis stare cum Fidelibus, & mereri divinam communionem in solis Dominicis solemnitatibus cum eleemosynis, orationibus, atque jejuniis, ita ut tribus diebus hebdomadæ, secunda videlicet, quarta, & sexta feria abstineant a carnibus & vino.* Si vero

JESU CHR. AN. 869.

ejusmodi justissimam, uti fatebantur, constitutam pœnitentiam, accipientes petierunt, ut ob diuturnitatem temporis facultatem concederent Ignatio Patriarchæ eam dispensandi, scilicet ex legitima causa dispensandi. Qui annuentes concesserunt eidem Patriarchæ super oves suas pro rationis arbitrio dispensare. Quod autem alii plures ordinis senatorii ejusdem criminis falsi juramenti rei essent, sed non adessent, in aliam Actionem eorum cognitio dilata est. Post hæc autem suggestum est ab Apostolicæ sedis Legatis sanctæ Synodo de sacerdotii illustribus laicis, qui in urbe Constantinopolitana sacerdotalibus indumentis progredi consuevissent, & sacra facere tempore Michaelis Imper.. dum adhuc Photius Patriarcha esset, quorum tres ad Synodum sunt perducti, videlicet Marinus Spatharius candidatus, Basilius Spatharius, & Gregorius Spatharius. Qui interrogati confessi sunt, id quidem se Imper. jubente fecisse, mittenteque ad eos stolam Sacerdotalem ob ludum, nec ipsos solum eadem egisse, sed alios plures Spatharios, indutos sacerdotalibus vestibus sacris, uno ex illis Patriarchæ personam exprimente, & orationem super cæteros dante, & sacra faciente; & hi ad pœnitentiam reservati sunt, dandam illis in futura Sessione. In synodum deinde jussi sunt ingredi falsi vicarii, seu legati, quibus Photius contra Nicolaum Pontificem usus fuerat. Ex his fuerunt Leontius, Georgius, & Sergius, quorum Leontius Alexandrini Patriarchæ vices gerere finxerat; Georgius, & Sergius Antiocheni Patriarchæ legatos se esse simulaverant, qui palam falsitatem confessi, ac cuncta in synodo hactenus gesta comprobantes veniam obtinuerunt. Hisque huic nonæ actioni, pridie idus Februarii anno proximo 869. celebratæ finis impositus est.

Decima & ultima sessio celebratur.

18. Decima & postrema sessio die ultima Februarii feria tertia celebrata est, in qua præter nominatos sæpius ibidem clarissimos viros, præsentes fuerunt legati Ludovici Imp., & qui a Bulgarorum Rege missi fuerant, quorum nomina idem qui interfuit Anastasius in notis, seu scholiis ad dictam Synodum a se additis, ita recensет: *Hic similiter consederunt in dextera parte glorioſissimi Principes, & Apocrisarii perspicui Ludovici Imperatoris Italorum atque Francorum, videlicet Anastasius Deo amabilis Bibliothecarius Romæ, Suppo primus Contofanarierum & consobrinus uxoris ejus, & Eve rar-*

vardus præpositus mensæ ipsius, similiter gloriosissimi judices Michaelis sublimissimi Principis Bulgariæ Stastsfereo, Nesundicus, Vagarthus, Ilvefrannatabam, Prasiit, Zisunas, Campsis, & Alexius Sampsibunot. Quod autem in vita Hadriani nominatur Petrus ejusdem Regis Bulgarorum Legatus missus Constantinopolim, vel seorsum ab his missus est, vel unus ex iis, qui Bulgarico nomine scripti leguntur. Quod autem pertinet ad res hac Actione gestas, primum omnium jussi sunt legi Canones a Patribus constituti omnes numero viginti septem; quibus in primis Constantinopolitanæ Ecclesiæ opportunitatibus consultum est, nimirum de perpetuo conservandis, quæ a sanctissimis Romanis Pontificibus pro Ignatio contra Photium definita essent. Ut cultus sacrarum imaginum firmus consisteret. Ut quæ collata sunt Photio, & ipse in alios contulit sacra ministeria, nullius sint efficaciæ. Ne quis laicus in Episcopalem provehatur dignitatem, nisi in ordine Lectoratus annum unum, duos in Subdiaconatu, in Diaconatu tres, in Presbyteratu autem quatuor annos exegerit. Ut cunctæ res gestæ per Photium, potissimum in Nicolaum Romanum Pontificem nullius sint momenti. Ne sacras imagines anathematizati pingere audeant. Ne chyrographa ab Episcopis exigantur, nisi ex more tempore consecrationis; hac enim arte Photius suam roboravit tirannidem. Ut extorta per Photium hujusmodi chyrographa nullius sint roboris. Itemque, ne quis ante sententiam separetur a communione proprii Patriarchæ. Anathematizati etiam ibi sunt omnes cum Photio credentes duas in uno corpore esse animas, & ne Principum favore Episcopi eligerentur, & ne Episcopi Principibus, & Magistratibus, insolitis adularentur obsequiis jussum est, ut Metropolitanis sua dignitas, & jurisdictio servaretur aliis canonibus statutum est, sicuti & alia plurima ad ecclesiasticam disciplinam pertinentia, ut ibidem videre est. Jesu Chr. an. 869.

19. Post hæc autem, cum ad actorum subscriptionem ventum est, cum Apostolicæ Sedis legati rogassent, ut primo loco Basilius Imperator subscriberet, non acquievit; ut tamen ipsis in aliquo satisfaceret, post subscriptionem omnium Legatorum cunctarum Patriarchalium sedium, subscriptionem suam apposuit ante reliquos Episcopos cum additamento signi sanctissimæ Crucis, quod etiam Episcopi om- Subscriptio Imperatorum, & aliorum.

JESU CHR. AN. 869.

omnes ex more fecere, ut quæ ſuo loco inferius dicturi ſumus, oſtendent. Ipſi vero tunc ſubſcripſerunt Imperatores litteris Phœniceis ex cinnabrio ſignatis. Erat quidem magiſtratus in Imperio, cui cura Caniculi, cujus mentio fit in Synodi Actis, Chriſtophori ſcilicet præpoſiti Caniculi, dictus Proto a ſecretis. Porro vocem, Caniculi, exponit Anaſtaſius in ſcholiis ad Octavam Synodum, atramentum, ſive potius rubramentum, ex quo Imperatores litteras phœniceas exararent ſubſcribendo. Qui autem poſt Imperatores ſubſcripti nominantur Epiſcopi nonniſi centum, & unum ſunt, quibus legati Apoſtolicæ ſedis, & Patriarchalium ſedium ſunt addendi, uti jam ſupra adnotavimus.

Octava ſynodus inter Oecumenicas recenſita.

20. Sic igitur ſynodus iſta octava ordine, inter alias Oecumenicas recenſetur, ita ut in fidei profeſſione, quam tum Romani Pontifices, cum ceteri Epiſcopi in eorum ordinatione edebant, hanc quoque octavam ſynodum CPoli celebratam ſe recipere profiterentur, ut apud Garnerium in libro diurno Romanorum Pontificum videre eſt, ubi profeſſio ab electo in Romanum Pontificem fieri ſolita, legitur; quare rebus ſuis, ſeu potius eccleſiæ, ex rerum geſtarum ignoratione, non ſatis conſuluiſſe Julianum Cardinalem, adnotat Baronius, dum in concilio Florentino, ſeſſione ſexta Ferrariæ celebrata, cum Marco Epheſino de hac ſynodo verba faciens, Marco ſchiſmatico conceſſit, hanc ſynodum nullius ponderis fuiſſe, ac ut Marcus dixerat, ab Hadriano, & Joanne Pontificibus retractatam, de quibus plura ibidem addit, quæ, utpote ad alia properantes ſuo loco, ſeu cum de concilio Florentino ſermo fiet, explicanda reſervamus.

Garner. diur. Rom. Pontif.

Epiſtolæ ab ſynodo ſcriptæ.

Synodo abſoluta variæ ab eadem epiſtolæ ſcriptæ ſunt, quarum prima encyclica ad omnes Chriſti fideles, cujus exordium eſt: *Exultate Deo adjutori noſtro, jubilate Deo Jacob &c.* qua cuncta in ſynodo geſta exponuntur, hanc excipit epiſtola altera ad Hadrianum Pontificem, quæ incipit: *Opportunum eſt cum ſapientiſſimo Salomone nunc & nos clamare &c.* ac commendata Hadriani ſollicitudine in ſynodo congreganda, ut eam confirmaret his verbis precantur. *Igitur libenter oppido, & gratanter imitatrice Dei ſanctitate veſtra omnium noſtrum conventum, & univerſalis hujus atque catholicæ ſynodi conſenſum, ac conſonantem recipiente, prædica eam magis ac veluti propriam, & ſollicitius confir-*

concil. to. 8. pag. 1162.

ma

ma coangelicis præceptionibus, & admonitionibus vestris, ut per sapientissimum magisterium vestrum, etiam aliis universis ecclesiis personet, & suscipiatur veritatis verbum, & justitiæ decretum &c. Soluta autem synodo, Basilius Imp. cum filio suo Leone Augusto ad Patriarchales sedes litteras dedit, eisdem de synodo celebrata rationem reddens, & ut eam debita veneratione reciperent, admonens; de epistolis autem, quæ post Legatorum discessum, vel ab Ignatio, vel a Basilio scriptæ, ac synodi appendici insertæ sunt, inferius suo loco sermo occurret.

JESU CHR. AN. 869.

Basilii Imp. epistolæ ad sedes Patriarchales.

21. Dum octava hæc synodus CPoli celebraretur, ibidem Anastasium Rom. Ecclesiæ bibliotecarium cum Suppone Archiministro Ludovici Imp. legatum adfuisse, ex Anastasii continuatore supra adnotavimus, cujus opera, & auctoritate, Legati Hadriani Papæ libellos ab Græcis Episcopis subscriptos, ac sibi abreptos, recepisse diximus, quo etiam tempore de Imperatoris titulo, quo Ludovicus Imp. ab Hadriano Papa exornatus fuerat, disputatum fuit, ac ob eam causam Hadriani Papæ epistolam Græci mutilaverant: *Hoc modo Romanis certantibus*, ait Anastasii continuator, *Græcis vero non esse in synodo de laude Imperatoris, sed de solius Dei tractandum, aliisque respondentibus, nomenque Imperialis nostro Cæsari penitus invidentibus &c.* Quam apud Basilium Imp. causam tractandam Ludovicus Imp. Anastasio delegaverat, Annalista Bertinianus indicat, dum narrat a Basilio Imp. Patricium Biram, seu Barium missum fuisse, ut filiam Ludovici Imp. filio suo Constantino desponsatam reciperet: *Sed quadam occasione*, nobis ignota, filiam suam nequaquam dare voluit Ludovicus; eamdemque causam adventus sui CPolim indicat Anastasius in margine, ad actionem primam synodi his verbis. *Pro causa nuptialis contractus inter utrumque Imperatorem efficiendi aderamus*, & iterum in prefatione ad synodum octavam, Hadrianum alloquens, adnotat: *Cum hæc celebraretur venerabilis synodus, accidit me famulum vestrum missum a Ludovico pissimo Imperatore, cum duobus aliis viris insignibus interesse, ferentem etiam Legationem ab Apostolicis meritis decorato præsulatu vestro causa Imperialis commercii, quod efficiendum ex filio Imperatoris Basilii, & Genitæ præfati Dei cultoribus & augeri ab utraque parte sperabatur simul, & parabatur. In tam enim pio ne-*

De Anastasii bibliotecarii legatione ad Basilium Imperat.

JESU CHR. AN. 869.

negotio, & quod ad utriuſque imperii unitatem, imo totius Chriſti Eccleſiæ libertatem pertinere proculdubio credebatur, præcipue ſummi Pontificis veſtri quærebatur aſſenſus. Dei ergo nutu actum eſt, ut tanti negotii cum loci-Servatoribus Apoſtolicæ Sedis, & ipſe fine gauderem, fructum in exultatione portarem, manipulos qui per ſeptennium pro eo laboraveram, & per totum Orbem verborum ſemina ſedulo ſcribenda diſperſeram: & ſane Dei nutu factum eſt, ut tunc tanti Imperatoris legatus ibidem eſſet, qui non ſemel Romanæ Eccleſiæ dignitatem, ac legatornm Apoſtolicæ ſedis juſtas expoſtulationes tueretur, ut alias dictum eſt.

De Bulgarorum Dioceſi contentio exoritur, an Romanæ, vel CP. Eccleſiæ ſubeſſe deberet. *Anaſtas. p. 434. ſeqq.*

22. At ſuſcepta ſemel inter utrumque Imperium, & inter Romanam, & CPolitanam Eccleſiam æmulatio, quæ jamdiu radices fixerat, effecit, ut concordia, & pax inter utramque Eccleſiam firmata, eodem fere tempore turbaretur, nam, ut in vita Hadriani narrat Anaſtaſii continuator, cuinam Eccleſiæ, Romanæ ſcilicet, an CPolitanæ ſubjicienda eſſet Bulgarorum Eccleſia quæſtio ibidem agitata eſt. Cum enim Michael Bulgarorum Princeps legatos ſuos CPolim miſiſſet, ut ab congregatis ſedium Patriarchalium legatis peterent, cui Eccleſiæ ſe ſubjici deberent, die tertio poſtquam ſynodus finem habuerat, Bulgarorum legati coram Apoſtolicæ ſedis legatis, aliarumque Patriarchalium, & Ignatio ſteterunt, qui litteras, & dona obtulerunt, ac expoſtulatione expoſita legati quidem Romanæ Eccleſiæ eos Romano Pontifici ſubjectos eſſe dixerunt, utpotequi non ſolum chriſtianam fidem, ſed etiam Epiſcopos, & Presbyteros ab ea ſuſcepiſſent, quod etiam Bulgarorum legati confirmarunt. Cumque his nonnulla objeciſſent Græci, ac præcipue, quod olim ibidem Græci Sacerdotes fuerint, dum in eas regiones Bulgari irrepſerant; Apoſtolicæ tamen Sedis legati hanc quoque objectionem facile diluerunt, addentes, quod *Sedes Apoſtolica cum ipſa latina ſit, in multis tamen locis pro ratione patriæ, Græcos Sacerdotes, & ſemper, & nunc uſque conſtituens, privilegii ſui detrimenta ſentire non debet*; nihilque intereſſe, quod Bulgaria in Regno Græcorum eſſet; nam *Nos de Regnorum diviſione non agimus, ſed de jure ſedium loquimur*, ac antiquitus Illyricum totum, unde Bulgarorium regio erat, cum utraque Epiro, Theſſalia, & Dardania, Romanæ Eccleſiæ ſubditum fuiſſe dixerunt. ac poſt alia in utramque par-

partem dicta, etsi Apostolicæ sedis legati Græcorum judicium refugisset, ii tamen, tam justa expostulatione spreta, iniquam hanc protulerunt sententiam dicentes: *Satis indecens est, ut vos, qui Græcorum Imperium detrectantes, Francorum fœderibus inhæretis, in regno nostro Principis ordinandi jura servetis. Quapropter Bulgarorum patriam ex Græcorum potestate dudum fuisse, & Græcos Sacerdotes habuisse comperimus, sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, a qua quia per paganismum recesserat, nunc per Christianismum restitui judicamus. Legati sanctæ Romanæ Ecclesiæ clamantes dixerunt: Sententiam quam non electi, neque admissi, sive timore, seu gratia, vel quicquid illud est, modo præcipitastis, potius quam protulistis, auctoritate Sancti Spiritus usque ad definitionem sanctæ Sedis Apostolicæ omnino rescindimus, ita ut nullo modo, vel nomen habere sententiæ mereatur &c.* multaque ad Ignatium Patriarcham contestati, ne injuriam Romanæ sedi inferri permitteret, ipse quidem, his se verbis excusavit: *Absit a me, ut ego his præsumptionibus contra decorem sanctæ Sedis Apostolicæ implicer, qui nec ita juveniliter ago, ut mihi subripi valeat, nec ita seniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo ipse committam &c.* Verum ut in præfatione ad synodum octavam Anastasius adnotat, tot fraudibus, tantaque instantia apud Bulgaros egerunt Græci, ut tandem Bulgarorum Ecclesiam, non sine maximo Ecclesiæ ejusdem detrimento, Constantinopolitanæ subjecerint, atque hæc se adnotasse addit Anastasius, ne eadem Ecclesiarum Bulgariæ subjectio Constantinopolitanæ Ecclesiæ, octavæ synodi definitioni tribueretur, sicut a Græcis fieri passim solebat, quorum fraude Oecumenicas synodos auctas, vel mutilatas sæpe fuisse, ibidem addit, multisque exemplis confirmat, ut apud Baronium videre est.

JESU CHR. AN. 869.

pag. 436.

Legati Apostolicæ Sedis Orientalium sententiam rejiciunt.

Ignatii Patriarchæ excusatio.

23. His gestis Basilius Imp. in legatos Romanæ Ecclesiæ, ob libertatem dicendi, qua Apostolicæ Sedis jura tueri conati fuerant, aliquatenus exasperatus, conceptam tamen iram dissimulans, ad prandium vocatos, *donis optimis decoravit, eosque Theodosio Spathario, non ea, qua congruebat sollicitudine deducendi gratia commendavit, Achodyracchium*, seu Dyrrachium *usque perducti, negligenterque, sine ulla provisione dimissi, post dies aliquot navigantes, in Sclavorum deducti*

Legati Apostolicæ Sedis ab urbe CP. dimissi in Piratas incurrunt.

JESU CHR. AN. 869.

manus, proh dolor! inciderunt: boniſque omnibus, ac authentico, in quo ſubſcriptiones omnium fuerant, exemplari denudati ſunt, ipſique capite plexi fuiſſent, niſi ab his, qui ex illis aufugerant, ſibi timuiſſent. Tandem Apoſtolicis, Imperialibuſque litteris ab exilio liberati, & undecimo calendarum Januariarum die, indictione quarta, Romam reverſi, omnia, quæ ſuperius diximus, coram ſanctiſſimo ſummo Pontifice, ac Proceribus retulerunt, nihilque aliud Scripturarum, quam librum actionis Ignatii, & libellos, quos a Sclavis receperant, & reliquos libellos, quos Supponi Archiminiſtro, & Anaſtaſio prudentiſſimo Bibliotecario ſanctæ Sedis Apoſtolicæ (cujus præſcientiæ ſollicitudine exemplar amiſiæ Synodi, quod ſibi ſcribendum impetraverat, Eccleſia Romana ſuſcepit) dudum Conſtantinopoli commendaverant, oſtendere potuerunt; quos ideo autumno ineunte CPoli diſceſiſſe conſtat.

Legati ad Bulgaros miſſi in urbem redeunt.

Anaſtas. pag. 437.

24. Hoc eodem anno poſt reditum Legatorum Romanæ Eccleſiæ, qui octavæ ſynodo præfuerant, in urbem quoque reverſi ſunt ii, quos Nicolaus in Bulgariam miſerat, ut his verbis narrat Anaſtaſii continuator: *Superiore tempore Formoſus, & Paulus Populonienſis venerabiles Epiſcopi, qui cum cæteris, juſſu ſanctiſſimi Papæ Nicolai, cauſa prædicationis deſtinati fuerant remeantes, de Chriſtianiſmo Bulgarorum, & eorum omnimoda ſubjectione, qua ſpecialiter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ devotiſſime colla ſubmiſerant, Sedem Apoſtolicam recrearunt: & Michaelis Bulgarici Regis Legatum, Petrum nomine, ſummo Pontifici præſentarunt. Qui Legatus cum donis regalibus regias quoque litteras obtulit, ſummum Præſulem ſummopere deprecantes, ut aut Marinum ſibi bene compertum diaconum, Archiepiſcopum conſecratum remitteret, aut aliquem ex Cardinalibus presbyteris dumtaxat ſuæ Eccleſiæ, virum ſapientem, probatum, atque Archiepiſcopatu digniſſimum, Bulgaris eligendum dirigeret, quem poſt approbationem eorumdem, denuo remeantem Archiepiſcopali miniſterio ſublimaret. Sed Marino Conſtantinopolitanum Miſſaticum devotiſſime obeunte (ut diximus) ſortito, ſummus Pontifex Silveſtrum quemdam ſubdiaconum Bulgaris eligendum direxit, quem cum Leopardo Anconitano miſit & Dominicum Trevitenſem Epiſcopum. At Bulgari litteras iterum pro Formoſo Portuenſi Epiſcopo remittendo importuniſſime deprecantes, ad urbem per Hadriani legatos miſerunt. Quibus inter non-*

nonnulla reſcripſit Pontifex, ut quemcumque nominatim devotio regalis exprimeret, eum ſine dubio Pontificalis proviſio Bulgaris Archiepiſcopum commodaret, Marino exceptis, atque Formoſo. Cum autem nec de remeando in Bulgariam Formoſo Portuenſi Epiſcopo, nec Marinum, quem petierat, Rex obtinere potuiſſet, Petrus poſt longas moras reverſus eſt in Bulgariam. JESU CHR. AN. 869.

25. Atque his de geſtis in Oriente adnotatis, nonnulla, quæ in Occidente hoc anno contigere, ſubdimus, ac in primis Lotharii iter Romanum ſe offert, cum enim ſemper impuri amoris flamma exardeſceret, ac dimiſſa Theutberga uxore, Valdradam in torum advocaſſet, idque ſe ab Hadriano facile conſequuturum ſperaret, obtenta jam, ut anno proximo diximus, Romani itineris licentia, cum Carolum Calvum patruum, & Ludovicum Germaniæ Regem rogaſſet, *ut in ſuo Regno nullum ei impedimentum facerent, donec ipſe Romam rediret*, ut narrat Bertinianus Annaliſta, *Romam perrexit locuturus prius cum Ludovico fratre ſuo Imperatore, ut hoc ſi poſſet, per eum apud Hadrianum Papam obtineret, quatenus Theutbergam ejiceret, & Valdradam reſumeret, ipſamque Theutbergam poſt ſe Romam ire præcepit. Lotharii iter, quod tempore inconvenienti, ſcilicet menſe Junio cauſa uxorum ſuarum in parte Romæ cæperat contendens perficere, uſque Ravennam venit, ubi Miſſos fratris ſui* (nempe Ludovici Imper.) *obvios habuit, per quos ei contradixit, ut nec antea procederet, nec diutius in eodem regno immoraretur, ſed ad ſuum regnum rediret, & tempore commodo, & opportuno loco ſimul convenirent, & de quibus vellet cum eo ſatageret. Lotharius autem Romam rediens a latere ad ſuum fratrem* (nempe Ludovicum Imp.) *in Beneventum uſque pervenit, & apud eum per Engelbergam* (Imperatricem) *multis petitionibus, & muneribus, atque inconvenientiis obtinuit, ut ipſa Engelberga cum eo uſque ad monaſterium S. Benedicti, quod in monte Caſſino ſitum eſt, rediret. Quo etiam Hadrianum Papam eidem Engelbergæ, & ſibi ex juſſione Imperatoris venire fecit, & apud eum, datis illi multis muneribus, per ipſam Engelbergam obtinuit, ut idem Papa illi Miſſam cantaverit, & ſacram communionem, ac convenientia ei donaverit. Si poſtquam Nicolaus Papa Valdradam excommunicavit, nullum cum ea conturbernium, vel carnalis copulæ mercimonium,*

Lotharii Regis iter Romanum.

Lotharius in Monte Caſſino Hadrianum convenit.

JESU CHR. AN. 869.

nium, quin nec conloquium quoddam habuerit.

Lotharius Sacram communionem ab Hadriano indigne recipit.

26. *Ipse autem infelix more Judæ simulata bona conscientia, & impudenti fronte, sacram Communionem, sub hac conventione accipere non pertimuit, nec recusavit. Sed & sui fautores, cum eo ab ipso Papa percepere Communionem. Inter quos & Guntharius, auctor, & incentor hujus publici adulterii, Communionem inter Laicos ab ipso Hadriano Papa accepit, data illi prius coram omnibus professione, quæ ita habetur*: Profiteor ego *Guntharius coram Deo, & Sanctis ejus vobis Domino meo Hadriano Summi Pontifici, & Universali Papæ, ac venerandis tibi subditis Episcopis, reliquoque Conventui, quoniam judicium depositionis in me a Domno* Nicolao *canonice datum non reprehendo, sed humiliter porto. Unde nec alterius sacrum ministerium contingere præsumo, nisi per misericordiam mihi subvenire volueritis. Nec aliquando contra Sanctam Romanam Ecclesiam, aut ejus Pontificem, aliquod scandalum, vel quidquam adversi movere volo: sed devotum me eidem sanctæ matri Ecclesiæ, ejusque Præsuli exhibere, atque obedientem permanere protestor. Ego* Guntharius *huic professioni a me factæ manu propria subscripsi. Data Kal. Julii, Indictione II. in Ecclesia S. Salvatoris, quæ est in Monasterio S. Benedicti in Cassino. Accipiens autem idem Papa a Gunthario consistente inter laicos professionem, relectam inter laicos ab ipso publice coram omnibus, dixit illi: Et ego tibi concedo laicam Communionem, ea conditione, ut ita quamdiu vixeris observes, sicut modo professus fuisti &c.* Hæc Annalista Bertinianus, eademque Regino; in eo tantum ab altero dissidens, quod communionem ab Hadriano Papa Romæ accepisse Lotharium is narrat, quod in Monte Cassino contigisse alter adnotat, quod sane vero propius est, ut post Mabillonium adnotat etiam Pagius, quin id negatum Lotharii fuisse diserte testatur idem Annalista, hæc de Hadriani Papæ, & Lotharii adventu adnotans. *Engelberga denique*, Ludovici Imp. uxor, quæ apud Hadrianum in Monte Cassino mediatrix fuerat, ut Lotharius sacram communionem acciperet, *redeunte ad suum Imperatorem, Hadrianus Papa Romam reversus est, quem e vestigio Lotharius est prosecutus. Et Hadriano Papa Romam ingrediente, Lotharius ad Ecclesiam B. Petri venit, ubi nullum Clericum obvium habuit, sed tantum ipse usque ad sepulcrum S. Petri cum suis*

Mabill. Annal. Ord. Bened. an. 869.

Lotharius post Hadrianum Romam

ſuis pervenit : indeque ſolarium ſecus Eccleſiam B. Petri manſionem habiturus intravit , quem nec etiam ſcopa mundatum invenit . Putavitque in craſtina , ſubſequente videlicet Dominica (nam ſabbato ad Baſilicam S. Petri pervenit) ſibi cantari debere Miſſam , ſed a præfato Pontifice hoc obtinere non potuit (& tamen Regino ait , Lotharium Romæ honorifice ſuſceptum , & communione Corporis Chriſti refectum) . *Inde ſecunda feria Romam ingrediens in Palatio Lateranenſi , cum ipſo Apoſtolico prandidit , & datis ei muneribus in vaſis aureis , & argenteis , obtinuit , ut ei ipſe Pontifex Leenam , & Palmam , ac ferulam daret , ſicut & fecit . Quæ munera ita ipſe , & ſui interpretati ſunt , videlicet per Leenam de Valdrada reveſtiretur , per palmam victorem ſe in his , quæ cœperat , demonſtraret , per ferulam Epiſcopos ſuæ voluntati reſiſtentes obſiſtendo obſtringeret .*

Jesu Chr. an. 869. ingreditur , quæ ibidem geſſerit.

27. *Sed aliter ab eodem Papa , & Romanis fuere diſpoſita , nam idem Pontifex Formoſum Epiſcopum , & alios etiam cum eo Epiſcopos in has Galliarum partes mittendos diſpoſuit , ut cum pluritate Epiſcoporum de his , quæ Lotharius petebat , tractarent , & illi Kal. Martiis , quæ inventa forent , in ſynodo renunciarent , quam Romæ in ipſis Kal. Martii denunciavit . Quo etiam quatuor Epiſcopos ex regno Ludovici Regis Germaniæ , cum ipſius Legatis , & quoſdam Epiſcopos ex regno Lotharii , cum epiſtolis ſuis hac conditione venire præcepit , ut quæ in ſynodo vel examinanda vel gerenda forent in perſonis aliorum confirmarent , tam ex Occidentalibus partibus , quam ex Orientalibus . Unde Miſſos ſuos , quos nuper Conſtantinopolim pro contentione , quam Orientales cum Nicolao Papa habebant , miſerat , tunc venturos ſperabat . Lotharius vero Romæ lætus promovens uſque ad Lucam civitatem venit , ubi febre corripitur , & graſſante clade in ſuos , quos in oculos ſuos coacervatim mori conſpiciebat , ſed judicium Dei intelligere nolens , uſque Placentiam VIII. Idus Auguſti pervenit . Ibique Dominica die ſuperdiurnans , circa horam nonam inopinate exanimis pene effectus eſt , & obmutuit , atque in craſtina hora dici ſecunda moritur , & a paucis ſuorum , qui a clade remanſerant , in quadam monaſteriolo ſecus ipſam civitatem terræ mandatur .* Huncque tandem finem infelix Lotharius habuit , qui Pontificem quidem falſa promiſſione deceperat , at Deum fallere non potuit.

Lotharius Placentiæ moritur.

28. Eo

JESU CHR. AN. 869. Carolus Lotharii Regnum occupat.

28. Eo absque liberis defuncto, iis de Regni ejus successione inter Carolum Calvum, & Ludovicum Imp. mota est, inter patruum scilicet, & nepotem, at Carolus propria auctoritate, Lotharii Regnum ingrediens, ejusdem possessionem iniit, *Nam apud Silvanectis civitatem degens*, ait Annalista Bertinianus ad hunc annum, cum uxore sua, *Attiniacum venit, ubi a quibusdam Episcopis, sed & ab aliquibus Primoribus regni quondam Lotharii missos directos suscepit, ut sibi resideret, & in Regnum, quod Lotharii fuerat non intraret, donec frater suus Ludovicus Rex Germaniæ ab expeditione hostili de Vinedis, cum quibus præsenti, & præterito anno sæpius cominus sui congredientes, aut nihil, aut parum utilitatis egerunt, sed damnum maximum retulerunt, reverteretur. Petierunt ergo, ut in Palatio Ingilihei residens ad eum missos suos dirigeret, ut ei mandaret, ubi, & quando simul convenirent, & de regni ipsius divisione tractarent. Plures autem seniori consilio illi mandaverunt, ut quantocius commode posset usque Metis properare satageret, & ipsi tam in itinere, quam ad ipsam civitatem ei occurrere maturarent. Quorum consilium Carolus acceptabilius, & salubrius esse intelligens, juxta eorum suggestionem agere festinavit*, ac Regni Lotharii possessionem iniit.

Synodus Metensis Lotharii Regnum Carolo tribuit.

29. Utque firmiori titulo, solemniorique modo illud retineret, convocatis quinto idus Septembris Episcopis plurimis in civitate Metensi, eorum consilio, & auctoritate Regnum accepit. Unde iterum idem Annalista: *Veniens ergo usque Viridunum, plurimos de eodem Regno* (Lotharii scilicet), *sed & Hattonem ejusdem civitatis Episcopum, & Arnulphum Tullensis urbis Episcopum, sibi se commendantes suscepit, indeque mensi nonis Septembris veniens, Adventium ipsius civitatis Præsulem, & Franconem Tungrensem Episcopum, cum multis aliis in sua commendatione suscepit, sicque quinto ipsius mensis ab Episcopis, qui adfuerant, coeuntibus omnibus in basilica Beati Stephani, hæc quæ sequuntur, denunciata, & gesta fuere.* Ac tandem subdit: *Post hæc ab Episcopis cum benedictione Sacerdotali est idem Rex coronatus &c.* acta autem ibidem ab Episcopis integra extant apud Baronium, alibique, quare cum in unum Metis essent, *Anno Dominicæ Incarnat. 869. indictione 2. pridie idus Septembr. in Ecclesia Sancti Stephani, Adventius Epi-*

Bar. n. 101. ad 107. Concil. tom. 8. pag. 1532. Baluz. capi.

Episcopus ejusdem civitatis coram Rege, & Episcopis, qui affuerunt, populo, & scriptis, & verbis hæc denunciavit, se scilicet ob Lotharii obitum, sine Rege esse, & ut jejuniis, & orationibus Deum enixe orarent, ut iis dignum concederet, qui in judicio, & justitia regeret, ac Carolum Regem ibi adstantem eum esse a Deo designatum, addidit: Unde *Si vobis placet, ut sicut nos post illius verba vobis manifestavimus, signo certi sic demonstremus, quia illum a Deo electum, & nobis datum Principem credimus*, & ut Deo bonorum largitori gratias agerent, admonuit, ac ad Carolum verba faciens, an hæc eorum electio placeret, eique consensum præberet interrogavit: Tum Carolus, *Quia sicut isti venerabiles Episcopi una voce dixerunt, & certis indiciis ex vestra unanimitate demonstrarunt, & vos acclamastis, me Dei electione ad vestram salvationem, & profectum, atque Regnum & gubernationem huc advenisse, sciatis me honorem, & cultum Dei, atque sanctarum Ecclesiarum, Domino adjuvante, conservare, & unumquemque vestrum, secundum sui ordinis dignitatem, & personam, juxta meum scire, & posse, honorare, & salvare, & honoratum, & salvatum tenere velle, & unicuique in suo ordine, secundum sibi competentes leges tam Ecclesiasticas, quam mundanas legem & justitiam conservare, in hoc ut honor regni, & potestas, & debita obedientia, atque adjutorium ad Regnum mihi a Deo datum continendum, & defensandum ab unoquoque vestrum, secundum suum ordinem, & dignitatem, atque possibilitatem, mihi exhibeatur, sicut vestri antecessores fideliter, & juste, & rationabiliter meis antecessoribus exhibuerunt*. His alia Hincmarus Remensis ibi præsens in ejusdem rei confirmationem addidit, rationem reddens, cur cum alterius provinciæ Metropolitanus esset, his quoque rebus se ingereret, ac Remensem, & Tungrensem Ecclesias sorores esse dixerit, ut quilibet in utraque provincia Episcoporum judicia exercere posset, is præcipue, qui prior ordinatus fuisset, tum etiam, quia cum nullum iidem Episcopi Metropolitanum haberent: *Exigitatem nostram*, addidit, *sic in suis, sicut, & in spiritualibus nostris causis nos fraterna charitate jubent, & commonent agere, est ita Domini fratres? & responderunt Episcopi: Ita est*. Quare Hincmarus ab Episcopis congregatis consensu obtento, post aliqua de Caroli jure in successi-

Jesu Chr. an. 867. *tuli Regn. Franc. to 2. pag. 215.*

Caroli promissio Episcopis facta.

JESU CHR. AN. 869.

cessione nepotis Lotharii, ut iterum Rex inauguraretur; Episcopos excitavit: *Quod si vobis placet, propriis vocibus consonate, & in hoc conclamantibus omnibus, dixit idem Episcopus*, Hincmarus, *Agamus ergo unanimiter Deo gratias decantantes Te Deum laudamus*, ac iterum Carolus pro novo adepto Regno coronatus est, cujus Regni partem nihilominus Ludovico Germaniæ Regi fratri suo, qui eodem cum Carolo jure uti poterat, libens, vel invitus concessit, ut anno sequenti dicturi sumus.

Caroli privilegium pro monasterio Senonensi.

30. Hoc eodem anno 869. indict. 2. Glorioso Regis Caroli anno 29. cum in unum coram Rege Carolo, ad componendum Regni statum Pistis convenissent Episcopi, Eigil Senonensis Archiepiscopus Regi dixit, Villam quamdam Sentiacam, cum omnibus mansis, seu juribus, in Comitatu Senonico sitam, Episcopatui Senonico, & monasterio Sancti Petri in eadem provincia constituto, donatam fuisse, quam cum quidam ex regio præcepto retineret, ut sibi, & monasterio redderetur, Carolum rogavit, qui votis, postulationibusque Eigil annuens, dato diplomate, ut eidem restitueretur, jussit, ut ibidem videre est.

Concil. pag. 1536.

Caroli legatio, & munera ad Hadrianum Papam.

31. His gestis, cum non ignoraret Carolus Ludovico Imp. fratris sui Lotharii hæreditatem, & Regnum potiori jure, quam sibi deberi, & pro eo Hadrianum Pontificem, ut Lotharii Regnum obtineret, omnimodam sollicitudinem gerere, Legatos suos, cum muneribus, ut eum sibi quoquo modo promereretur, misit. *Peracta autumnali venatione*, ait auctor Bertinianus, *ad monasterium S. Dionysii festivitatem ipsius sancti celebraturus perrexit. Ubi ipsa die inter Missarum solemnia præfatos Apostolici Missos* (de quibus Annalista hoc anno verba facit), *cum Epistolis ad se, & ad Episcopos regni sui directos, terribiliter sibi regnum quondam Lotharii, quod fratri suo Imperatori debeatur, intercedentibus, molestè suscepit. Ipsos autem Missos Domni Apostolici, & Imperatoris usque Remis deduci fecit. Et undique plurimos fidelium suorum illic convenire faciens, & per octo dies ibidem immorans, eosdem Missos absolvit. Postea Legatos suos, Anségisilum videlicet Presbyterum, monasterii S. Michaelis Abbatem, & Lotharium laicum, cum Epistolis ad domnum Apostolicum, sed & pannum ad Altare S. Petri de vestimentis suis aureis compositum, cum duabus coronis aureis, & gemmis ornatis misit,*

JESU CHR. AN. 869.

misit, & ipse usque ad Lugdunum pervenit &c. Deinde post aliqua de reliquis Caroli gestis hoc anno, idem Annalista: *Carolus in Villa Dusiaco septimo idus Octobris certo comperiens obiisse Hermentrudem uxorem suam, undecimo nonas Octobris in monasterio S. Dionysii, ubi & sepulta est, exequente Bosone filio Bovini quondam Comitis hoc missaticum apud matrem, & materteram suam Theutbergam Lotharii Regis relictam, sororem ipsius Bosonis nomine Richildem mox sibi adduci fecit, & in concubinam accepit. Qua de re eidem Bosoni Abbatiam S. Mauritii, cum aliis honoribus dedit, & ipse Aquis Palatium eamdem concubinam secum ducens festinare acceleravit, quatenus ibi residuos illius partis homines, qui Lotharii fuerant, sicut ei mandaverant, in sua ditione susciperet, denuncians se abinde Palatium, quod Gundulphi villa dicitur, in Missas S. Martini venturum, ut de provincia, & de superioribus partibus Burgundiæ ad se venturas suscipiat. Veniens autem Aquis, nullum obtinuit, quem antea non habuit, & inde ut denunciaverat ad Gundulphi villam pervenit. Ubi Missos Hadriani Papæ Paulum, & Leonem Episcopos suscepit, cum Epistolis missis sibi, & Præsulibus, ac regni Primoribus in his Galliarum partium regionibus consistentibus. In quibus continebatur, ut regnum quondam Lotharii Regis, quod Ludovico Imp. spiritali filio ejus hæreditario jure debetur, & quod ad eum post mortem ipsius Lotharii rediit, vel homines in eo degentes, mortalium nullus invaderet, nullus commoveret, nullus ad se conaretur inflectere. Quod si quis præsumeret, non solum per suæ auctoritatis ministerium infirmaretur, verum etiam vinculis anathematis obligatus, nomine christianitatis privatus, cum diabolo locaretur. Et si quis de Episcopis tam nefariæ temeritatis auctorem, vel tacendo fugeret, vel non resistendo consentiret, non jam Pastoris, sed mercenarii nomine se nosset fore consendum. Et quia jam non pertineret ad eum de ovibus, non pertineret consequenter de Pastoralibus dignitatibus. Cum quibus Episcopis, & missus Ludovici Imp. venit nomine Berardus &c.* ut eamdem causam, Regnique Lotharii possessionem, pro Imperatore Ludovico obtineret.

Hermentrudis Caroli uxoris obitus, alteram uxorem ducit.

32. Et sane, ut Lotharii Regno Ludovicus Imp. potiretur, quammaxime sollicitum fuisse Hadrianum Papam, scriptæ ab eo hoc, & sequenti anno epistolæ testantur, & ut duas

Hadriani sollicitudo pro Ludovico Imp., ejusque epistolæ.

JESU CHR. AN. 869. *Concil. t. 8. p. 915. 916.*

duas ad Carolum datas prætereamus, quarum una Lugdunenſem Eccleſiam eidem commendat, dum ejuſdem Epiſcopus Romam perrexerat, altera Presbyterum nomine Herlefridum, qui Eccleſia ſua dejectus, ad Sedem Apoſtolicam confugerat; eumdemque in Gallias Hadrianus remittens, ut ſuo loco, & dignitati reſtitueretur, jubet, uſquedum ab Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo eadem cauſa in provinciali ſynodo retractaretur; præter has epiſtolas, cum vix Lotharium obiiſſe didicit, ad Proceres Regni ejuſdem de Principis obitu conſolatorias ſtatim dedit litteras, eoſdemque admonuit, ut neminem præter Ludovicum Imp., ejuſdem Regni ſucceſſorem admitterent, anathematis etiam ſententiam his minitans, ſi quidquid aliud pertentaverint: *Nam quem ex vobis contraria tentare nitentem, atque Apoſtolicæ Sedis monitis in contemptum B. Petri Apoſtoli cœleſtis regni clavigeri ſpretis, ad aliam ſe partem conferre cognoverimus, velut infidelem, & Eccleſiaſticæ paci, ac ſalati contrarium, a noſtri apoſtolatus communione non ſolum alienum habebimus, ſed etiam anathematis vinculo jure meritoque alligare omnino curabimus, & nos ſecundum apoſtolicæ privilegium dignitatis, & poteſtatis, ipſum excellentiſſimum, ac ſpiritalem filium noſtrum, domnum Ludovicum Auguſtum, regni hujus provinciæ, ſcilicet Galliæ totius, regem, dominum, & Imperatorem, ſicuti jam olim a Deo præordinatum eſſe conſtat, & ab anteceſſoribus noſtris Pontificibus ſtatutum multis videtur indiciis, habemus, & quouſque ſuperfuerit ipſe, eum habere ſtudebimus &c.*

pag. 917.

Hadriani epiſt. ad Proceres Regni Lotharii, ad Epiſcopos, & ad Hincmarum.

33. Cumque vel fama didiciſſet, vel timeret, ne Carolus nepotis Lotharii, Regnum, Ludovico abſente, occuparet alteras ad Proceres regni Caroli litteras nonis Septembris indictione 3. dedit, quibus eos impenſe hortatur, ut Carolum ab invadendo Regno Lotharii deterrerent, legatoſque ſuos in eam cauſam miſſos Paulum, & Leonem commendat, his vero alteras ejuſdem argumenti tradidit dieque eadem ad Epiſcopos Regni Caroli, & ſingularem etiam ad Hincmarum Remenſem, utpote maximæ apud Carolum auctoritatis, iiſque Epiſcopos, æque ac Proceres Regni Caroli admonet, rogatque, ut apud Carolum agerent, ne Regnum Lotharii Ludovico Imp. debitum invaderet, ac excommunicationem iterum minatur. Unde poſt plurima: *Unde ſi quitquam veſtrum hujus diabolicæ ambitionis auctorem ſectatus fuerit,*

rit, vel ei quoque in rapinis concupiscenti favorem contulerit, anathematis vinculis innodabitur, ac pro hoc a Regno Domini separatus, cum impiorum omnium capite, quod est Diabolus, merito deputabitur &c.

JESU CHR. AN. 869.

34. Iniquum quippe, omnique execratione dignum fuisse adnotat Hadrianus, ut dum Ludovicus Imp. *Adversus filios Belial, adversus Christi nominis inimicos, præcipue pro nostra securitate, proque multorum liberatione Fidelium, qui finetenus apud Samnium, & circumquaque regiones jam jamque periclitabantur, ita ut etiam fines nostros infestatio propemodum Saracenorum invaderet, egressus a summo sublimitatis propriæ solio, & a pacatissimo requiei suæ fundamine, non corpori parcat, non æstibus, non algoribus, non denique ullis eventibus cedat, sed omnia incommoda, omnia discrimina pro Christi nomine tolerans, nihil est quod pro Christianorum exemptione recuset arripere, nihil est quod pro Fidelium quiete, ac pace declinet assumere. Denique non modicam Ecclesiæ sanctæ quietem per eum divina pietas operata est, nec modice paganorum vires fortitudine superna prostratæ sunt, siquidem sæpius hostes, tamquam mures cavernis suis egressos ad sua latibula terga vertere compulit, & brachia contra nostros exerta potenti virtute dissolvit. Quin, & nobis omnibus, qui longe fuimus, & qui prope, magnæ securitatis præsidia contulit, dum scilicet nonnullos eorum prostravit, nonnullos etiam ab eorum superstitione convertens, Christi Fidei, & veræ religionis itinera sectari perdocuit. Qua de re ratum ducimus, vestram commonere dilectionem, quo præfato glorioso Regi vestro, & filiis ejus suggerere satagat, & prudenti consilio suadere contendat, quatenus nec suis motibus, nec aliorum suasionibus, vel impulsu, quidquam quæ tanti Principis, & tam pii Augusti sunt, invadere, vel sollicitare consentiat, eorum videlicet, quæ cum sint in Regno gloriosæ memoriæ Hlotharii quondam Regis germani sui, ad se, suffragantibus cunctis legibus, non tam pro fraterna successione, quam pro paterna dispositione hæreditario jure pertinere probantur.* Hæc, & alia ibidem S. Pontifex, at frustra cum jam Carolus Lothari defuncti Regnum occupasset. Ludovici nihilominus causam tueri non destitit Hadrianus, ut anno sequenti dicturi sumus.

Hadrianus Ludov. Imp. causam agit.

JESU CHR. AN. 869. Normanni Gallias affligunt.

35. De Normannorum autem irruptionibus in Gallias hoc anno, hæc etiam Bertinianus annalista adnotat: *Salomon Dux Britonum pacem cum Normannis in Ligeri residentibus fecit, & vinum partis suæ de Pago Andegavensi cum Brittonibus suis collegit. Hugo Abbas, & Gauzfridus, cum Trans-Sequanis confligentes, cum Nortmanis in Ligeri residentibus, LX. circiter inde interfecerunt. Et capientes quemdam Apostatam Monachum, qui relicta Christianitate se Nortmannis contulerat, & nimis Christianis infestus erat decollari fecerunt. Carolus vero Civitates Trans-Sequanam ab incolis firmari rogavit. Cenomannis scilicet, ac Turonis, ut præsidio contra Nortmannos populis esse posset. Nortmanni autem hoc audientes, multas summas argenti, frumenti quoque, & vini, ac animalium, ab incolis terræ ipsius quæsierunt, ut cum eis pacem facerent &c.*

Salomonis litteræ ad Hadrianum Papam.

36. Salomon interea Britonum Dux, seu Rex, quem Francorum Regnum excusisse, ac Brittanniæ Episcopos, ab Senonensi Metropolitano subtraxisse supra diximus, hoc anno Hadriano Papæ litteras dedit, pallium pro Festiniano Dolensi Episcopo petens, nec non reliquias pro monasterio, quod ædificaverat, iisque se Romanæ peregrinationis propositum habuisse testatur, nisi Regni necessitatibus, & Paganorum infestationibus prohiberetur, quare per Horennam Episcopum, & Felicem Archidiaconum missos suos epistolam cum muneribus misit: *Statuam*, scilicet, *auream*, sive *deauratam, vestræ magnitudinis, tam in altitudine, quam in latitudine, cum lapidibus diversi generis, & mulum cum sella, & camo, & fræno valentem, & triginta camisias, & triginta drapas laneas variis coloribus tinctas, cum triginta cervinis pellibus, & triginta pallia pedalia ad opus domesticorum vestrorum, trecentos quoque solidos denariorum quotannis deinceps persolvendos, quatenus dignitas a prædecessoribus vestris antecessoribus nostris impensa, nobis, nostrisque successoribus auctoritate vestra confirmetur in sæcula.*

Hadriani Papæ epist. ad Salomonem Brittan. Regem.

37. Salomoni autem Brittanniæ Regi rescribens Hadrianus Papa, ut cumulatius votis ejus satisfaceret, & pallium misit, & reliquias, brachium scilicet Sancti Leonis Papæ Tertii, de quo hæc adnotat: *Ipse est sanctissimus Leo, qui per invidiam Romanorum, oculis, linguaque privatus, gratia Dei cooperante, fuit mirabiliter restauratus, quatenus sepiem.*

ptempliciter eis oculis clarius videret, & eadem lingua verbum Dei eloquentius prædicaret. Et ideo auctoritas Romana in hoc de Deo præsumit, ut a Ligeri fluvio usque ad Occidentalem plagam, quos, aut ætas, aut sexus, aut persona non impedit, tribus vicibus reliquias illius in anno frequentent, & inde votum Romam eundi, quoad vixerint, nostro libitu, & auctoritate adimpleant. Pallium quoque, quod fratri, & Coepiscopo nostro Festiniano postulatis, cum suo privilegio vestræ dirigimus charitati. Valete in Christo fideles Brittanniæ habitatores. Salomonis ad Hadrianum, & Hadriani ad Salomonem epistolæ in Labbeana conciliorum collectione, & in altera ab Harduino adornata desiderantur, quas ex Argentreo in historia Brittanniæ, integras Baronius annalibus inseruit, at eas Martene, & Durandus in collectione maxima anæcdotorum exhibentes suspectas habent.

JESU CHR. AN. 869.

to. 3. p. 866.

Bar. an 869. num. 108. & 109.

38. Hoc tempore cum Ebbo Gratianopolitanus Episcopus, Ebbonis Remensis nepos obiisset, Bernarium successorem habuit, ut ex litteris Ludovici Imp. in Gallia christiana relatis didicimus, ait Mabillonius, quibus Bernarii electio, hoc anno peracta confirmatur; Ebbonem laudat Hincmarus Archiepiscopus, tametsi in eum infensus esset, tum quia Ebbonis ejus æmuli nepos erat, tum quia censebatur auctor canonum Valentinæ synodi, quibus Carisiacensia Hincmari capitula condemnata fuerant. In Epistola ad Carolum Calvum, a Frodoardo relata, Ebbonem laudat Hincmarus, *Qui religiosus est, ut audivimus*, inquit, *quippe, sicut ab ipsis pene cunabilis, sub religione, & habitu regulari nutritus in Remensis Ecclesiæ monasterio, ubi requievit S. Remigius, in quo loco religioso suam exegit ætatem, quousque a domno Ebbone avunculo suo, tunc Remorum Archiepiscopo, ibidem Diaconus consecratus, & Abbas Monachorum ad regularem ordinem tenendum, & gubernandum constitutione Episcopali est ordinatus, quemque ita humilitatis tenore nutritum, & humilitatis locum appetere, & tenere velle addicimus &c.* Sed de Ebbone, & Bernario successore in sede Gratianopolitano hactenus.

Ebbon. Gratianopolitani Episc. obitus, cui Bernarius succedit.

Mabill. Annal. Bened. tom. 3. pag. 159.

JESU

Jesu Chr. an. 870.

JESU CHRISTI an. 870. Hadriani Papæ an. 4. Ludovici Imp. 16. Basilii Imp. 4.

Carolus, & Ludovicus Lotharii Regnum inter se dividunt.

1. Lotharii Regnum ab Carolo occupatum fuisse anno proximo diximus, quod cum non solum Ludovicus Imp., Lotharii frater ægre tulisset, sed etiam Ludovicus Germaniæ Rex Caroli frater, & Lotharii patruus, in apertum bellum res prodiisset, nisi Carolus, admissis Ludovici fratris legatis, eumdem in Regni divisione admisisset; Aquisgrano res transacta est, ubi utriusque Regis legati convenere, ut fusiori stilo narrat Annalista Bertinianus, ac nonis Martii hæc divisio coepta, sexto autem Kal. Augusti hujus anni confirmata dicitur ad Mosam Fluvium in meditullio inter Heristallum, ubi Carolus, & Marsnam, ubi Ludovicus tunc residebat. Ludovico urbes Colonia, Aquisgranum, Treveri, Trajectum ad Rhenum, Mettæ, Argentoratum, & Basilea obtigere, Carolo Lugdunum, Vesontio, Vienna, Tungri, Tullum, & Verdunum, cum adjacentibus utriusque locis, id tamen præceteris acerbe tulit Ludovicus Imp., qui Saracenico tunc bello in Italia occupatus cum esset, fraternam hæreditatem sibi potiori jure, quam patruis deberi contendebat, sed irritæ ejusdem querelæ fuere, sicuti & Hadriani Papæ preces, & minæ.

Baluz. capitul. tom. 2. pag. 222.

Hadriani litteræ ad Carolum Regem.

2. Quanta autem sollicitudine Hadrianus Papa egerit, ut Lotharii Regnum Ludovico Imp. fratri ejus servaretur, testes sunt, tum epistolæ in eam rem scriptæ, cum altera eaque illustrior legatio in Gallias missa, de qua hæc etiam Annalista Bertinianus adnotat: *Ibi*, ideſt Aquisgrani, ubi Carolus, & Ludovicus Reges convenerant pro divisione Regni Lotharii, *Ibi Apostolici Hadriani missos Joannem, & Petrum Cardinales Episcopos, itemque Joannem Romanæ Ecclesiæ Præsbyterum, sed & missos Ludovici Imp. Vibodum scilicet Episcopum, & Bernardum Comitem suscepit, sibi denunciantes, ut de Regno Lotharii nepotis sui, quod fratri suo Ludovico Imp. debebatur non præsumeret, & in brevi absolutos, ad fratrem suum Carolum direxerit &c.* Legatis autem suis ad Carolum, ac ad fratrem ejus Ludovicum Germaniæ Regem, ac ad Episcopos, & Proceres Regni utriusque gravissimas litteras dedit, eosdem admonens, ut ab invasione Lotharianni Regni desisterent, in epistola ad Carolum post. præfationem,

Concil. to. 8. pag. 922.

Jesu Chr. an. 870.

nem, qua officio pastorali, nequaquam absque periculo suo deesse posse adnotat, hæc Carolo exprobrat: *An non pro te, Rex, rationem ponere coram Domino compellemur, sicut illud interim sileamus, quod Missos Apostolicæ Sedis more regali recipere contempsisti, factum tuum non reprehendemus, & spiritali zelo redarguere desistemus, quando contra divinam, sanctorumque Patrum auctoritatem, atque contra propriæ fidei sponsionem, qua jurejurando pollicitus es, ne aliena, & præcipue fratrum tuorum Regna concupisceres, aut invaderes, Regnum quondam Hlotharii Imperatoris, quod spiritali filio nostro Domino Hludovico Augusto filio ejus juxta divinas, & humanas leges debetur, præsumpsisti invadere, & in reatum perjurii incidere non formidasti? Numquid a mente excedit, quod vestra, vestrorumque juramenta Sedi Apostolicæ destinata discussimus, roboravimus, & in archivio nostro hodie illa recondita retinemus? Quod si nec ista tibi sufficiunt, tunc ad majoris reprehensionis tuæ cumulum, tuis te specialibus sententiis convenimus. Et ut ad cor tuum redeas, ex oris tui professionibus incitamus &c.*, ac juramentum ab eo post bellum Fontanicum præstitum, de abstinendo ab invasione alterius Regni, cujus exemplar ad Apostolicam Sedem miserat, in memoriam revocat, ac post plurima in eamdem rem, hæc jubendo, addit: *Igitur ut interim pro paucis gloriam tuam conveniamus: monemus, & auctoritate Apostolica modis quibus possumus spiritualiter suademus, paternoque affectu præcipimus, ut jam tertio monitus, te ab invasione Regni spiritalis filii nostri Christianissimi Principis subtrahas, & compescas, aliena non concupiscas, & quæ tibi non vis fieri illi non facias. Noli justissimis, competentibusque tibi rebus injuste captas tyrannice sociare, ne, & juste possessas amittas, & injuste pervasas, justo Dei judicio, te ambisse pœniteat. Nos etenim, quoniam salvum te consistere cupimus, & ut anima, corporeque felici successu polleas, anhelamus, nisi saltem nunc vestris aliis sic salubribus paucis monitis, & ut prius inobediens nostræ spiritali censuræ consliteris, nullo pacto, nulloque prætermittemus ingenio, quo minus Deo juvante, nosmetipsi partes illas petamus, & quod nostri est ministerii, penitus peragamus &c.*, ac legatos suos, *Joannem videlicet, atque Petrum, & Vidbonum, & Joannem reverendos Episcopos, nec non & Petrum reverendum Presbyterum cardinis nostri,*

JESU CHR. AN. 870.

stri, dilectumque familiarem eidem impense commendat, & ut eorum monitis faciles præberet aures, citoque dimitteret, admonet, ac data dicitur quinto Kal. Julii, indictione tertia.

Hadriani epist. ad Ludovicum Regem.

3. Pro eadem causa, iisdem legatis suis in Gallias missis, alteras ad Ludovicum Germaniæ Regem litteras dedit, cum nondum didicisset, eum quoque Regni Lothariani partem obtinuisse, quare nullas adversus eum querelas inserit, sed tantum de Caroli gestis conqueritur, atque ad utrosque legatos suos misisse admonet, eosdemque Ludovico commendat, & ut quæ suggesserint, admittat, enixe rogat, ac de Archiepiscopo Colonienſi in locum Guntharii, cujus causa apud Sedem Apostolicam adhuc pendebat, præpostero judicio electo, vel ordinato mirari se addit, cujus ordinationem, subdit, *nec confirmamus, nec ratam habere decernimus, quousque ille, qui ordinatus est nostræ exhibeatur præsentiæ, & utraque pars coram nobis discussa conventus synodalis perpendatur accidentia*. Atque hæc etiam v. Kal. Julii, indictione tertia, data dicitur.

Hadriani litteræ ad Hincmarum Remen. & ad Epist. Regni Caroli. p. 924. &c.

4. Idemque argumentum in subsequentibus litteris pertractat Hadrianus, quas ad Episcopos Regni Caroli, iisque legatos suos nominatim commendat; ad Hincmarum vero Remensem particularem epistolam dedit, eique quod Carolum ab invasione Regni Lotharii non prohibuerit, exprobrat, dum hæc præfatur; *Si beneficiorum Domini, quæ Sedis Apostolicæ instantia consecutus es, memor esses, aut si ita de proximi, sicut de propriis casibus, juxta quod scriptum est condoleres, profecto aut amor Dei, aut timor gehennæ, ad pastoralis curæ ministerium peragendum a somno desidiæ excitaret, & ad annuntiandum iniquo iniquitatem suam, vel modicum invitaret. Sed ut in multis cernimus, & oculo mentis nostræ conspicimus, abundante iniquitate, & multorum charitate refrigerante, ipsi pastores mercenariorum more sequuntur, qui vident lupum venientem, & dimittunt oves, & fugiunt &c.*, ac nullum hactenus prioribus suis litteris responsum dedisse adnotat, ac tandem: *Quocirca*, addit, *ut ab invasione Regni spiritalis Ludovici filii nostri, Rex vester*, id est Carolus, *jam tertio monitus procul recedat, insiste, ut amplius perjurium non incurrat, invigila, & ut pro retro culpis peractis Apostolatus nostri jaculis non feriatis*,

JESU CHR. AN. 870.

tis, præcave. Quia neque tu, qui honore, & dignitate ceteris illius regni Episcopis es sublimior, silentiis opprimi debes, neque si non Regi prave agenti restiteris, coram nobis excusabilis poteris inveniri, & nisi ab incœptis desisteret, ut ab omni ejusdem consortio, colloquio, & præsentia se abstineret, admonet, quin &, *si nostræ communionis*, addit, *vultis esse participes &c.* legatos deinde suos in Gallias eadem causa missos eidem commendat, *ac data dicitur quinto Kal. Julii*, ut supra, *indict.* 3. His alteram ad Proceres Regni Caroli dedit, quæ eadem, quæ Episcopis scripserat, continet, ut ibidem videre est: ad Episcopos etiam Regni Ludovici scribens, ne exemplum Episcoporum, qui Carolo suberant, imitarentur, admonet, eisque etiam legatos suos commendat, eademque die cum cæteris data dicitur.

Hincmari epistolæ ad Hadrianum Papam n. 41.

5. Nil tamen tanta sollicitudine adhibita, tantisque scriptis litteris Hadrianum profecisse, & gesta demonstrant, ac litteræ Hincmari Remensis Episcopi ad eum datæ confirmant, quibus non solum se muneri suo satisfeciſſe probare conatus est, sed etiam, quod immerito ab Hadriano, tamquam officii sui immemor, redargutus fuerit, conqueritur. Hinc his epistolam suam verbis exordiritur, *Excellentiæ vestræ auctoritas, nuper 14. Kal. Novemb quartæ indictionis*, idest anno sequenti, *mihi per legatos suos multis, & magnis increpationibus repletam, sicut sibi placuit, misit epistolam*, quibus se nequaquam ad omnia respondere velle addit, sed hæc post aliqua subdit. *Propterea non ex æquo ad omnia, sed ad quædam de his, quæ scripsistis, de quibus tacere non audeo, brevi, & humili sermone mihi est respondendum. Quia scripsistis me reminisci debere, si unquam epistolis non rescriptum sit, & convenientibus responsis de negotiis, de quibus agebatur, Apostolicæ sedi remissum, sicut me pro vestro contemptu feciſſe penitus constat, quando nuper per missos in Galliarum partes epistolas tam mihi, quam aliis destinatis, & nullum inde responsum recepistis. Humiliter suggero, quia numquam per contemptum a sedis Apostolicæ præceptionibus deviavi, & in vestra epistola per commemoratos Missos vestros, Paulum scilicet, & Leonem venerabiles Episcopos, pusillitati meæ directa scripsistis quid inde agerem, sed non scripsistis, ut inde vobis rescriberem. Verumtamen iisdem Missis vestris*

Hincm. op. to 2. p. 689.

JESU CHR. AN. 870.

verbis respondi, pro viribus me jussionem vestram executurum. Et sane se non solum litteras ejus ad Episcopos, ad Proceres Regni Caroli, & ad Reges Carolum, & Ludovicum misisse adnotat, sed etiam ad eosdem omnes schedulam, cujus exemplar in litteris suis posuit, dedisse, *in qua sic auctoritatis vestræ præceptionem indixi, ut periculis imminentibus commemoratis, quomodo eis obviare, & illa omnia penitus, & insimul commovere non poteram, relatione ad auctoritatem vestram, etsi non resistentibus, vel mihi consulerem &c.* Atque his schedulam a se missam inseruit, qua ab Hadriano sibi per epistolam jussa exponebat, atque his nequaquam consensum præbuisse Carolum addit, qui eam Regni partem sibi a patre traditam, & ab Ludovico Imp. confirmatam fuisse ajebat, quem ideo utpote nullo adhuc judicio convictum, ab ecclesiæ communione repellere non potuit juxta sacrorum canonum auctoritatem, quorum ibidem auctoritates recitat. His vero multa inserit, tamquam ab Episcopis, & Proceribus Regni dicta, quibus Hadriani Papæ litteras ad Hincmarum datas confutabant. Inter cetera. *De hoc quod scripsistis, ut si ipse Rex Carolus in obstinationis suæ perfidia post meam conventionem persistere maluerit, quam juxta vestra monita respiscere, ab illius me communione, & consortio sequestrem, & secundum Apostolum nec Ave ei dicam, & si vestræ communionis volo esse particeps, præsentiam ejus modis omnibus devitem: cum magno cordis dolore ac gemitu dico, quoniam, & Ecclesiastici, & seculoris ordinis viri, qui de diversis regni partibus Rhemis plurimi convenerunt, quos mandatum vestrum ibidem mihi delatum, quia non debuit, latere non potuit, exiguitati meæ, qui quantum scivi, & potui, semper Apostolicæ Sedis privilegium extuli, improperando dixerunt, & dicunt: Numquam hujusmodi præceptionem ab illa Sede ulli prædecessorum meorum missam fuisse, cum inter Reges sacramentis etiam confœderatos, sed & inter patrem, & filios, ac inter fratres prælia, & seditiones eorum temporibus fuisse, noscatur, &c. Nec etiam ab hæreticorum, vel schismaticorum, sive tyrannorum Imperatorum, ac Regum, quales fuerunt Constantius Arianus, ac apostata Julianus, & Maximus tyrannus, præsentia, & salutatione, sive collocutione Sedis Apostolicæ Pontifices, vel alii magnæ auctoritatis, atque sanctitatis Episcopi, cum locus, & ratio, ac causa exegit, se subtra-*

Quid Hadriano Papæ responderint Episcopi, & Proceres Regni Caroli.

Jesu Chr. an. 870.

ſubtraxiſſe leguntur &c. Et dicunt ſæcularem ſcripturam dicere. Quia omne Regnum ſæculi hujus bellis quæritur, victoriis propagatur, & non Apoſtolicis, vel Epiſcoporum excommunicationibus obtinetur: Plurima deinde addit, quibus probare nititur, exortas de Regno quæſtiones, ab eccleſiæ tribunali non eſſe definiendas. Hinc poſt aliqua ſubdit. *Propterea ſi dominus Apoſtolicus venit pacem quærere : ſic pacem quærat, ut rixam non moveat ; quia nos credemus, ut aliter ad Regnum Dei pervenire non poſſimus, ſi illum, quem ſic commendat, terrenum Regem non habuerimus. Et alia de juramentis, & perjuriis, & de tyrannide, de quibus ſcripſiſtis, vobis dicunt. Quia veſtræ auctoritati mandare nobis convenit. Sed & alias comminationes in vos ſunt jaculati, quas adhuc nolo proferre : quaſque ſcio ſi Dominus illis permiſerit, ut jam in deliberatione, ita ſine retractatione comminantes in opere monſtrare curabunt. Et ut mihi experimento videtur propter meam interdictionem, vel propter linguæ humanæ gladium, niſi aliud eis obſtiterit, Rex noſter, vel Regni ejus primores non dimittent, ut quod cœperunt, quantum potuerint, non exequantur*. Idemque argumentum epiſtola altera proſequitur, ut ibidem videre eſt.

Hincm. epiſt. pag. 699.

16. Dum adhuc de ſucceſſione Regni Lotharii cum Carolo Rege, & Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo diſſideret Hadrianus Papa, altera diſſidii cauſa inter eos hoc tempore exorta eſt, ob Carlomannum Caroli Regis filium, qui officii ſui ſpreta dignitate, Diaconus quippe Senonenſis eccleſiæ erat, monaſteriorumque præfectus, patri rebellis factus, ingentes in Galliis turbas excitaverat, ob quam cauſam a patre bonis omnibus expoliatus, & ab Hincmaro Remenſi excommunicatus, ad Hadrianum Papam, interpoſita appellatione, confugiens, novas diſſidii cauſas inter Hadrianum ipſum, Carolum patrem, & Hincmarum Remenſem præbuit, de quibus hæc Bertinianus Annaliſta ad hunc, & ſequentem annum. *Carlomannus Caroli Regis filius, & plurimorum monaſteriorum pater reputatus, quoniam inſidias infideliter erga patrem moliebatur, abbatiis privatus in Silvanectenſi civitate eſt cuſtodia mancipatus*. Paulopoſt, *Deprecantibus iiſdem miſſis*, Hadriani ſcilicet Papæ pro Lotharii Regno in Gallias miſſis, *cum aliquantis fidelibus ſuis Carlomannum filium a cuſtodia ex Silvanectis civitate abſolvit, ac*

Hadrianus Papa Carlomanni cauſa cum Carolo Rege diſſidet.

JESU CHR. AN. 870.

ac ſecum manere præcepit. At inquietus Diaconus, fidei datæ immemor, noctu a patre aufugiens, in Belgiam provinciam abiit, *et congregatis ſecum pluribus ſatellitibus, ut filiis Belial, tantam crudelitatem, & devaſtationem ſecundum operationem Satanæ exercuit, ut credi non poſſit, niſi ab ipſis, qui eamdem depopulationem viderunt, atque ſuſtinuerunt.* Quam rebellionem, ut comprimeret Carolus exercitum miſit, ſocioſque ejuſdem, & participes bonis ſpoliatos, eorum plurimos extremo etiam ſupplicio affecit. Carlomannum vero utpote Diaconum eccleſiaſtico judicio reſervavit, quem una cum complicibus ſuis excommunicationis ſententia Hincmarus Remenſis percuſſit, cujus formulam in ſua diœceſi vulgavit, ac ad Hincmarum nepotem ſuum Laudunenſem Epiſcopum, ut ei ſubſcriberet, eamdemque vulgaret, miſit, extatque inter ejus epiſtolas, cui nihilominus Laudunenſis Hincmarus ſubſcribere recuſavit.

Hincm. oper. tom. 2. pag. 353. epiſt. 32.

Carlomannus ad Hadrianum Papam appellat.

7. Carlomannus etiam Hincmari Remenſis ſententiam contemnens, patriſque iram declinans, per oratores & litteras ad Sedem Apoſtolicam confugit, ſubdolaque narratione effecit, ut cauſæ ſuæ Hadrianus Papa faveret, ac datis ad Carolum tertio idus Julii indict. 4. ſeu anno ſequenti litteris, de ſœvitia in filium adhibita, his verbis increpavit. *Inter cetera exceſſuum tuorum, quibus aliena uſurpando invaſiſſe crederis, illud quoque nihilominus objicitur, quod etiam beſtiarum feritatem excedens, contra propria viſcera, id eſt contra Carolomannum genitum tuum ſævire minime verearis; ita ut more ſtrutionis, quod ex libro beati Job diſcimus, obdureris ad filium tuum, quaſi non ſit tuus, eum videlicet non ſolum paterna gratia, & beneficiis privans, verum etiam Regni finibus eliminans, atque quod impium eſt, ut excommunicationi ſubmittatur, affectans. Verum quia idem Carolomannus Sedem Apoſtolicam Legatis ſuis tamquam quibuſdam pedum ſuorum paſſibus adiit, & per proprias litteras nos appellat, quin potius interpellat: primo quidem ab hujuſcemodi conatu tuum intentum, auctoritate Apoſtolica refrænamus; deinde vero ne adverſus Apoſtolum ad iracundiam provoces filium tuum, ſalubriter exhortamur. Atque ideo, & gratiam ei tuam, ſicut convenit, redde, & illum, ut vera proprium filium paternis affectibus ſuſcipe: nec non, & priſtinis beneficiis, ac honoribus reſtituere ſatage, donec ſaltem*

Hadriani Papæ epiſt. ad Carolum.

Apo-

JESU CHR. AN. 870.

Apoſtolatus noſtri miſſi ad te veniant; & ſalvo debito utriusque veſtrum honore, quidquid de illo ſalubrius inventum fuerit, competenti executione, ac diſpenſatione ordinetur, ac diſponatur. Ergo ne adjicias peccatum ſuper peccatum, ſed & de priſtinis invaſionis, & avaritiæ pravitatibus deprecare, & correctionis oſtenſa perfectione, veniam Eccleſiaſticam recipere totis medullis exopta; & ne ſinetenus pereas, uſquequaque decerta; quatenus per hoc finis pravitatum, finis animadverſionis efficaciter, & præſtante Deo, cum termino culpæ, terminus accedat, & pœnæ. Dat. 3. *Idus Julii, Indict.* 4. Iſta Hadrianus ad Carolum Regem pro Carlomanno filio ejus, pro quo etiam alteras dedit ad Epiſcopos Regni Caroli ejuſdem argumenti, epiſtolas, eos admonens, ne in Carlomannum excommunicationis ſententiam, inconſulta ſede Apoſtolica, ferrent, eademque die datæ ſunt aliæ ad Proceres Regni ejuſdem, quibus ipſis ſub excommunicationis comminatione prohibet, ne arma adverſus Carlomannum ſumerent, nimiamque patris ſœvitiam his verbis arguit. *Auditui noſtro ſonuit, quod Carolus Rex etiam belluarum furorem tranſcendens, contra propria viſcera, ideſt Carlomannum filium ſuum ſœvierit &c.* tandem concludit. *Porro ſi non poteſtis*, filium patri reconciliare, *ſaltem bellis cedite, prælia diſſipate. Alioquin quiſquis veſtrum contra Carlomannum caſtra moverit, arma ſuſtulerit, vel læſionis exercitia præparaverit, ac per id, ut effundatur ſanguis fidelium conſenſerit, non ſolum excommunicationis nexibus innodabitur, verum etiam vinculis anathematis obligatus in gehenna cum diabolo deputabitur. Optamus vos bene valere' data* 3. *Idus Julias, indict.* 4. anno ſequenti. Atque hæc de geſtis in ea cauſa hoc, & ſequenti anno ſatis ſint; quid poſtea infelici Carlomanno acciderit, dicetur infra.

Hadriani epiſtola 29. 30. 31. *conc. tom.* 8. *pag.* 930. *ſeqq.*

8. Continuis, magniſque inimicitiis Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum claruiſſe, haſtenus dicta demonſtrant. At tot inter contentiones ab eo agitatas, vix major occurrit, quam ea, quam cum Hincmaro altero nepote ſuo, & Epiſcopo Laudunenſi habuit, cujus cauſa non ſolum graves, diuturnæque inter patruum, & nepotem rixæ excitatæ ſunt, ſed etiam, quod magis dolendum, inter Carolum Regem, & Hadrianum Papam. Totius hiſtoriæ, ſeu potius tragœdiæ ſeriem uſque ad hæc tempora expoſituri, quæ præceſſerint, breviter adnotamus. Hincmarus ex ſorore Hincmari

Hincmari Remenſis diſſidia cum Hincm. nepote Laudunenſi Epiſc.

JESU CHR. AN. 870.

ri Archiepiſcopi Remenſis nepos, dum ætate adhuc floreret, ordinatus Laudunenſis Epiſcopus in Parduli locum, decennio nondum elapſo, levitate ſua, & imprudentia, cum Carolo Rege diffidere cœpit, ut ad annum 868. narrat Annaliſta Bertinianus. Cum enim placitum quoddam in Diœceſi Laudunenſi Rex Carolus haberet, Luidonis filius de Hincmaro coram Rege conqueſtus eſt, quod cum patris ſui beneficium ab eo impetraſſet, injuſte ab eodem Hincmaro privatus, & ejectus fuerat. Eam ob rem Rex vehementer in Hincmarum Juniorem commotus, ipſum in frequenti Procerum corona conviciis, & opprobriis proſcidit, eique diem dixit, quo ad cauſam ſuam agendam, ideſt, ad ſæculare tribunal ſe ſiſteret, facti illius rationem redditurus. Hincmarus autem Junior ægre ferens, quod relicto Eccleſiaſtico judicio ſæculare adire judicium vocaretur, ad locum prædictum ire recusavit, ac cauſas ſuæ abſentiæ Regi declaravit. *Eo quod perſonam præfatus Epiſcopus non miſit, qui juraret, quod illuc venire non poſſet, & quoniam advocatum ſuum de ſe in judicio ſeculari non dedit, eorum conſilio, quibus cauſam commiſerat, de rebus, & facultatibus Eccleſiaſticis in uſibus Epiſcopalibus ſpecialiter habebat, proſcriptum eſt*, inquit Annaliſta Bertinianus, ſicque Hincmarus bonis ſuis, juribuſque ſpoliatus, ac ad ſeculare judicium, juſſu Caroli Regis vocatus, de injuria accepta apud avunculum conqueſtus eſt, qui etſi datis litteris, nepotem quod imprudentia ſua Caroli Regis animum commoviſſet, redarguerit, tamen apud Carolum de injuria nepoti ſuo illata, dum eum ſeculari judicio adeſſe juſſerat, renuentemque bonis privaſſet, conqueſtus eſt.

Hincm. epiſt. 29. & 35.

Hincmarus Remenſis nepoti favet.

9. Interim cum Rex Carolus anno 868. ad Piſtenſe caſtrum mense Auguſto ſe contuliſſet, illuc Hincmarus Remenſis cum nepote profectus, ſcriptis, & verbis Carolo demonſtravit, *Quantum præjudicium, & Epiſcopalis auctoritas, & univerſalis Eccleſia in tali facto patiebatur*, inquit annaliſta Bertinianus, ac ut ex ſupracitata epiſtola ad Carolum conſtat, quaterniones exhibuit, quibus canonum, ſanctorumque Patrum auctoritate, cauſas Eccleſiaſticas ab Epiſcopis tractandas eſſe demonſtravit, ac ad ea ſervanda ſe ſæpius, in capitulis Bellovaci anno 845., & Cariſiacis anni 858. propria ſubſcriptione promiſiſſe addidit, ut ibidem vide-

videre est, quibus obtinuit, ut nepoti ablata restituerentur, ejusdemque causa, coram delectis judicibus, aut synodali conventu retractaretur.

Jesu Chr. an. 870.

10. Ad synodum itaque devoluta causa sopiri fortasse facile potuisset, nisi Laudunensis Hincmarus appellatione ad Sedem Apostolicam, aliisque imprudenter gestis, tum Caroli Regis, cum Avunculi animos exasperasset, qui gravate tulerunt, se iterum ob appellationem ab eo factam, cum Hadriano Papa commissos esse, ut ex Hincmaro Remensi, in opusculo quinquagintaquinque capitulorum constat; aliud praeterea accidit, quod in se Caroli animum Hincmarus Laudunensis commovit, cum enim rogante Rege, Pauliacam villam Nortmanno Comiti Regis amicissimo Hincmarus tradidisset, paulo post facti poenitens eam repetiit, ac per vim eripere conatus est, renuentemque, tamquam bonorum Ecclesiae pervasorem, apud Hadrianum Papam accusavit, a quo mandatum accepit, quo Hincmaro Remensi jubebatur, ut Nortmannum excommunicaret, *nisi praesentialiter se omnibus Laudunensis Ecclesiae rebus exueret*. At Hadriani sententiam exequi recusavit, cum sciret Senior Hincmarus, Nortmannum res Ecclesiae nequaquam per vim usurpasse. Laudunensis vero Episcopus moras Avunculi impatienter ferens, armata manu, & permixta vulgi multitudine, venit in villam, irruit in domum, in qua Nortmanni conjux puerpera jacebat, & direpta omnis generis suppellectile, nobilem mulierem languentem immaniter ejecit. Postea Nortmannum ipsum eadem vi aggressus, a possessione expulit, omniaque ejus bona diripuit. Haec omnia constant ex Synodo Duziacensi par. 3. cap. 15. ex Epistola Synodica, ex Hadriano II. Epist. xi., & ex epistola 35. Hincmari. Haud mitius se gessit cum Amalberto Hincmarus Laudunensis, cui cum ereptum Beneficium Rex jussisset restitui, ipsum armata manu ex illo ejecit, quin & eumdem Amalbertum excommunicavit, quamvis Laudunensis Diœcesis non esset, sed Remensis, nec Archiepiscopo Remensi obsecutus est, jubenti ut sententiam contra Canones latam immutaret, ut Hincmarus Senior in Opusculo Capitum LV. cap. 2. adnotat. Hinc nova Regis Caroli, & Hincmari Remensis in Laudunensem offensio. Clericos etiam suae Ecclesiae, neque confessos, neque convictos Laudunensis Episcopus excommunicaverat, ac omni

Hincmarus Laudunensis ad Sedem Apostolicam appellat, aliaque male gesta.

JESU CHR. AN. 870.

omni Officio Eccleſiaſtico prohibuerat. Unde factum eſt, ut toto eo tempore nec infantibus Baptiſmus, nec morientibus Viaticum, aut chriſtiana ſepultura defunctis daretur; hæc autem omnia tamquam per vim, injuriamque geſta Hincmarus Remenſis, ad quem Laudunenſes clerici confugerant, irrita declaravit, ac ut facti ſui rationem redderet Remenſis Hincmarus juſſit, idque ſe canonum, veterumque Patrum auctoritate geſſiſſe probavit, ut ex altero illius opuſculo conſtat, cap. 28. 30. 32. 33. Laudunenſis autem Hincmarus, alterum oppoſuit libellum, ut hæc injuſte ab avunculo ſuo patrata fuiſſe demonſtraret, in quo quidem nonnulla ex apocryphis veterum Pontificum epiſtolis, inſeruiſſe contendit Hincmarus Remenſis epiſtola, qua Nepotis ſcriptum oppugnare ſuſcepit.

Hincmari op. to. 2. p. 386. & 355.

Vermariæ ſynodus celebratur, cujus judicium Hincmarus declinat.

11. Cumque ex utraque parte graviora indies diſſidia excitarentur: *Apud Vermeſiam ſynodum Epiſcoporum omnium Regni ſui octavo Kal. Maii ſecundæ indictionis*, anno 879. Carolus Rex congregavit, ait Annaliſta Bertinianus, *qua eumdem Hincmarum Epiſcopum vocari præcepit*, quem etiam invitum duci miſſis militibus juſſerat, niſi is ad altare confugiſſet, ut idem adnotat auctor: *Quibuſdam*, nihilominus, *Epiſcopis ſatagentibus actum eſt, ut ipſi, qui miſſi fuerant*, milites, *de Eccleſia eum non extraherent*, qui paulo poſt ſynodo ſe exhibuit, at ſive cauſa diffideret, ſive animi inconſtantia, ſynodi judicium declinans, ad Apoſtolicam Sedem iterum appellavit, quod præter jus factum Epiſcopi, & Carolus Rex contenderunt, ac aliquandiu velut in carcere apud Silvacum Laudunenſis Diœceſis locum detentus eſt, quare in proteſtatione, cujus Hincmarus Remenſis epiſtola 35., meminit, vehementer conqueſtus eſt, poteſtatem ſibi negatam proficiſcendi Romam, quo ab Hadriano Papa vocatus fuerat.

Attiniaca ſynodus pro Hincmari cauſa, cui etiam ſe Hincmarus proripit. *Concil. to. 8. pag. 1537.*

12. Hoc autem anno celebrior ſynodus apud Attiniacum celebrata eſt, ad quam Epiſcopi ex decem provinciis convenerunt, ac iterum Laudunenſis Hincmari cauſa pertractata eſt, de qua ſynodo hæc ad hunc annum adnotat ſupracitatus Annaliſta: *Menſe Majo Carolus Rex ad Attiniacum Palatium venit, ubi & duodecim legatos fratris Ludovici pro diviſione Regni accepit*, paulo poſt, *interea poſt de multis impetitus, præcipue autem de ſubjectione regiæ potefiati*,

JESU CHR. AN. 870.

ſtati, & inobedientia erga ſuum Archiepiſcopum; Hincmarus autem Laudunenſis Epiſcopus, ut ſe ab impactis accuſationibus expediret, in ſynodo Epiſcoporum decem provinciarum libellum propria manu ſubſcriptum porrexit, quo ajebat: *Ego Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus, amodo, & deinceps domno ſeniori meo Carolo regi ſic fidelis, & obediens ſecundum miniſterium meum ero, ſicut homo ſuo ſeniori, & Epiſcopus per directum ſuo regi eſſe debet, ac privilegio Hincmari metropolitani provinciæ Rhemorum Eccleſiæ ſecundum ſacros canones, & decreta Sedis Apoſtolicæ ex ſacris canonibus promulgata, pro ſcire, & poſſe me obediturum profiteor.* Iisque ſubſcripſit, ſicque tandem cauſa finita videri poterat: at alius omnino exitus fuit, nam ut narrat Hincmarus Remenſis in epiſtola, quam Flodoardus recitat, extatque inter Hincmari epiſtolas 36., Laudunenſis Epiſcopus in ea ſynodo ob injuſtas excommunicationes ab Epiſcopis accuſatus, ab Rege ob violatam ſibi fidem, ab Nortmanno Comite ob beneficia ſibi per vim ablata, ut ſententiam excommunicationis evaderet, poſt oblatum libellum, cujus ſupra mentionem fecimus, ante ſynodi definitionem inde aufugiens, altero miſſo libello, ſeu ut dicitur Pittacio, Romam eundi iterum poteſtatem petiit, qua ſibi negata, judices a Rege impetravit, in quo graviter eum peccaſſe Remenſis Hincmarus in ſupracitata epiſtola adnotat, cum præcipue ex Eccleſiaſtico judicio ad ſæculares judices provocaſſet, at Hincmarus nepos avunculo reſpondens, ſugamque ſuam Pauli exemplo ex Damaſco, vel Athanaſii excuſare ſategit, ut in ea epiſtola videre eſt; quæ inde ſecuta ſint, ſequenti anno reſervamus.

Hinc. epto. 2. p. 644.

Hinc. op. to. 2. p. 608.

13. Hoc eodem anno 870., ſexto Kal. Octobris juſſu Ludovici Germaniæ Regis ſynodum Coloniæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam reſtaurandam celebratam fuiſſe narrant veteres Francorum annales a Pithæo editi, qua inter geſta, quæ perierunt, hoc unum refertur, quod ab Epiſcopis ibidem congregatis Eccleſia Beati Petri conſecrata fuit.

Synodus Colonienſis *concil. to. 8. pag. 1539.*

14. Hic autem annus Nortmannorum cladibus Angliæ Orientali funeſtus fuit. *Suvarus* enim, & *Hubba* Danorum Duces, Nortmanni etiam dicti, illuc irruentes Sanctum Edmundum Orientalis Angliæ Regem, & cum illo Humbertum Epiſcopum interemerunt, ut narrat Veſtmonſtarienſis, cui

Nortmanni Angliam Orientalem ſibi ſubjiciunt.

JESU CHR. AN. 870.

ceteri Angliæ historici suffragantur; Ac *Edmundo peremptо in Orientali Anglia regnare desierunt Angli, annis quinquaginta, novennio enim fine Rege, Paganis vastantibus, provincia subjacuit. Postea in Orientali Saxonia Guthrum Rex Danus regnavit annis duodecim, tempore Regis Altfredi. Guthrum habuit successorem æque Danum, nomine Eodric, qui cum regnasset annis XIV. peremptus est ab Anglis, eo quod inciviliter in eos egisset. Nec tamen eis libertas assurrexit, Danorum Comitibus, vel eos prementibus, vel in Vestsaxonum Reges acuentibus, donec Eduardus, filius Alfredi, ambas provincias expulsis Danis, liberatis Anglis, suo, idest Vestsaxonum imperio adjecit, anno post occisionem Sancti Edmundi Regis, & martyris quinquagesimo, regni sui decimo quinto*, inquit Malesburiensis lib. 1. de Regibus cap. 5.

Edmundi Regis martyrium.

De Edmundi Regis, & Humberti Episcopi obitu, & martyrio plura ex Matthæo Vestmonstarienſi refert Baronius, quem virgis cœsum, sagittis confixum, ac tandem capite truncatum, miraculis quoque inclaruisse tradit, ac tandem *Passus est Rex, & martyr Edmundus anno gratiæ* 870. *Regni vero sui anno* 16. 12. *Kal. Decemb. feria secunda, indict.* 4.

Monasteria in Anglia a Danis diruta.

15. Eaque occasione monasteria ab Danis, seu Normannis eversa, dirutaque fuisse, ac præcipue Elienſe ab Etheldrita Regina fundatum, virginibus, ac monachis omnibus occisis, narrat Thomas Elienſis monachus in vita ejusdem Reginæ, & monasterii Elienſis Abbatissæ, cap. 40. Eademque de monasteriorum eversione, monachorumque utriusque sexus strage tradunt ceteri Anglorum Annalistæ veteres, recentioresque, Ingulphus, Alphordus &c. de quibus plura refert tum Baronius, hoc & sequentibus annis, cum Mabillonius in annalibus ordinis Benedictini; ubi & monachorum certamina cum Paganis refert, & monacharum Coludenſium heroicum, & inauditum facinus narrat, quæ ut pudicitiam servarent, nasum sibi, labrumque novacula omnes præciderunt, sicque intacta pudicitia, a barbaris interfectæ sunt, ut post Baronium ibidem narrat Mabillonius, quarum egregium facinus, Baronii exemplo, & verbis, ab audaciorum censura vindicat, ut ibidem videre est. Hæc quippe de monasteriorum eversione, monachorumque stragibus summatim attingimus, ne plus æquo longiores simus, cum præcipue hæc summa cum diligentia a Mabillonio, aliisque tractata sint.

Mabill. Acta Ordin. Bened. sæculo 2.

Bar. 870. 39. & seqq. 874. 4.

Mabill. Annal. an. 870. to. 3. p. 188.

16. Ad

JESU CHR. AN. 870.

15. Ad gesta in Oriente stylum convertentes, Metrophanis Smyrnensis in Jonia Metropolitani epistola de gestis Photii se offert, is quippe etsi filius mulieris fornicariæ, quæ Methodium Patriarcham CP. stupri accusaverat, ut narrant Curopalates, & Cedrenus, vir alioquin pietate, & doctrina insignis fuit, qui egregiam in synodo octava inter catholicos Episcopos operam navaverat, ut synodi acta præseferunt, is porro a Manuele, seu Emmanuele Patricio, & tabellariorum Præfecto rogatus, ut res a Photio ab initio usque ad damnationem ejusdem in synodo Oecumenica facta, summatim colligeret, sibique referret, rem summa fide persequutus, rerum gestarum seriem una epistola complectens, cuncta narravit, ac nonnulla etiam ab aliis prætermissa diligenter adnotavit, quam utpote sua ætate ineditam annalibus integram inseruit Baronius, eaque se cum Ignatio, synodi Photianæ in æde Sanctorum Apostolorum celebratæ sententia Metilena exulasse, ac Photium adhuc laicum excommunicatum fuisse adnotat, cum vero CP. sedem invasisset, quinquies anathemate damnatum fuisse addit, ac tandem: *Qui igitur a quinque Synodis justis de causis, & pro multis iniquitatibus fuit condemnatus, & Diabolo per anathema traditus, dignum ne illum umquam judicares, ut Christianus ullo pacto diceretur? vel ut sacer Deo foret dicatur, nedum supremum obtineret sacerdotium? Primum enim depositus fuit, & anathemate damnatus ab Episcopis Constantinopolis provinciæ, quando suum chirographum violavit, & irritum fecit. Secundo a Romana Synodo, cum ad Papam Nicolaum ipse scripsit. Tertio cum Rodoaldus, & Zacharias Roma sunt reversi, quo etiam tempore ipsi fuerunt depositi. Quarto a Synodo ab Hadriano Papa Romæ congregata. Et quinto ab Oecumenica Synodo octava Constantinopoli habita. Hæc itaque magnificentissime, & sapientissime vir in animi tui ærario depone ad tui custodiam, & cautelam, vel potius portionem, & sortem, & cum Photio nulla tibi sit, ullo pacto, communio.* Hucusque Metrophanes.

Metrophanis epistola ad Manuelem de gestis Photii.

Bar. nn. 44. ad 52.

16. Synodo octava absoluta, de subjectione Ecclesiæ Bulgarorum ab Apostolicæ Sedis legatis cum Græcis disceptatum fuisse anno proximo diximus, dum eamdem Constantinopolitanæ Ecclesiæ subditam esse Græci contenderent, Latini e contra Romanæ Ecclesiæ, a qua fidei prædicatores ac-

Bulgarorum Ecclesia CP. subjicitur.

JESU CHR. AN. 870.

ceperant, ac intra Illyrici limites positam. Romano Patriarchatui subesse contendebant: hæc quidem quæstio indecisa tunc remansit, at paulo post, ut in vita Hadriani II. adnotat Gulielmus Anastasii continuator: *Per Orientales, Constantinopolitanosque, donis ac promissionibus persuasi* Bulgari, *Græcos Sacerdotes suscipientes, nostros ejiciunt*, ut Grimoaldus Episcopus Romam reversus, ac se a Bulgaris ejectum referens, dixit: *Magnum epistolæ volumen frivolis allegationibus, tamquam sub prætextu deliberatæ sententiæ synodo præsidentium implicatum Apostolicæ Sedi super excusatione sua remisit*, ait idem auctor, Grimoaldi agendi rationem suspectam sibi fuisse aperte indicans; de hac Bulgarorum subjectione agens Porphyrogeneta in Basilio Imp. num. 95., ea præteriit, quæ inter Latinos, & Græcos agitata fuerant, hæc tantum adnotans, eam scilicet gentem, Christi susceptа fide aliquandiu instabilem, ac quasi volaticam, sicut folia, quæ a vento agitantur, fuisse: *Usque dum crebris Imperatoris hortamentis, splendidisque acceptionibus, ac cultu, nec non magnificis largitionibus, ac muneribus, Archiepiscopum recipere suadetur, nec plures in provincia creari Episcopos, iisque constipari abnuit.* Horum opera, & monachorum, quos illuc Ignatius, & Basilius Imp. miserant, *avitis moribus valere jussit, in Christi sagenam, quidquid Bulgariæ gentis est, concessit*, ait idem auctor.

Anastas. pag. 437.

Ignatius Theophylactum Bulgarorum Episcopum ordinat.

17. Iis vero Ignatius Patriarcha Theophylactum Archiepiscopum ordinavit, diversum sane ab altero Theophylacto Bulgarorum Episcopo, qui sæculo undecimo desinente floruit, de quo Labbeus, Dupinius, Oudinus ejus opera recensentes, mentionem habent. Inopinatæ usurpationis graviter conquestus est Hadrianus Papa in litteris ad Basilium, & ad Ignatium anno proximo scriptis, quod præcipue Ignatius, inconsulta Apostolica Sede, Episcopum Bulgaris ordinasset; Hinc ad Basilium, *Est præterea, & aliud*, inquit, *quod prima pietatis vestræ opera, vel circa Sedis Apostolicæ prioris benignitatis indicia contra spem nostram decoloraſſe convincitur, immo funditus destruxisse probatur, videlicet quia favore vestro frater, & Coepiscopus noster Ignatius Bulgarorum regioni consecrare præsumpsit Antistitem. Unde mirati sumus, & quod a pia intentione vestra retroversi sitis, admodum obstupuimus. Verumtamen saltem nunc jam dictum reverendissimum præ-*

Hadriani Papæ querelæ de Episcopo Bulgarorum ab Ignatio ordinato.

concil. to. 8. pag. 1173.

præſulem ab illius regionis diſpoſitione ſalubribus monitis quæſumus coercete, alioquin nec ipſe canonicam effugiet ultionem, nec hi, qui præſulatus, vel alterius officii ſibi nomen illic uſurpant, cum excommunicatione, qua jam tenentur aſtricti, etiam proprii gradus jactura carebunt &c. Ad Ignatium vero eadem de cauſa, *Scripſiſti*, ait (ut illa tua multa alia omittamus), *ut Presbyteri noſtri e Bulgarorum regione magno cum dedecore, & contumelia ejicerentur, & Epiſcopi cum non parva ignominia, nulla dignitatis habita ratione, inde expellerentur. Et hæc quidem ſcribere auſus es, licet nullum hac de re coram nobis judicium habitum ſit. Neque enim ſuper hoc, ut jus diceremus, fuimus accerſiti. Sin autem dixeris priores nos Conſtantinopolitanæ diœceſeos præsbyteros in prædicta regione rem ſacram facere prohibuiſſe, non inficiatimus. Erant enim ex eorum numero, qui cum Photio communicaverant, atque ejus ſocii, qui non ſolum ne ſacerdotum munus exercerent in prædicta regione Bulgarorum interdiximus, verum etiam nunc iterum interdicimus. Oportebat igitur, ut rationi congruum erat, cum hæc ſcires, ut nihil tale in regione Bulgarorum patraret &c.*

Jesu Chr. an. 870. concil. to. 8. pag. 124.

Hadriani epiſt. ad Ignatium, pag. 117.

18. Photius interea ſua ſede dejectus, ac in exilium pulſus de sua obſtinatione, & temeritate nihil omnino remiſerat, quin Oecumenicam ſynodum ſynagogæ Judæorum comparans, se diſcipulis Chriſti coæquabat, hæc Michaeli Mitylenes Epiſcopo ſcribens: *Quemadmodum diſcipulos Domini Judæorum conciliabulum Chriſto exoſum e ſua ſynagoga ejecit, ipſos eo magis Præceptori ſuo, & Domino junxit, & charioſem illis effecit, ita etiam nunc iſti Judæorum imitatores, qui nos Apoſtolorum æmulos e ſynagoga ejecerunt ſua, nos quidem divinis illis Apoſtolis divini Verbi ſpectatoribus magis conjunxerunt, & applicuerunt. Malorum enim communio, & conſortium perſpicaciorem reddit, & arctiorem tum vitæ, tum fidei conjunctionem, illi vero contra ſeipſos ab Apoſtolorum doctrina, & a noſtra recta fide, quinimo a Chriſtianorum nomine, & converſatione ſuam ipſorum ſortem miſere, & perdite omnino ſegregarunt, & ſe una cum Judæis præcipites dederunt, quos ſunt imitati, quod ad Chriſti necem, & interitum pertinent &c.* In altera vero epiſtola ad Michaelem Protoſpatarium amicum ſuum de ſuis, ſuorumque, vel amicorum calamitatibus, quas vel ipſe, ceterique, ſui

Photii jactantia, & querelæ.

JESU CHR. AN. 870.

sui causa sustinebant, hæc adnotat. *Corpus morbis, animus passionibus, tota vita obtrectationibus hominem afflictla desuit. Amicorum incommoda sollicitant, servorum cruciatus, plagæ, captivitates, consanguinei gravibus minis distracti, rerum necessariarum privationes, direptiones librorum, vastationes sacrarum ædium, quas propitiatorium scimus, item psallentium, legentium, in omnibus divinis ministrantium. In omnes domus acerbæ sententiæ, & decreta, ne quisquam appropinquet, ut ad nos veniat. Quid commemorem quotidianas quæstiones, ac disceptationes, & judicia, & damnationes, ubi nec ullus testis, nec judex, nec accusator quidem non solum in nos, sed etiam in amicos, & cognatos, & famulos, in omnes denique in quos irruit meditatio, studiumque, & excogitatio in perniciem nostram &c.* Hæc, & alia ibidem, ejusdemque styli sunt aliæ epistolæ ab eo tunc scriptæ ad Tarasium fratrem, ad Joannem Hæracleæ Episcopum, ad Arsenium monachum, ut eos ad sustinendas patienter calamitates excitaret, in quam rem alia extat ejusdem epistola ad Gregorium Syracusanum olim Episcopum, jam ante a Benedicto Papa, deinde a Nicolao depositum, & excommunicatum, ac ab Hadriano, & Oecumenica synodo iterato anathemate percussum, qua se pro Ecclesia Dei pati gloriatur, eumdemque, ut in incœptis perseveret, hortatur, ut ibidem videre est.

Leo Basilii Imper. filius Augustus dicitur.

19. Hoc autem anno Basilius Imp., cum jam antea Constantium filium Imperio sociatum Augustum dixisset, filiorum alterum, Leonem scilicet, qui etiam patris successor fuit, in Theophaniæ celebritate, Imperio sociavit, ac Imperatorem Ignatii manu coronari jussit, extatque numisma Baronii annalibus insertum, rudi quidem minerva exculptum, rudioribusque litteris Græcolatinis exornatum, quo pater cum duobus a latere filiis inscriptus est, qua occasione de Basilii Imp. origine, uxoribus, filiisque, ex Curopalate, Porphyrogeneta, Leone Grammatico, & Ducangio in familiis Augustis Bizantinis, plura Pagius adnotat. nota 23. 24. 25. quæ cum vix Ecclesiasticæ historiæ lumen afferant, consulto omittimus.

Michael Bulgarorum Rex fit monachus

20. Michael autem Bulgarorum Rex, ut Christi fidem in Regno suo radices fixisse vidit, regia dignitate in filium translata, monasticum induit habitum, piisque operibus se

se totum dicavit, ut his verbis narrat Annalista Metensis: *Ferunt de hujus gentis Rege, quod a tanta perfectione post perceptam baptismi gratiam cœperit, ut diebus ornamentis Regiis indutus coram populo procederet, noctibus vero sacco vestitus, latenter Ecclesiam intrans, super pavimentum ipsius Basilicæ, subtracto tantum sibi cilicio, prostratus in oratione jaceret. Non post multum tempus divina inspiratione commonitus, regnum terrenum dimisit, ut in cœlis æternaliter regnaret cum Christo. Et ordinato in loco suo in Regem majori filio suo, comam capitis deposuit, habitumque sanctæ conversationis suscepto, Monachus effectus est. Eleemosynis, vigiliis, & orationibus die, noctuque intentus. Interea filius ejus, quem Regem constituerat, longe a paterna intentione, & operatione recedens, prædas cœpit agere, ebrietatibus, commessationibus, & libidinibus vacare, & omni conamine ad gentilitatis ritum populum noviter baptizatum revocare. Quod cum pater audisset, nimio zelo accensus, sacrum habitum deposuit, & militiæ cingulum resumpsit, & cultu Regio indutus, adsociatis sibi Deum timentibus, filium persecutus est. Quem mox absque difficultate cœpit, oculosque ejus effodit, & in carcerem misit. Deinde convocato omni regno suo, filium juniorem Regem constituit, interminatus coram omnibus, similia fore passurum, si in aliquo a recta Christianitate deviaret. His ita gestis, depositio cingulo, & resumpto sacræ religionis habitu, ad monasterium regressus in Sancta conversatione reliquum vitæ præsentis tempus duxit.* Hæc is auctor, uno referens loco, anno scilicet 868., quæ annis plurimis disjuncta fuerant, baptismum scilicet Michaelis Regis, ejus conversionem, monasticum habitum bis indutum, & obitum, quæ sane post annos plurimos contigere, nam anno 896, Michael ex Rege monachus, etsi senex adhuc vivebat, ut ibidem dicturi sumus. Quonam autem anno monasticum induerit habitum in obscuro est.

JESU CHR. AN. 870.

JESU

JESU CHRI. AN. 871.

JESU CHRISTI AN. 871. HADRIANI SECUNDI PAPÆ 5. LUDOVICI IMP. 17. BASILII IMP. 5.

Iguatii literæ, et legatio ad Hadrianum Pontif.

1. Cum plurimi a Photio ordinati, vel cum eo communione sociati, in suis ordinibus ministrare, vel ad superiores ordines ascendere, octavæ synodi decreto prohibiti, ab Ignatio, ut suis officiis restituerentur, vel etiam ad majores ordines promoverentur, postularent, ne quidquam, Apostolica Sede inconsulta, contra Oecumenicæ Synodi auctoritatem Ignatius ageret, Theognostum monachum, & magnæ Ecclesiæ, idest Sanctæ Sophiæ *Scevilacem*, seu vasorum custodem, cum litteris suis legatum ad Hadrianum Papam misit, ab eo enixe petens, ut eosdem pro Ecclesiæ utilitate suis officiis restituere, vel etiam, ut ad majores ordines promovere sibi liceret, eaque epistola, post præfationem, qua in laudem Rom. Ecclesiæ nonnulla adnotat, petitionem suam his verbis exponit. *Quod autem sanctissimis vicariis paternæ sanctitatis vestræ adhuc præsentibus, penitus perfectum non est, neque finem accepit, rogamus nunc retractari, & disponi perfecte, & integre scribi ad humilitatem nostram de his Lectoribus, qui tonsi sunt a Photii manus impositione, qui cum sint pene innumerabilis multitudinis in universis regionibus, & civitatibus, Ecclesiæ postulant ex necessitate illorum fieri sacerdotalem provectum. Ut cognoscamus etiam, & super hac re vestram voluntatem, atque decretum certissime, & manifestissime, utrum sint digni promoveri ad majores sacerdotii gradus, an non sint. Dubium enim tantum hoc dimiserunt. Et adhuc postulamus etiam de intimo filio nostro, & fortissimo veritatis agonista Paulo videlicet Chartophylace, ut si est possibile, cum dispensationis aliqua ratione recipiat dignitatem Episcopatus, quemadmodum, & antea litteris nostris efflagitavimus. Deinde quoque super Theodoro, qui a nobis quidem consecratus est Metropolita Cariæ, multum enim laboravit, & afflictus est ab initio injustæ, & iniquæ dejectionis nostræ, in novissimis vero cum misero Photio conveniens propter ejus immensa tormenta, quæ sibi resistentibus inferebat, consensit, & usque ad ultimum ipsius diem, repœnitens nihilominus, rursus corde contrito, & spiritu humilitatis veniam expetivit; prohibuerunt eum sacerdotio fungi quoquo modo sanctissimi Vicarii*

JESU CHR. AN. 871.

carii almitatis veſtræ, eo quod ſubſcripſerint, ut fatebantur, in eam, quæ facta eſt ab infeliciſſimo Photio quaſi depoſitio beatiſſimi, & optimi Patris noſtri Nicolai deceſſoris ſanctitatis tuæ. Hæc ſunt, de quibus rogamus ſanctitatem veſtram, ut ſi poſſibile ſit, utatur verbo diſpenſationis, & miſericordiæ in his, cum alia omnia optimum, & commodum finem, ac diſpoſitionem ſuſceperint &c. eique munera miſit, Evangelium ſcilicet Græco latinum, Orarium deauratum, Caſulam optimam, & theriacam probatiſſimam.

Baſilii epiſt. ad Hadrianum, & petitio, ut diſpenſationem obtineret. *pag.* 1170.

2. Ut autem facilius, quod ab Hadriano Papa petebat Ignatius, obtineret, interceſſorem adhibuit Baſilium Imperatorem, cujus in eamdem rem extat epiſtola, qua poſt nonnulla in laudem Pontificis dicta, de legatione ab Ignatio Romam miſsa, ſubdit: *Quoniam vero, & litterarum gerulum expeditum ad peregrinam profectionem, & magnanimum ad malorum tolerantiam conſecuti ſumus, id ipſum optabile habentem Principi Apoſtolorum ante promiſſum cauſa reddendi votum, eumdemque veſtræ paternæ ſanctitati commendamus, ſuper hoc quoque multum tranquillitatem veſtram rogantes. Idem autem hic Theognoſtus, quem & vos bene noſtis, Deo amabilis Egumenus ſemper laudabilis Dei Matris Pigis, id eſt, Fontis, & vaſorum cuſtos magnæ Eccleſiæ. Per ipſum ergo, quæ noſtri deſiderii ſunt opportune adimplere conſpeximus, implorantes coangelicam ſanctimoniam veſtram in primis quidem de habitu veſtro, qui ſecundum Dominum eſt, deinde etiam de amabilium Deo Apocriſariorum ejus, & Vicariorum proſpero itinere, litteris per eum ſignificari nobis celerius. Jam enim tempus habemus non modicum expectantes, & neſcimus evidenter tarditatis cauſam, ſed & ſi hactenus deeſſe clarueriut, ſaltem ſero, hoc nobis agnitum fiat &c.* quaſi ignorare potuiſſet, quænam fuerit legatorum Apoſtolicæ Sedis adverſa fortuna, & cauſa expoſita, cur legatum Ignatius miſiſset: *Pro his*, addit, *Imperium noſtrum flagitat pietatem tuam diſpenſandum aliquid hinc humanius &c. Transmiſimus autem ſanctitati veſtræ gratia commemorationis Imperii noſtri, & dilectionis, quam circa illam habemus, quæ per ſpecies deferunt. Veſtimenta diaſpra tria, Eſophorin dicitrinum cancellatum unum, Chaſdium Orobeum unum, Cazzulin dirodinum habens ornaturam auream, & vellus praſinum, Vilarnipinnum pro caſula facienda unum, uſin rubeum*

JESU CHR. AN. 871.

aerem habentem unum, uſin album unum, mulchumat unum, planetilia caſtanea duo. Ad hæc autem Hadrianus iſta reſcripſit.

Hadriani Papæ epiſt. ad Baſil. Imp.

3. *Hadrianus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimis, ac ſpiritualibus filiis Baſilio, Conſtantino, & Leoni piiſſimis, & tranquilliſſimis Imperatoribus. Lectis excellentis Imperii veſtri litteris, dilectionis veſtræ, qua circa nos flagratis, indicia, & pietatis ſolita ſtudia non tam cognovimus, quam recognovimus. Unde gratiarum multimodas actiones ſummæ divinitati referimus, & multiplices laudes ejus concinere non ceſſamus, ob id maxime, quia circa religionis cultum accenſi, poſtpoſitis ceteris ſæcularibus curis, ante omnia Eccleſiæ paci conſuluiſtis, & quia Sedis Apoſtolicæ decreta ſana, priſcaque lege ſuper exortis controverſiis exquiſiviſtis, & in colligendo magno, ſanctoque collegio pium ſtudium, ac deſiderium abſolviſtis, in quo abdicato pravitatis auctore, definitio rectæ Fidei, & Catholicæ, & paternæ traditionis, atque jura Eccleſiæ perpetuis ſæculis profutura, & ſatis idonea fixa ſunt, & firmata. In quo etiam illud mirabilius, & laudabilius ſublimitatis veſtræ prædicatur inſigne, quod non judicium, vel aſſeſſorum, ſed conſciorum tantum, & obſecundatorum perſona uſi fuiſte dignoſcimini, ita ut per humilitatis arcem ad culmen virtutum pervenire delegeretis potius, quam Imperialis altitudinis faſtu ad inanis gloriæ ima dilabi conſenſeritis.* His juſtas querelas de legatis ſuis ingerit, eo quod abſque ullo præſidio ab Imperatore dimiſſi, in piratarum manus inciderant, unde rebus omnibus, ut diximus ſupra, expoliati, vix ſalvi, & incolumes Romam redierant, de Ignatio autem CP. Patriarcha hanc alteram addit querelam: *Quia favore veſtro*, ait, *Vulgarum*, seu Bulgarorum, *regioni conſecrare præſumpſit Antiſtitem*, uti anno proximo adnotavimus. Petitam vero diſpenſationem pro iis, qui a Photio ordinati fuerant, ut in ordinibus ſuis miniſtrarent, vel ad majores promoveri poſſent, ſe nequaquam concedere poſſe aperte teſtatur: *Ab illis quippe*, ſubdit, *ſacratiſſimis conſtitutis, quæ vel Apoſtolicæ memoriæ deceſſor noſter Papa Nicolaus antea ſalubriter ſanxit, vel nos poſtea diſpenſatione protulimus, nulla ratione, vel mutatione diſcedimus, vel ad dexteram, vel ſiniſtram quoquo modo declinabimus.* Quæ videlicet tota jamdudum probavit Eccleſia, & immutilata ſervanda,

concil. to. 8. pag. 1173.

vanda *nuper geſtum univerſale concilium ſtatuit*. Hæc & alia in eam rem ibidem, ac data dicitur quarto Idus Novemb. Indict. 5., ſeu anno labente. JESU CHR. AN. 871.

4. Cur autem a Photio ordinatos, Apoſtolica Sedes ab omni officio remotos eſſe juſſerit, hanc Anaſtaſius ad eam epiſtolam rationem affert: *Quæritur, cur Sedes Apoſtolica eos, qui a Photio damnato in diverſis ſunt Eccleſiæ gradibus inſtituti, ſine recuperatione depoſuerit, cum ab Ebbone damnato ſacratos, & poſt aſtantibus Epiſcopis, depoſitos inſtaurari decreverit? Sciendum eſt, quia Photius tamquam neophytus, & adulter, qui & ſcilicet viventis Eccleſiam invaſerit, & ab excommunicatis, atque depoſitis Epiſcopis fuerit ordinatus, numquam fuiſſe Epiſcopus dictus, & promulgatus. Sed nec hi ab eo manus impoſitionem acceperunt, comparatus videlicet Maximo Cynico, ipſo, & ordinatis ab eo a ſecunda Synodo, cum ordinatore repulſis. Ebbo autem Rhemenſis Epiſcopus licet poſtea ſit depoſitus, quandoque tamen Epiſcopus fuit, quemadmodum, & Acacius, de cujus ordinatione Papa ſtatuit Anaſtaſius, ut ſcilicet, quos poſt damnationem ordinavit Acacius, nulla portio læſionis attigerit. Denique ſi pater meus adulter eſt, & ego ex adulterio naſcor, profecto ut illegitimus ex hæreditate repellor, quod tamen non paterer, ſi pater meus probaretur veraciter homicida.* Hæc Anaſtaſius, atque ex his conſtat eum, alioſque tunc temporis in ea opinione fuiſſe, ut ſicuti olim ab aliquibus in Oriente, & Africa hæreticis baptizati, nullam recepiſſe gratiam crederentur, itaut altero baptiſmate ablui deberent, ita quoque ordinati ab iis, qui contra canonum ſtatuta ordinationem ſuſceperant, nullam recepiſſe ordinis conſecrationem, vel gratiam, ac veluti laici haberentur, quod iterum, ex ordinationibus Formoſi Pontificis confirmatum fuit, ut infra dicturi ſumus. De non recipiendis ab Photio ordinatis ratio.

5. In ea autem epiſtola cum Baſilio Imp. de victoriis ab eo contra barbaras gentes relatis gratulatur Hadrianus Papa, his verbis. *Quamvis multa inſtantia & certamen viri prudentis, & religioſiſſimi Egumeni, & ſacrorum vaſorum cuſtodis Theognoſti, qui de pietatis veſtræ virtutibus, & probabilium morum inſignibus, & trophæorum triumphis, atque beneficiorum veſtrorum pie ſibi præſtitorum multitudine nos plurimum relatione ſua lætificavit &c.* Atque ut Deus Baſilii Imp. de barbaris victoria.

JESU CHR. AN. 871.

ejuſdem Imperium firmaret, barbaraſque gentes ſubjiceret, auguratur. Baſilii Imperatoris victorias adverſus Tephricæ Principem, nomine Chryſochirum fuſiori ſtylo proſequitur Porphyrogeneta in ejus vita num. 37: Cum etenim irruptionem in Romanas provincias, excurſioneſque is egiſſet, adverſus eum ſuſcepta expeditione Tephricam adortus Baſilius, ut eam murorum firmitate, annonæque copia, & barbarorum multitudine munitam agnovit, ne ibidem diu detineretur, delectam militum manum adverſus Zepetram urbem miſit, qui eam primo impetu cœpere, & qui pridem in ea vincti tenebantur Romani, ex carcere liberarunt. Tum vicinas terras excurrentes, *Sarmatum* diripiunt, eodemque impetu ſuperato *Euphrate*, *cum nullus uſquam obſiſteret (quod nimirum haud procul ab Imperatore hoſtium caſtra locata eſſent)* multis captivis, ac ingenti præda ditati, ad Imperatorem redierunt. Poſt hæc Imperator Baſilius iter ſuſcipiens cum universo exercitu, quod ad Melytenem ducit, & tranſmiſſo *Euphrate*, & regione, quæ inter Euphratem & Arſinum effunditur, devaſtata, in Urbem Melytenem irrumpit, quæ eo tempore ingenti civium multitudine repleta erat, Barbarorum copiis munita, ſed cum accepiſſet eam neceſſario commeatu abunde inſtructam eſſe, *inde diſcedens, in regionem Manichæorum irrupit, exciſiſque arboribus, ac ædibus igni ſuccenſis, cunctiſque obviis devaſtatis* eorum caſtellum penitus evertit, in urbem deinde reverſus, triumphali corona ab Ignatio Patriarcha donatus fuit, ait idem auctor, cui Curopalates, Leo Grammaticus, Cedrenus, aliique conſentiunt.

Porphyr. pag. 166.

Leo Gramm. pag. 471.

Legatio Petri Siculi ad Principem Manichæorum.

Biblioth. PP. tom. 16.

6. Ad hunc annum pertinet legatio Petri Siculi a Baſilio Imp. miſſa ad Chryſochirum Manichæorum Principem, qui in urbe Tibrica regnabat, uti liquet ex ejus hiſtoria *de vana, & ſtolida* Manichæorum *hæreſi*. Hæc enim prope finem leguntur. *Per id tempus eminebat gentis Princeps, Corbeas, qui peſtiferam plebem illam regens, uſque adeo numerum adauxit, ut cum capi omnes Argeo non poſſent* (erat Argeum, ſeu, ut habet Curopalates pag. 824.) *Argaum*, Oppidum non longe a Tephrica, de qua mox egimus, diſſitum, *mutatis ſedibus Tibricam exædificarit, domiciliumque in ea collocarit*, ut ſic Agarenorum tyrannidem vitaret, ſtudebat quippe ejus ſectæ Princeps Armeniæ, Romano-

manorumque Imperio non longe abeſſe, ut eos qui ad eum confugiebant, hos ſibi redderet amicos, haberetque ad prædas agendas ſocios & participes: Unde addit auctor. *Romanorum itaque arces, quæ ad Pontum ſitæ ſunt, aſſidue populabatur, tutum illic ex loci opportunitate perfugium, & aſylum iis inſtituens, qui per Romanum Imperium ad mortem propter hæreſim illam petebantur.* Inſuper propoſita morum libertate, ſeu potius quælibet audendi, & agendi, etſi turpia, ac nefaria, earum regionum incolas facile ad se provocabat, ut ſcilicet Manichæorum ſectam amplecterentur. De legatione ſua hoc anno ibidem inita, anno ſcilicet altero ab inauguratione Leonis Baſilii filio, quem anno proximo Auguſtum dictum fuiſſe narravimus, hæc addit idem Petrus. *Poſt ejus mortem, Corbeæ ſcilicet excepit rurſus peſtiferæ gentis tyrannidem Chryſocheris conſobrinus, & gener ejus, quo regnante nos Tibricam Imperatorum miſſi venimus, ut duces captivos permutaremus, quod & altero anno regni Imperatorum noſtrorum Baſilii, Conſtantini, & Leonis, pietate, juſtitia, magnitudine inſignium peractum eſt. Ego Tibricæ novem menſes verſatus (ſuperſtitibus adhuc Baſilio, & Zoſimo, impuris illis Comperegrinis, ut eos vocitabant) ea quæ ſupra nobis commemorata ſunt, accurate perſcrutatus, curioſeque percunctatus palam facere enixe contendi &c.* ac addit Dæmonem, qui in ceteris hæreſibus exultabat, in Paulicianis ſeu Manichæis triumphaſſe, cum præcipue impuræ ſectæ portenta, & ſcelerata myſteria in ſecreto parerent. *Sed triumphata eſt hujus jam improbitas, Imperatorum noſtrorum Baſilii, Conſtantini, & Leonis Imperio. Flagitioſorum enim Paulinicianorum olim recondita myſteria, & egregia pharmacorum aconita pleriſque mortalium ignorata, nunc demum aſſiduis Imperatorum noſtrorum pacis, & rectæ fidei inſignium cultorum votis, curiſque perpetuis, & Deo gratiſſimis vigiliis, atque prudenti adminiſtratione palam in triumpho oſtentantur.* Cum idem auctor de iis diligenter, dum ibidem legatione fungeretur, edoctus, eadem confutare aggreſſus eſt, quod ſicuti promiſerat, an adimpleverit, ignoratur. Nam impiæ tantum ſectæ ab origine ſua, uſque ad hæc tempora, quo legationem is egit, expoſitio in ſex capita diſtributa ſupereſt, ac confutatio de-

JESU CHR. AN. 871.

Dupin. biblioth. Sec. 9. pag. 657.

fide-

JESU CHR. AN. 871. Photii epistola ad Basilium Imp.

sideratur, cujus partem in Vaticana bibliotheca extare Sirmondus tradit.

7. Photius vero in exilio constitutus, variisque ærumnis affectus litteras ad Basilium Imp. lamentabili stylo, & ad excitandam commiserationem apto dedit. *Audi humanissime Imperator*, inquit, *Non obiicio nunc veterem amicitiam, nec tremendum jusjurandum, & pacta, non conventionem, non impositionem manuum ad Imperium: non quod ad nostras manus accedens, tremenda & purissima participasti mysteria: non vinculum, quo nos egregii filii adoptio astrinxit: Nihil horum dico, sed communia hominum tibi prætendo jura. Omnes enim, & Barbari, & Græci quos morte damnant, eos educunt e vita: quos autem vivere sinunt, non cogunt fame, & quampluribus aliis malis emori. Nos vero vitam vivimus morte acerbiorem. Captivi facti sumus, & omnibus privati, cognatis, ministris, familiaribus, omni denique humano cultu. Et quidem divinus Paulus cum in vinculis circumduceretur, amicorum, & necessariorum officiis frui non prohibebatur, & cum ad mortem duceretur, humanam a paganis Christi hostibus consequebatur mansuetudinem. At fortasse longum tempus, si non sacerdotes Dei, at certe aliquos sontes talia passos demonstrat. Etiam libris privati sumus: novum hoc, & inopinatum, ac nova in nos excogitata pœna. Ut quid fiat? Ut ne audiamus verbum Domini. Non accidat in Regno tuo hanc execrationem impleri: Quia erit in diebus illis fames panis, & fames audiendi verbum Domini. Cur enim adempti nobis libri sunt? Si enim injuriam fecimus, plures oportebat dari, & quidem addi etiam docentes, ut legendo magis juvaremur, & redarguti corrigeremur. Si vero in nullo injurii fumus, cur injuriam accipimus? Nemo hoc Orthodoxorum, ne ab iis quidem, qui alia sentirent, passus est &c.* Quod etiam exemplis confirmat, Athanasii scilicet, Eustasii, Pauli CP. Episcopi, Joannis Chrisostomi, aliorumque, quibus in exilio positis, vel in carcere detentis, negatum non est, ut aut secum libros haberent, aut ut iis propinqui, & amici charitatis, & benevolentiæ officia præstarent, quod etiam ex martyrum actis confirmavit. *Nam illi*, ideſt christianæ fidei persecutores, *perimebant martyres, nec tamen prohibebant, quominus domesticorum, ac necessariorum officiis, atque opibus juvarentur. Non ille psalmodias interscidit, sed & mul-*

JESU CHR. AN. 871.

& multorum monachorum cœtum, qui ſolatio eſſet, concedebat. Non ædes ſacras, templaque Dei ab eo conſecrata evertit, pudebat enim eum, ut exiſtimabat cum hominem offenderet, Deo opera dicata labefactare. At in nos, hei mihi, nova omnia, tragœdiamque exuperantia. Captivi ſumus, amicorum ſolitudo eſt, & conſanguineorum, & miniſtrorum pſallentium monachorum. Pro amicis vero, pro conſanguineis, pro monachis, pro pſallentibus, pro omnibus denique, cuſtodiæ militum, & militaribus cohortibus addicti ſumus. Deinde poſt alia, quæ peteret, his verbis exponit.

Photii ad Baſilium expoſtulatio.

8. *His Imperator malis ſtatue finem, quando vis, vel nos celeriter e vita non cum multa hac, & inenarrabili maceratione educens, vel moleſtiarum inexuperabilem magnitudinem reprimens. Memento eamdem nos gerere carnem, & Reges, & privatos, ejuſdemque naturæ communione jungi. Memento eumdem nos habere Dominum, & paſmatorem, & communem Judicem. Cur æquitatem tuam, mala nobis inſtingendo, redarguis? Cur benignitati tuæ nobis obtrectando, crimen infers? Cur autem humanitatem ira in nos, atque acerbitate in ſimulationem & ſpeciem manſuetudinis detrahis? Non petimus thronos, & gloriam, non felicitatem & voluptates: ſed ea petimus, quæ vinctis præbentur, quæ nec captivi non impetrant, quæ etiam barbari, humanitate ducti, vinctis concedunt. Nam eo redactæ ſunt res meæ, ut talia ab Imperatore poſſulem orto e Romanorum humaniſſimo genere. Quid igitur peto? Ne vitam graviorem morte vivam, aut ut citius corpore liberer &c.* Cui iterum, & jusjurandum ſibi olim præſtitum, & Imperii coronam ſuis manibus acceptam in memoriam revocat, cumque in exilio poſitus, ab Imperatore barbaros victos fuiſſe didiciſſet, breviorem alteram dedit epiſtolam, ac de victoria gratulatus, meliora ſe ſperare innuit.

Photii epiſt. ad Bahanem amicum.

9. Cum autem fruſtra ſe Imperatoris aures pulſare didiciſſet, ad Bahanem amicum ſuum virum Patricium, ac Imperatori cariſſimum, ſtylum convertit, ad quem ægrotans hæc inter reliqua ad excitandam in eo, & per eum apud Imperatorem commiſerationem, ſcripſit. *Nos vero, o viri aliis quidem factis veſtris humaniſſimi, & ex ægritudine jacemus, & medicum morbus requirit, & dies jam triginta morbo proſtrati ſunt, ac ſæpe orarunt vos multi, ut medico adi-*

JESU CHR. AN. 871.

aditus concederetur. At vero, o naturam hominum, o Romanorum leges, & Chriſtianorum nomen, ubi terrarum eſtis? nemo vos exoravit: Ac nos quidem barbaros, vos autem feris ſimiles exiſtimare nondum perſuademus nobis. Veſtrum eſt autem qui in nos humiles, has finem omnem, modumque ſuperantes, novaſque ſub ſole pœnas excogitaſtis, conſiderare quam appellationem pro eo, ut Chriſtiani, & Romani, & Græci, & Barbari & feræ nominemini, factis veris congruenter inveniatis: Nos vero ſi morbo vinci contigerit, clarius ſcilicet in vos ſtatuemus trophæum, noſtram violentam mortem relinquentes omnium ſcelerum memoriæ crudelitatis veſtræ, tamquam in columna inciſam, quam nulla unquam delebit oblivio. Hæc ad Bahanem Photius, quem etiam rogavit, ut pro veteri amicitia, apud Imperatorem libere ageret, eique exemplum Joſephi ab Arimathæa propoſuit, qui aliquando ob metum Judæorum occultus Chriſti diſcipulus, ad eum nocte veniebat, ac poſtea audacter a Pilato corpus Jeſu petiit, ut illud curaret: & ſane Bahanes, etſi tunc Imperatoris iram metuens, ſuam cum Photio amicitiam diſſimularet, data poſtmodum opportuna occaſione, cum Ignatius vivere deſiit, quantum pro Photii reſtitutione ſollicitus fuerit, dicenda inferius ſuo loco demonſtrabunt.

Photii epiſtola ad omnes Epiſcopos.

10. Rurſum vero hominum ſagaciſſimus, ne in tanto rerum ſuarum naufragio, aliquis ex ſuis, quos ſibi tanto labore conjunxerat, a ſe deſciſcens, ad adverſarios ſe transferret, encyclicam ad omnes Epiſcopos ſuos epiſtolam ſcripſit, in qua miro artificio, dum unum labantem firmiter ſtatuendum proponit, omnibus ne fluctuent, opportunum medicamentum apponit, & dum unum ſevere corripit vacillantem, ſollicitos reliquos reddit, ne vel leviter nutent: dumque etiam benigne ſinum pandere paternæ pietatis affectat, illud plane agit, ut ſi quis divelleretur ab ipſo, ad revocandum eum paratæ invenirentur illecebræ. Invenies iſta artificio miro contexta, ſi cuncta exacte perlegeris, miraberiſque hominem ad fallendum aptiſſime præ ceteris comparatum. Dictio duriuſcula, quæ videtur interdum eſſe conciſa non vitio codicis, ſed animi depravati, affectantis eam orationem, quæ ſolet progredi ab homine ingenti cordis dolore mirum in modum exulcerato, tantaque arte, dicendique fallacia effecit, ut in ea epiſtola glorietur ſuos omnes, etſi

etsi sedibus spoliatos, innumeraque alia mala perpessos in suam communionem, defensionemque retinuisset. Quod sane magna admiratione dignum fuit, cum numquam id alicui sive hæretico, sive schismatico contigerit; integram epistolam in vigintiunum capita distinctam exhibet Baronius, causamque suam pertractans tanta se pro pietate, & justitia pati gloriatur, ac majores etiam calamitates, quam Job perferre exaggerat: eodem brevitatis studio, quo hæc summatim attingimus, alias ab eo epistolas in exilio scriptas præterimus, ex his ad Zachariam Chalcedonensem Episcopum inter amicos suos, defensoresque præcipuum, qui etiam in synodo octava pro Photio stetit, scribens, hoc usus est exordio. *Si meum ignoro Zachariam, mei ipsius sum oblitus &c.* JESU CHR. AN. 871.

11. Hanc unam, & quidem stylo perbrevem, sed calumniis adversus Occidentales omnes refertam ad Marcum Siculum scriptam damus. *Homines in Occidente degentes*, ait, *cum ubique terrarum impietas polleret, omniaque occuparet, Saturnum, & Venerem, & Proserpinam solos dixisse Deos, historiis est traditum. Nec vero laborum tolerantem Herculem, nec Vulcanum arte inclytum, nec facundum Mercurium, vel alium quemque eorum, quos fabulæ utilium, & bonarum rerum præsides, & inspectores posuerunt, vel divino honore affecisse, vel accepisse, vel aram justitiæ statuisse, vel temperantiæ, aut illius virtutis, quam in his orit humanum genus, ut gentilem celebrabat, & venerabatur superstitione imbutum: quia soli voluptati, & ventri, & rebus venereis semper illi homines dediti fuere. Nam & eos, quos colebant, facilis conciliabant, coeuntes inter se & complectentes, & cibos, & delicias, & voluptates varias comparantes, quæ sibi illinc, ratione sua affluebant. Nihil igitur mirum, si tu quoque ab Occidente genus trahens, nihil temperantiæ affine potes, aut dicere, aut facere. Magno enim studio, & laboribus, & meditatione, quæ a consuetudine, & patria sunt, vix tandem mutari solent.* Hæc ad Marcum, quibus sicut sibi meditullitus insitum odium in Occidentales patefecit, ita mendaciis pluribus, quam verbis contextam epistolam quislibet gentilium historiarum peritus coarguet, quique adversus Ethnicos Patrum antiquorum apologias tum Græcorum, cum Latinorum percurrerit, atque de Photio hactenus, Photii epistola adversus Occidentales.

JESU CHR. AN. 871.

nus, de quo post Ignatii obitum, cum CPolitanam sedem, non sine maximo catholicæ ecclesiæ damno iterum recepit, sermo redibit.

Ludovici Imp. de Saracenis in Italia victoriæ, Barium occupat.

12. Adversus Saracenos in Italia, & præcipue in Beneventano Ducatu ab Ludovico Imp. expeditionem suscep-tam fuisse supra anno 868. adnotavimus, hoc autem anno post triennalem Barii obsidionem, seu etiam quinquennalem, ex quo arma in eam provinciam intulerat, oppidum cum ipso Saracenorum Soldano in suam potestatem Ludovicum redegisse addimus, cujus victoriam cum Græcis, qui arma cum Ludovici exercitu conjunxerant, communem fuisse his verbis adnotat Porphyrogeneta in vita Basilii num. 55. *Oppidum ipsum, & ager, omnesque captivi in Romanorum* (ideſt Græcorum) *potestatem cedunt, suosque regios cives, ac colonos recipit. Rex Franciæ Soldanum illum, subditosque Saracenos sibi ipse captivos sumens, Capuam adduxit, cujus illa ditionis erat, ut & Beneventum &c.* At in iis vix Græcos partem habuisse Latini scriptores indicant, & Ludovici epistola ad Basilium, de qua infra hoc anno sermo fiet, confirmat. Hoc autem anno post diutinam obsidionem in Ludovici potestatem Barium transiisse narrat Andreas Presbyter coevus auctor in chronico apud Menchenium, his verbis. *Sequenti mense Februario*, nempe post victoriam de Saracenis relatam die Natalis Domini, de qua ibidem loquitur. *Quinto expleto anno, quod Barii obsessionem habebant, Dominus Imperator comprehendit Soldanum, et reliquos Saracenos ibi consistentes interemit, anno 21. indictione quarta etc.* Quare Saracenos quidem interfecit, Soldanum vero captivum detinuit, quem Saogdanem appellatum fuisse addit auctor chronici Volturnensis. Tarantum deinde exercitum misit, ait idem auctor, ac in alia loca, ut eadem ab Saracenorum manibus eriperet.

Menchen. rerum Germ. tom. 1.

Murat. rer. Ital. tom. 1. part. 2. pag. 403.

Adalgisus Beneventi Dux adversus Ludovicum rebellis, eum detinet, ac inde abire cogit.

12. At nullum pene ex tam illustri victoria fructum Ludovicus Augustus retulit, cum paulo post Adalgisi Beneventani Ducis perfidia, vix liber inde excedere coactus fuerit. Nam ut idem Volturnensis chronographus addit. *Quibus ita peractis, cœperunt Galli instinctu diaboli diversis modis Beneventanos persequi, et crudeliter vexare. Qua de re Adalgisus Princeps adversus Ludovicum Augustum erectus, cum suis intra Beneventi mœnia secure quiescentem actu doloso, summum Beneventanæ provinciæ Salvatorem comprehendit, et custo-*

Jesu Chr. an. 871.

custodiis mancipavit, bonaque ejus diripuit, cunctos quoque viros exercitales spolians fugere compulit, et de exuviis eorum onustatus est etc. Ludovicum paulopost dimissum fuisse narrat, de quibus hæc Annalista Metensis refert. *Adalgisus Dux Beneventani cum aliis Beneventanis adversus ipsum Imperatorem conspiravit, quoniam idem Imperator factione uxoris suæ eum in perpetuum exilium deducere disponebat, et cum idem Adalgisus noctu super ipsum Imperatorem irruere disposuisset, idem cum uxore sua, et cum eis, quos secum habebat, quamdam turrim valde altam munitissimam ascendit, et ibi per tres dies cum suis se defendit* Tandem, ut idem persequitur Annalista, Ludovicus cum sua familia inde abire permissus est, postquam jurasset se numquam cum exercitu in Beneventanum Ducatum intraturum. Quare inde discedens versus Ravennam iter arripuit, *mandans Apostolico Hadriano, ut obviam illi in transitu itineris sui veniret, quatenus de ipso sacramento illum, et suos absolveret*, ait idem auctor; ab eo autem juramento Adalgiso præstito, non quidem ab Hadriano, sed a successore ejus Joanne octavo absolutum fuisse Ludovicum narrat Fridericus Leodiensis Episcopus seculi 12. scriptor in epistola quadam inter vetera monumenta Tomo primo pag. 653. vulgata, uti adnotat Mansius anno 871. At sive ab Hadriano, vel Joanne, sive ab utroque vix interest, nam scimus anno sequenti, dum adhuc Hadrianus viveret, Romæ Ludovicum fuisse.

Saraceni iterum Beneventanam provinciam vastant.

13. Vix vero inde Ludovicus excesserat, cum *Deus spiritum Ismaelitarum excitavit, eosque ab Africana regione protinus evexit, ut ulciscerentur opprobrium Augusti*, ait auctor chronici Volturnensis, nam statim *Saraceni Salernum applicuerunt, quasi triginta millia. Quam graviter obsidentes forinsecus, stirpitus deleverunt, occisis in ea innumerabilibus colonis. Et depopulati sunt ex parte Neapolim, Beneventum, et Capuam. Quo tempore ambo Lamberti Comites Augusti furorem metuentes, Beneventum recesserunt, et ab Adalgiso honorifice suscepti sunt. Quorum auxilio fretus super Saracenorum scaram* (ideſt copias militares) *irruit, et viriliter stravit, occisis ex eis pene tribus millibus viris. Quibus etiam diebus Capuani mille ex eis peremerunt. Cumque hac obsidione prope terminaretur, altero misso exercitu jam dictus Augustus peremit, ex prophanis Capuæ novem millia*

JESU CHR. AN. 871.

virorum. Post hæc per semetipsum dignatus est Capuam advenire. Cujus adventu cognito Saraceni Salernum relinquentes, Calabriam adeunt, eamque inter se divisam reperientes funditus depopularunt. An autem sua sponte, an aliorum consilio Adalgisus Beneventi Dux, Ludovicum inde abire coegerit in obscuro est: Græci auctores Soldani Saracenorum consilio, & instigatione, id ab Adalgiso duce tentatum fuisse narrant: At Græcorum perfidia ad id eum excitatum fuisse vero proximius est, qui invidia æstuabant, eo quod eam provinciam ab Saracenis ereptam, invasisset, ac Basilei, sive Imperatoris Romanorum nomen assumpsisset. Hoc unum certum est, nullum ex ea expeditione fructum Campanis, vicinisque populis derivasse, nam ut audivimus, redeuntes paulo post ex Africa Saraceni, audacioresque facti, non solum Campaniam, & Calabriam occuparunt, sed in Siciliam quoque transfretantes, eam quoque Insulam diu vexarunt, ut ex dicendis infra constabit.

Legatio Basilii Imper. ad Ludovicum.

14. Interea cum Joannem legatum cum litteris suis ad Ludovicum misisset Basilius Imp., quibus eum admonebat, acriterque arguebat, eo quod Basilei, seu Imperatoris nomen sumpsisset, his acceptis, Ludovicus Auspicandum Legatum cum litteris suis ad eum misit, quibus & apologiam pro se ipso scripsit, ac merito Imperatoris titulum se ferre demonstrat, gentemque suam ab Basilii calumniis vindicat, eaque epistola, qua se Ludovicus Imperatorem Romanorum, Basilium vero novæ Romæ, ideſt Constantinopolis Imperatorem dicit, multa de mutua charitate servanda, deque honore Joanni legato ejus a se exhibito, præfatus, de Imperatoris titulo hæc addit: *Verum quia de Imperatorio nomine multa nobis scripsisti, cogimur, & nos quoque ad scripta tua quædam rescribere, ne si usquequaque super hoc silueri-mus, non ut contentionem vitantes, sed quasi ratione convicti, stuisse ab insipientibus videamur &c.* ac falso ab eo scriptum fuisse adnotat neminem alterum præter Græcorum Imp. Basileum umquam dictum fuisse, cum econtra omnium gentium historiæ testentur, plures undique apud Latinos, Græcos, Persas &c. Basileos, seu Imperatores nominatos. Quod vero Basilius, tunc primum ab eo Imperatoris nomen usurpatum fuisse dixisset, mirari se Ludovicus addit, cum ab avo suo, Carolo scilicet Magno, illud acceperit, nec novas

Ludovici epistola ad Basilium Imp.

vas ſemper voces, ſed prophanas tantum, admonente Apoſtolo Paulo, vitandas eſſe docet, ac de variis Principum titulis nonnulla adnotans, Imperatoris nomen jure, meritoque ſibi convenire probans, hæc addit: *Illud autem ridere libuit, quod de Imperatoris nomine dixiſti, neque paternum eſſe, neque genti convenire. Quomodo enim paternum non eſt, quod jam in avo noſtro paternum fuit? quomodo autem genti non convenit, cum ſciamus (ut de cæteris brevitatis cauſa taceamus) ex Hiſpanorum, Iſaurorum, & Cazarorum gente Imperatores Romanos effectos? Neque enim veraciter aſſeverabis nationes has gente Francorum, aut religione, aut virtutibus clariores, & tamen admittere non renuis Imperatores, & eos prædicare non deſpicis. Porro de eo quod dicis, non in tota nos Francia imperare: Accipe frater breve reſponſum. In tota nempe imperamus Francia, quia nos procul dubio retinemus, quod illi retinent, cum quibus una caro, & ſanguis ſumus, & unus per Dominum ſpiritus. Præterea mirari ſe dilecta fraternitas tua ſignificat, quod non Francorum, ſed Romanorum Imperator appellemur, ſed ſcire te convenit, quia niſi Romanorum Imperator eſſemus, utique nec Francorum. A Romanis enim hoc nomen, & dignitatem aſſumpſimus, apud quos profecto primo tantæ culmen ſublimitatis, & appellationis effulſit, quorumque gentem, & Urbem divinitus gubernandam, & Matrem omnium Eccleſiarum Dei defendendam, atque ſublimandam ſuſcepimus, ex qua, & regnandi prius, & poſtmodum imperandi auctoritatem proſapiæ noſtræ ſeminarium ſumpſit. Nam Francorum Principes, primo Reges, deinde vero Imperatores dicti ſunt, ii dumtaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc Oleo Sancto perfuſi ſunt, in qua etiam Carolus Magnus abavus noſter unctione ejuſmodi per ſummum Pontificem delibutus, primus ex gente, & genealogia noſtra, pietate in eo abundante, & Imperator dictus, & Chriſtus Domini factus eſt. Præſertim cum tales ſæpe ad Imperium ſunt adſciti, qui nulla divina operatione per Pontificum miniſterium, propoſiti ſolum a Senatu, & populo, nihil horum curantibus, Imperatoria dignitate potiti ſunt, nonnulli vero nec ſic, ſed tantum a militibus ſunt clamati, & in Imperio ſtabiliti ſunt, ita ut etiam eorum quidam a fœminis, quidam autem aut hoc, aut alio modo ad Imperii Romani ſceptra promoti ſunt. Porro ſi calumniaris Romanum Pontificem, quod geſ-*

JESU CHR. AN. 871. Qua ratione Imper. diceretur, demonſtrat.

JESU CHR. AN. 871.

gesserit, calumniari poteris, & Samuel, quod, spreto Saule, David in Regem ungere non renuerit &c. hæc & alia in eam rem, quæ longum esset exscribere: *Ergo frater charissime*, ait Ludovicus, *desine in hoc contentiosius agere, desine adulatoribus quibuscumque aures tuæ puritatis infectere. Denique gens Francorum justos, & fœcundissimos Domino attulit fructus, non solum cito credendo, verum etiam nonnullas alias salutifere convertendo*, & post aliqua de Francorum zelo in retinenda, & tuenda christiana fide, mox subdit: *Et sicut nos per fidem Christi Abrahæ semen existimus, & Judæi per perfidiam Abrahæ filii esse desierunt; ita quoque nos propter bonam opinionem, id est orthodoxiam, regimen Imperii Romani suscepimus: Græci vero propter cacodoxiam, videlicet, malam opinionem, Romanorum Imperatores existere cessaverunt. Deserentes scilicet non solum urbem, & sedem Imperii, sed & gentem Romanam, & ipsam quoque linguam penitus amittentes, atque ad aliam urbem, sedem, gentem, & linguam per omnia transmigrantes.*

Francorum virtus a Græcorum calumniis vindicatur.

15. Quia vero in Barensi obsidione Francis fortiores fuisse Græcos Basilius dixerat, hanc quoque calumniam, mendaciumque refutans, addit: *His igitur super hoc ita prælibatis, obstupescimus in iis, quæ serenitas tua prosequitur dicens, suis, id est Græcis, Barim ex parte sua debellantibus, & elidere decertantibus, nostros, vel solum intuitos, vel prandiis dissolutos nullum auxilium præstitisse, bancque ideo civitatem minime capi potuisse, cum nostri sive intuendo tantum, sive prandendo, sive aliud quid agendo, Barim tamen, licet perpauci, & finetenus impugnasse, et ope divina cepisse noscantur. Vestri autem sicut bruchi multitudine apparentes, et sicut locustæ primum impetum dantes, eo ipso, quo conatum suum in prima fronte monstraverunt, pusillanimitate superati, protinus infirmati sunt, et more locustarum repente quidem salierunt, sed confestim fatigati, quasi a nisibus volandi deciderunt, ac per hoc neque intuendo, neque prandendo, neque bellando, quibuslibet insignibus triumphis monstratis, motu subitaneo, et clandestino recesserunt, et inefficaces, nonnulli e contra, Christianis solummodo captivatis, ad propria repedarunt etc.*, ac inter præclare ibidem a suis gesta, hæc iterum narrat. *Verumtamen isti pauci, et adhuc pauciores, quibusdam horum diverso languore gravatis,*

JESU CHR. AN. 871.

tis, effecti, antequam Baris caperetur, tres Ammiredas, qui totam Calabriam depopulabantur, et numerosam multitudinem Saracenorum prostraverunt, et magnam vestratibus salutem divino beneficio contulerunt. Quare non solum Calabritanorum Ismaelitarum ingens ex tunc facta est diminutio, sed et Barensium potentatu omnimodo dissoluto, ac per id ad capiendum facilis adinventio. Cujus facti trophæa vestros credimus tuo Imperio retulisse, et opera Dei, quæ taceri non debent, mirabiliter enarrasse. De Niceta autem patritio, quem Basilius, cum classe ad Adriaticum fretum excurrendum, fugandosque inde Saracenes miserat, merito Ludovicus conqueritur, tum quia legatos Sedis Apostolicæ Romam revertentes nequaquam tutatus esset, cum etiam quia eadem occasione abutens, prædas super Sclavinos Francorum Imperio subditos agere præsumpserat, castra quædam diripuerat, captivosque inde abduxerat: *Ac per hoc*, subdit Ludovicus, *nisi correctionem justo tua præveniat, justæ severitatis nostræ proxima ultio procul dubio subsequetur, nec poterit remanere penitus impunitum, quod in contemptum nostrum tanta temeritate constat fuisse patratum.*

Ludovicus Basilio Imp. bellum minatur.

16. *Postremo de Neapoli nobis in Christo fraternitas tua monuit, quasi miserimus populum nostrum ad incidendas arbores, et messes igne cremandas, et hanc ditioni nostræ subdendam. Cum licet ab olim nostra fuerit, et parentibus nostris piis Imperatoribus tributa persolverit, verum nos ab ejus civibus præter solitas functiones nihil exegimus nisi salutem ipsorum, videlicet ut desererent contagia perfidorum, & plebem desisterent persequi Christianorum, nam infidelibus arma, & alimenta, & cætera subsidia tribuentes, per toties Beati Petri Apostolorum Principis fines furtim deprædari conantur, ita ut facta videatur Neapolis Panormus, vel Africa sedes Saracenorum. Cumque nostri quique Saracenos insequuntur, ipsi ut possint evadere, Neapolim fugiunt. Quibus non est necessarium Panormum repetere, sed Neapolim fugientes, ibidemque quousque proviserint latitantes, rursus improviso ad certamina redeunt. Super quibus sæpe illos monuimus, sed ex admonitione pejores effecti sunt, adeo ut Episcopum proprium, quoniam eos, ut vitarent consortia malignorum, monitabat, ex urbe projicerent, illustres, ac proceres civitatis compedibus obsignarent.* Quæ quidem Sergii Neapolis Ducis per-

Ludovici querela de Neapolit. eo quod Saracenis faverent.

JESU CHR. AN. 871. *Murat. rer. Ital. tom. 2. part. 2.*

perfidia facta fuisse, Joannes Diaconus auctor vitæ Athanasii Episcopi Neapolitani narrat. Victorias deinde in Ducatu Beneventano, & Calabria a se de Saracenis habitas commemorat, ac Basilium rogat, ut classem ad eos comprimendos mittat, cum sibi in animo esset Siciliam quoque ab eorum infestatione liberare, hancque epistolam se per Ausprandum legatum suum misisse addit, quam integram apud Baronium inveniet quisque, cui hactenus relata non sufficiant.

Synodus Duziacenus Hincmari causam retractat.

17. Etsi de Hincmari Laudunensis Episcopi diffidiis, cum Carolo Rege, & avunculo suo Hincmaro Remensi, ac de criminibus illi objectis, in Vermeriensi, & Attiniacensi synodis actum fuisset anno proximo, nondum tamen inter eos agitatæ quæstiones definiri, aut sopiri potuerunt, eo quod Laudunensis Hincmarus synodi judicium declinans, ac inde excedens ad Apostolicam Sedem appellavit, quare hoc anno 871. *Hadriani Papæ II. anno 4. Caroli Regis anno 32.*, ut in inscriptione legitur, synodus altera apud Villam Dusiacum congregata est, in qua idem Hincmarus Laudunensis iterum accusatus, graviori sententia mulctatus fuit, scilicet Episcopatu depositus, ferreaque catena vinctus, ac tandem oculis etiam obcæcatus, unde in tribus eum synodis convictum fuisse Carolus Rex ad Hadrianum Papam scribere potuit; de hac synodo ita Metensis annalista ad hunc annum, *Hincmarus Laudunensis nomine tantum Episcopus*, utpote jam antea a synodo depositus, *homo insolentiæ singularis*, *&c.* Regem Carolum, Hincmarum Remensem Metropolitanum suum, Episcopos etiam, aliosque contra se commovit, *Rex synodum in mense Augusto apud Dusiacum condiceret, quatenus de illius pravitatibus regulare ibi agitaretur judicium . . . . . Ipse autem Rex Carolus* obviam nepotibus factus, & inde ad synodum in Duziaco rediit: *Hincmarus vero tandem cum multa superbia in synodum venit, in qua a Rege Carolo secundum regulas ecclesiasticas, porrecta petitione, de causis certissimis regulariter accusatus, atque convictus, depositionis judicium regulare suscepit, sicut in gestis continetur ipsius synodi, quas eadem synodus per Actardum venerabilem Episcopum, qui ejusdem synodo interfuit, ad Apostolicam Sedem direxit.* Hæc is auctor, Hincmari Remensis laudator, seu potius adulator.

18. Ita-

18. Itaque cum Hincmarus Laudunenſis ter vocatus invitus fere adfuiſset, Carolus Rex accuſatoris officium egit contra eum, libellumque proclamationis obtulit Patribus, quo conqueſtus eſt. I. quod Majeſtatem ſuam diſtractionis rerum Eccleſiaſticarum apud Romanum Pontificem per calumniam accuſaſſet, miſso Romam Gelſano. II. quod ab ipſo Carolo Rege ad Lotharium defectionem eſſet meditatus, deſertaque Eccleſia, & plebe ſibi commiſſa, honores in illius Regno accipere decreviſſet. III. quod ſacramentum fidelitatis ſibi præſtitutum violaſſet. IV. quod omnes Regi infideles, contra ejus mandata, clanculum emiſiſſet, Miſſoſque Regios armata manu a ſacræ Juſſionis executione prohibuiſſet. JESU CHR. AN. 871. Crimina Hincmaro Laudun. ab Carolo Rege objecta.

19. Expoſtulationis quoque libellum, eumque longiorem obtulit Synodo Hincmarus Remenſis, qui pluribus querimoniarum capitibus conſtabat. 1. enim arguebatur Laudunenſis Præſul, quod palatinam adminiſtrationem, & Abbatiam in tertia Provincia ultra Remenſem per ſeculares poteſtates, contra Canones Sardicenſes ſuſcepiſſet, inconſulto Metropolitano ſuo, ideſt ipſo Archiepiſcopo Remenſi, eoque repugnante per aliquot annos tenuiſet. 2. quod ad eamdem Abbatiam abſque ejuſdem Metropolitani licentia ſæpe profectus eſſet, contra decreta Hilarii, Zoſimi, & S. Gregorii Pontificum Romanorum. 3. quod ad ordinationem Epiſcopi Cameracenſis vocatus venire, aut Vicarium mittere contempſiſſet. 4. quod a Rege vocatus, ut de rebus pecuniariis contra accuſatores ſuos rationem coram eo redderet, venire noluiſſet, nec Advocatum mittere, nec electis Judicibus cauſæ cognitionem permittere. 5. quod aliarum Diœceſeon Parochianos nullis criminibus accuſatos, vel confeſſos, ſive convictos, nulla admonitione præmiſſa, eodem inconſulto Metropolitano, excommunicaſſet. 6. quod Presbyteros omnes, & miniſtros Laudunenſis Eccleſiæ illegitima excommunicatione feriiſſet, & ab iis infantes baptizari, Pœnitentiam, & Viaticum morientibus dari, mortuos Eccleſiaſtico ritu ſepeliri prohibuiſſet. 7. quod Metropolitano ipſum de his exceſſibus arguenti morem non geſſiſſet: 8. quod ineptam Decretorum inter ſe pugnantium Collectionem ediderit, eique ſubſcripſerit, & a ſuis Clericis ſubſcribi juſſerit, eodem inconſulto Metropolitano. 9. quod ea in Collectione Patrum verba, ſenſuſque corruperit. 10. quod frequenter admonitus a Metropoli- Alia crimina eidem ab Hincmaro Remenſi objecta.

JESU CHR. AN. 871.

politano, excuſare culpas maluerit, quam emendare. 11. quod a Synodo apud Attiniacum celebrata noſte fugerit, non expectata Judicum a ſe electorum ſententia. 12. quod res Eccleſiæ Laudunenſis abſque Metropolitani, & Coepiſcoporum conſilio, & proprii Cleri conſenſu Regi ceſſiſſet, Nortmanno Comiti in beneficium tradendas. 13. quod fruſtratoria appellatione ad Romanum Pontificem ſui Metropolitani, & comprovincialium Epiſcoporum judicium declinaſſet. 14. quod fictam ſchedulam quaſi ab Epiſcopis Synodi apud Tuſſiacum celebratæ conſcriptam ad ipſum Hincmarum Remenſem Metropolitanum miſiſſet. 15. quod poſt fugam ab Attiniaco, relicto Eccleſiæ Judicio, ſæculares Judices a Rege petiiſſet, ac definita ab electis Judicibus Eccleſiaſticis negotia retractari curaſſet. 16. quod excommunicationi complicum Carolomanni adversus Carolum Regem Dominum, ac patrem ſuum perduellis, poſt quartam admonitionem ſubſcribere renuiſſet. 17. quod traditionis crimen Metropolitano ſuo per calumniam impoſuiſſet, falſo ipſi exprobrans, quod eum Regi tradidiſſet, cum ab eo apud Silvacum detentus eſt, quam calumniam Remenſis Hincmarus certiſſimis documentis diſſipavit, decimooctavo tandem capite, quod a Synodo ipſa jam tertio vocatus adeſſe recuſaſſet. Hæc omnia conſtant ex libello Proclamationis Hincmari Remenſis 35. capitibus conſtante, qui extat in actis concilii Duziacenſis parte 2. apud Labbeum.

to.8.p.1552.

Hincmarus Laudunenſis ad Sedem Apoſtolicam appellat.

20. Tot criminibus in tanto conſeſſu accuſatus Hincmarus Laudunenſis, regiaque majeſtate, ac Metropolitani ſui auctoritate obrutus, etſi ſæpius interpellatus, ut objecta ſibi crimina dilueret, nihil ſe reſponſurum conteſtatus eſt, & Regem æque, ac avunculum Hincmarum tamquam accuſatores, vel judices recuſavit, quos hactenus ſibi infenſos expertum fuiſſe ajebat, ac Apoſtolicam Sedem iterum appellavit, at Rex, adſtanteſque Epiſcopi indigne id ferentes, eo quod Metropolitano ſuo, & ſynodo ſatisfacere recuſaſſet, eumdem depoſitione dignum judicarunt: *Salvo per omnia Apoſtolicæ Sedis judicio*, ac Hincmarus Remenſis depoſitionis ſententiam in eum tulit, cui poſt ipſum ſeptem Metropolitani, Epiſcopi tredecim, Chorepiſcopus unus, Presbyteri ſex, & Archidiaconi duo, ac Epiſcoporum abſentium Vicarii ſubſcripſerunt.

21. His

21. His gestis, epistolam synodus ad Hadrianum Rom. Pontif. scripsit, data ut dicitur, *octavo idus Septembr. præsentis quartæ indictionis*, qua totius causæ serie exposita, rogabant Patres, ut sententiam adversus Hincmarum Laudunensem latam confirmare dignaretur, eamque per Actardum synodi legatum mittentes, ab Hadriano præterea postularunt, ut eumdem Actardum ab Nannetensi sede Britonum factione ejectum, Turonensi Ecclesiæ præficeret. Privatam quoque eodem tempore ad Hadrianum Papam epistolam dederat Hincmarus Remensis, qua idem retractans argumentum, multa de criminibus nepoti suo objectis moerens narrat, ac causam depositionis cujusdam Presbyteri Trifingi nomine, qui ad Sedem Apostolicam confugerat, eidem exponit, quem adulterii, & homicidii reum fuisse nunciat. JESU CHR. AN. 871. Synodi epist. ad Hadrianum Papam. *pag.* 1654. *pag.* 1658.

22. Verum synodo respondens Hadrianus, Actardi Coepiscopi, & glorioſi Regis Caroli legati ad Turonensem Ecclesiam translationem ab se probari monuit, utpote necessitate suadente factam, plura ibidem de licita Episcoporum translatione subjungens. At sententiam in Hincmarum Laudunensem latam confirmare recusavit, eo quod, *cum clamaret in synodo se ad Apostolicam Sedem velle incunctanter venire, atque in præsentia ejus pro objectis sibi ab adversario criminibus respondere, damnationis in eum fuerit sententia prolata*, itaque ut illum Romam dimittant, & cum eo, *veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit legitima auctoritate respui, & tunc in præsentia nostri, & totius Sedis Romanæ synodali Collegio, causa illius prudenti ventilata examine sine protestatione aliqua finietur*. Neminem interea in ejus loco Episcopum ordinari jubet, ut ibidem videre est. Hadrianus Papa Hincmarum Laudun. Romam mitti jubet.

23. Ad Hincmarum quoque Remensem Episcopum eadem de causa rescribens Hadrianus jubet, ut quamprimum Hincmarum Laudunensem Romam dimittat, eique interea usque ad pleniorem causæ exitum, Laudunensis Ecclesiæ curam committit. Eadem ferme Carolo Regi scripsit, excommunicationis poenam minitans cuilibet, qui Hincmarum Laudunensem Romam proficisci prohibuisset, & Nortmannum, qui bona Laudunensis Ecclesiæ usurpaverat, nisi ea restituisset, eadem sententia complectitur: Deinde ait: *Illustrem Hincmarum Laudunensem Episcopum, desiderio visendorum Sanctorum Apostolorum Liminum anhelantem, & libenter amplectimur, & adventum* Hadriani epistola ad Hincmarum Remensem.

Hadriani Papæ epistolæ ad Carolum Regem.

JESU CHR. AN. 871.

illius non ſolum non differimus, verum etiam ne ultra Kalendas Auguſti ſtare audeat, gravitate Apoſtolica, ſcientes illum tali voto ſpiritaliter poſſe proficere, prohibemus. Huic ergo in veniendo ſicut auctoritas Apoſtolica, ſic faveat, & humanitas regia, deinde nonnullis de Nortmanno additis, ſubdit: *Quicumque igitur a tempore, quo Romam venire cœperit, uſque in id quo Chriſto duce ad propria remeaverit, in quibuslibet rebus illius Eccleſiæ, quodlibet operatus fuerit detrimentum (quoniam Epiſcopatum ejus gloriæ veſtræ ſpecialiter ſervandum committimus) tamdiu ſe noverit Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini fore privandum, quamdiu Sanctæ Laudunenſis Eccleſiæ, & vobis, ipſiuſque Pontifici legitime, imo canonice fuerit ſatisfactum. Optamus regiam excellentiam veſtram ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſcita conſuetudinaliter obſervantem in Chriſto ſemper valere.* Hæc Hadrianus. At tantum abſuit, ut Hincmarus Laudunenſis Romæ liber ad dicendam cauſam dimitteretur, ut in exilium ejectus, vinculisque conſtrictus, ne quid novi forte tentaret, aut de Romano itinere cogitaret, ex immani illorum temporum more excœcatus etiam fuit, ut idem poſtea in libello proclamationis Joanni octavo Pontifici in ſynodo Trecenſi oblato narrat, de quibus anno 878. dicturi ſumus.

Alia Hadriani epiſt. ad Carolum Regem.

24. Hæc autem Hadriani Pontificis pro Laudunenſi Epiſcopo ſollicitudo, frequenteſque excommunicationis minæ, adverſus quoslibet, qui eumdem ab Romano itinere prohibuiſſent, vel bona ipſius, vel Laudunenſis Eccleſiæ retinuiſſent, Caroli animum eouſque exaſperarunt, ut per Actardum litteras querelarum plenas Hadriano dederit, quibus Pontifex, cum Actardus in Gallias hoc anno rediret, virtutes ejus, ab eodem fortaſſe Actardo tardius cognitas mirifice commendat, litteras hactenus miſſas ſic excuſat, ut a ſe ſcriptas fuiſſe neget, ſed ab officialibus, dum ægrotaret: *Si quædam litteræ delatæ vobis ſunt*, inquit, *aliter ſe habentes in ſuperficie, vel ſubreptæ, vel a nobis infirmantibus extortæ, vel a qualibet perſona conflictæ durius, aut acrius mordaciter ſonantes, id tamen nobis fixum in mente manſit, quod vobis ſignificavimus devote &c.* Præterea patrocinium, & operam ſuam eidem ad obtinendum Imperium pollicetur, ſi Ludovico nepoti ſuo ſuperſtes fuiſſet: *Integra fide*, ait, *& ſincera mente, devotaque voluntate, ut ſermo ſit ſecretior, & li-*

conc. p. 936.

& litteræ clandeſtinæ, nullique niſi fideliſſimis publicandæ, vobis confitemur devovendo, & noteſcimus affirmando, ſalva fidelitate Imperatoris noſtri, quia ſi ſuperſtes ei fuerit veſtra nobilitas, vita nobis comite, ſi dederit nobis quilibet multorum modiorum auri cumulum, numquam acquieſcemus, expoſcemus, aut ſponte ſuſcipiemus alium in regnum, & imperium Romanum, niſi teipſum. Quem, quia prædicaris ſapientia, & juſtitia, religione, & virtute, nobilitate, & forma, videlicet prudentia, temperantia, fortitudine, atque pietate refertus, ſi contigerit te Imperatorem noſtrum vivendo ſupergredi, te optamus omnis clerus, & plebs, & nobilitas totius orbis, & urbis, non ſolum Ducem, & Regem, Patricium, & Imperatorem, ſed in præſenti Eccleſia defenſorem, & in æterna, cum omnibus ſanctis participem fore &c. Ad Hincmari vero Laudunenſis cauſam ſtylum convertens, Hadrianus longe remiſſius agit, exigit quippe, ut appellationis ejus ratio habeatur, ac ut eidem ire permittatur, & accuſationibus, actis, ac ſententia Synodi cum illo communicatis, ſi ſe injuſte damnatum conteſtetur, electis ab ipſo Judicibus, aut miſſis ex latere Pontificiis Legatis, cauſa in Provincia finiatur. Nec interim tamen illum ſe reſtituere ſignificat in priſtinum gradum. Quod ſi Romam juſſus non perrexerit, ratam tunc dicit ſententiam a ſynodo in eum latam.

JESU CHR. AN. 871. Hadrianus Papa Imperium Carolo promittit.

25. Cum his, aliisque litteris ad Epiſcopos ſynodi Duziacenſis, in Gallias reverſus Actardus, Metropolitani Senonenſis dignitate auctus, ut eas Epiſcopi acceperunt, haud æquo animo tulerunt Hadrianum Pontificem integram cauſam Hincmari Romam revocaſſe. Quare ad Pontificem reſcribentes, acta concilii, & ſynodicam per Actardum miſſam, ab eo nec integra lecta, nec perpenſa ſuiſſe adnotant, ac epiſtolæ exſcriptorem incuſant, quod ad locum illum non attenderit, ubi antequam damnationis ſententia in Hincmarum proferretur, ita ſcriptum eſt: *Tunc lectæ ſunt in ſynodo ab Adelgario Diacono ſententiæ canonum, ita eo dicente: Sardicenſes canones decreverunt* (canon ſcilicet tertius), *ut ſi Epiſcopus aliquis judicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonum cauſam habere, ut iterum concilium renovetur. Si vobis placet, S. Petri Apoſtoli memoriam honoremus, & ſcribatur ab his, qui cauſam examinaverunt Julio*

Epiſcoporum ſynodi Duziacenſis litteræ ad Hadrianum datæ.

conc. p. 1540.

JESU CHR. AN. 871.

lio Romano Episcopo, & si judicaverit renovandum esse Judicium, renovetur, & det Judices. Si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt. Et Innocentius Papa decrevit &c. Hæc, & alia plurima ad Pontificem scripserunt, ut probarent se debitam Apostolicæ Sedis venerationem exhibuisse, neque Hincmaro, ut ad eam appellaret, prohibuisse, dummodo post synodale Episcoporum judicium, ad eam, juxta Sardicenses canones, appellasset, cui licitum non fuisse addunt appellationis prætextu, Episcoporum sententiam declinare, irritamque reddere, quod Hincmarus Remensis non semel Hincmaro nepoti exprobrat, inter cetera cum libellum per Ermoldum Diaconum suum, sexto nonas Julii, indictionis tertiæ, Hincmaro Remensi misisset Laudunensis, quo de negata sibi potestate pergendi Romam querebatur, ut causam suam ibidem ageret, id merito eidem ante synodi sententiam negatam fuisse Remensis adnotat; his nepotem verbis compellans: *Tu ante hanc definitionem contra sacros canones, & sine ulla necessitate, vel ratione fuga lapsus, regularem definitionem expectare contempsisti. Itemque post aliqua de canonibus, & de electorum judicio, ut predixi caute, & inhoneste fuga lapsus abscedens, pittaciolum irrationabiliter confectum, & manu tua subscriptum, ac præfatæ possessionis usquequaque contrarium per Ermenoldum Diaconum misisti*; his vero nepotis libellum querelarum plenum inseruit, quo constat quæstionis summam inter eos fuisse, quod Hincmarus Laudunensis, ante Episcoporum sententiam, vel judicio pendente, sibi licere ajebat ad Apostolicam Sedem appellare, id vero illicitum esse contendebant cum Hincmaro Remensi reliqui Galliarum Episcopi, quorum sane litteris immodestiæ notam innuere non dubitavit Nat. Alexander.

Flodoardi hist. Remen. lib. 3. 21.

Hincm. op. to. 2. p. 604.

Dissert. VIII. in histor. Sæc. IX. nu. XI.

Hincmari Laudunensis responsio ad Remensem.

26. Hæc vero, quæ Hincmarus Remensis longiori tractatu in quinquaginta capita distincto, Laudunensi opposuerat, idem Hincmarus Laudunensis confutavit, ac ab impactis criminibus se purgare, vel excusare conatus est, quibus aliæ vicissim datæ, redditæque fuerunt epistolæ, seu tractatus, iisque vicissim unusquisque causam suam tuebatur, ac adversarium suum accusabat, quarum vel summam exscribere longum esset.

Hinc. oper. pag. 608. ad 644.

27. Ce-

27. Ceterum tantum abfuit, ut juxta Hadriani Papæ præceptum Hincmaro Laudunenſi licentia ab Rege Carolo, vel Hincmaro Remenſi daretur, ut Romam ad cauſam ſuam proſequendam pergeret, quin potius Carolus Rex acriorem epiſtolam Hadriano Papæ ſcripſit, quam Baronius utpote Pontifici injurioſam confutatione dignam cenſuit, quam inter Hincmari opera, a quo ſcripta putatur, habemus, ejuſque ſane indolem ſapit, de qua jam alias opportune monuimus. JESU CHR. AN. 871. Caroli Regis epiſtola increpatoria ac Hadriano Papam.

28. Hæc accepta Hadrianus Papa, ne ob exaſperatum Caroli animum, ſcandalum aliquod in Eccleſia oriretur, Apoſtoli monitis obſequens, *Nolite filios ad iracundiam provocare*, nil ultra reſcripſit, quin cum anno ſequenti vivere deſiiſſet, eamdem cauſam Joanni octavo ſucceſſori ſuo ſopiendam reliquit, ad quem iterum confugiſſe Hincmarum, auxiliumque poſtulaſſe ſuo loco videbimus. Hadrianus Papa Carolum Regem lenire curat.

29. Danorum incurſionibus Angliam hoc tempore vexatam fuiſſe non ſemel ſupra adnotavimus, atque hoc quoque anno inter Anglos, & Danos varia fortuna, hinc inde pugnatum fuiſſe narrat Aſſerus in vita Alfredi Regis, deinde de Ethelredi Regis obitu agens addit: *Poſt Paſcha regno quinque annis, per multas tribulationes ſtrenue, atque honorabiliter cum bona fama gubernato*, vivere deſiit, in Regno ſucceſſorem Alfredum fratrem relinquens, qui Anglorum Regnum, ne penitus rueret, multis laboribus, inſtriaque ſua effecit, ac etiam in priſtinum pene ſtatum reſtituit, de geſtis ejuſdem hoc anno, cum vix regnare cœpiſſet, hæc adnotat: *Cum hinc inde utrique hoſtiliter, & animoſe non parva diei parte pugnarent, Pagani ad integrum ſuum periculum propriis ſuis conſpectibus intuentes, & hoſtium infeſtationem diutius non ferentes terga in fugam verterunt, ſed proh dolor, per audacitatem proſequentium, decipientes iterum in prælium prodeunt, ac victoriam capientes loco funeris dominati ſunt*, quibus Saxoniam Alfredus ceſſit, ut idem Aſſerus narrat. Ethelredi nomen Martyrologio Anglicano, & Ferrarii catalogo ad diem 23. Aprilis inſcriptum eſt, quod inter prætermiſſos ad diem eamdem inſeruit Bollandus, cum in nullo veterum Martyrologio ſcriptum inveniſſet, quia tamen contra Paganos non ſemel pugnavit, hinc non mirum, a nonnullis ea præſertim ætate, inter ſanctos adſcriptum fuiſſe. Ethelredi Angliæ Regis obitus, cui ſuccedit Aelfredus frater. *Alphordus Annal. Ital. an. 871. nn. 18.*

JESU

JESU CHRISTI AN. 872. JOANNIS OCTAVI PAPÆ AN. 1. LUDOVICI IMP. AN. 18. BASILII IMP. AN. 6.

JESU CHR. AN. 872.

Hadriani II. Papæ obitus, cui Joannes VIII. succedit.

1. Hoc Chriſti anno 872. Hadrianus Papa vivere deſiit, quem annis quinque ſediſſe ſcribit Anaſtaſii contiuuator, cujus etiam extrema geſta deſiderantur, ac textum mutilum eſſe indicant ea, quæ ibidem de Grimoaldi ex Bulgaria reditu Romam narrat Marcellus, atque in hoc Pontifice is auctor deſinit; Hinc Joannis octavi, Marini, & Hadriani tertii Rom. Pontificum geſta in obſcuro ſunt, ac ab Stephano tertio Hadriani tertii ſucceſſore alius Anaſtaſii continuator initium ducit. Hadrianum autem Pontificem Kal. Novembris e vivis exceſſiſſe ſcribit Mabillonius, ac ex diplomate, quo monaſterium SS. Stephani, & Viti novæ Corbejæ in suam tutelam ſuſceperat, libertatemque monachis eligendi Abbatem tribuerat, idibus Octobris ſuperſtitem adhuc fuiſſe probat, at eo paulo poſt e vivis erepto, ſucceſſorem habuit Joannem octavum natione Romanum, quem die 19. Kal. Januarii, ſeu 14. Decembris ordinatum fuiſſe adnotat Annaliſta Bertinianus, de quo etiam alius auctor apud Balutium Miſcellaneorum lib. 7. *Joannes natione Romanus ex patre Gundo ſedit annos decem dies undecim. Hic &c.* de ejus itinere in Gallias deinde agit, de quo infra. De geſtis autem Hadriani Papæ hoc anno adnotamus, quod Ludovicus Imp. Benevento excedens, ut anno proximo diximus, ac Ravennam profectus, indeque Romam reverſus, ab Hadriano Papa multo cum honore exceptus: *In craſtinum coronatus eſt*, ut ait Annaliſta Bertinianus, in partem ſcilicet Regni Lotharii, quam ei Ludovicus patruus Germaniæ Rex in conventu apud Tridentum habito ceſſerat, ut idem auctor narrat, *& poſt celebrata Miſſarum ſolemnia, una cum eo ad Lateranenſe Palatium, cum pompa equitando coronatus perrexit &c.* quem etiam in feſto Pentecoſtes hujus anni Romæ adfuiſſe confirmat diploma ab eo Romæ datum *Quinto Kal. Junii anno Imperii Ludovici 23. indict. quintæ*, cujus diplomatis Muratorius, & Manſius mentionem faciunt.

Mabill. Annal. tom. 3. pag. 179.

Hadriani Papæ geſta, cum Ludovico Imp.

Balut. to. 2. pag. 113.

Murat. rerum Ital. tomo 2. par. 2.

Ludovici Imp. de Adalgiſo Benev. Duce.

2. Cum Romæ eſſet Ludovicus concilium, ſeu conventum cum Hadriano Pontifice, & Romano Senatu congregavit, quo hæc geſta fuiſſe narrat Regino, etſi coram Joan-

Joanne Papa, per errorem dicat, nam eum Hadriano superstite Romæ adfuisse scimus: *Ludovicus Imp. Romam venit, ibique conventum celebrans coram summo Pontifice, multa super Adalgisi tyrannide conquestus est. Tunc a Senatu Romanorum idem Adalgisus tyrannus, atque hostis Reipublicæ est declaratus, bellum etiam, & adversus eum decernitur. Joannes Papa Imperatorem a juramento, quo se obligarat, auctoritate Dei, & S. Petri absolvit, affirmans nihil obesse, quod ad mortis periculum evadendum coactus fecerat, nec sacramentum esse dicendum, quod contra salutem Reipublicæ, quamvis cum multis execrationibus fuerit prolatum. His adhortationibus Principis animus ad rediviva certamina provocatur, tamen ne a suis perjurus diceretur, nequaquam ipse contra tyrannum procedit, sed Reginam cum exercitu dirigit. Adalgisus certis indiciis colligens bellum adversum se summis viribus parari, hostemque se, ac tyrannum esse denuntiatum, suæ nequitiæ conscius, metu perterritus, & spem vitæ in fuga ponens, in Corsicam insulam secessit, ibique ad tempus latuit.* Hæc Regino, quem sane in eo erraſſe adnotat Muratorius, dum refert Adalgisum in Corsicam aufugisse, quem in suo Ducatu perseveraſſe, ex dicendis anno sequenti constabit. De eadem in Beneventanos expeditione ab Ludovico susceptа, hæc etiam Bertinianus Annalista addit: *Roma iterum in partes Beneventanas perrexit, & quia primores Italiæ Ingelbergam* (Ludovici uxorem), *propter suam insolentiam habentes exosam, in loco illius filiam Vinigisi Imperatori substituentes, obtinuerunt apud eumdem Imperatorem, ut missum suum ad Ingelbergam mitteret, quatenus in Italia*, seu in Longobardia degeret, *& post illum non pergeret, sed eum in Italia reversurum expectaret. Ipsa autem non obaudiens illud mandatum, post eum ire maturavit*; ne Ludovicus cum Vinigisi filia, quam illi, ut concubinam Beneventani obtulerant, adulterio polluereturt, nam vix aliter Annaliſtæ verba explicari possunt; hinc fabulari Campellum in hiſtoria Spoletina adnotat Muratorius, dum scripsit, Indelberga ab Ludovico repudiata, ac monasterium ingressa, Vinigisi filiam eum postea duxisse.

JESU CHR. AN. 872. querelæ apud Pontificem.

Bar. an. 873. *num.* 1.

Murat. an. 872.

3. Interea cum Ludovicus Augustus, infesta adversus Beneventanos arma pararet, aut etiam intulisset, ut acceptam anno proximo injuriam ulciscereturt, pro insita sibi pie-

Ludovicus Imper. cum Beneventanis reconciliatur.

JESU CHR. AN. 872.

pietate motus, cum iis in amicitiam rediit, pro quibus Joannes Papa interceſſor adfuit, ut ad annum proximum 873. idem Bertinianus Annaliſta refert: *Ludovicus Imperator Italiæ in Capua reſidens mortuo jam Landuberto Calvo* (qui Adalgiſi partes tuebatur), *& pervento Patricio Imperatoris Græcorum cum hoſte* (ideſt cum exercitu) *in civitate, quæ Hidrontus dicitur, in auxilium Beneventanorum, qui cenſum quod Imperatoribus Franciæ eatenus dabant, illi perſoluturos ſe promittebant, quoniam aliter Adalgiſum obtinere non poterat, mandavit Apoſtolico Joanni compatri Adalgiſi, ut ad eum ad Campaniam veniret, & ſibi Adalgiſum reconciliaret. Volens oſtendere, quod quaſi intercedente Beati Petri Vicario, ipſum Adalgiſum reciperet. De quo juraverat, quod numquam de illis partibus rediturus eſſet, antequam illum caperet; quem revera virtute ſua capere non poſſet &c.* Cum itaque timeret Ludovicus, ne iterum Greci, quorum claſſis Hidruntum pervenerat, Beneventum, vicinaſque provincias iterum occuparent, vel Saraceni, quos anno proximo cum ingentibus copiis in Campaniam rediiſſe diximus, quique Salernum longa obſidione ſeptum tenebant, cum, inquam, periculum eſſet, ne iidem Salerno potiti, in Beneventanam quoque, & Capuanam provinciam iterum intrarent, ab ejusdem regionis Ducibus, & præcipue ab Joanne Romano Pontifice rogatus, ira depoſita, & ulciſcendi cupiditate repreſſa, adverſus Saracenos Salernum obſidentes armatum militem ſuum cum Beneventanis junxit, quo factum eſt, ut Saraceni a Beneventanis, Francis, Capuanis, aliiſque cladibus affecti, inde re infecta, abire cogerentur, ut auctor chronicæ Saracenicæ ſcribit: *Periit exercitus Moslemiorum* (ideſt Saracenorum) *in Salernia*, ſeu apud Salernum, ac reliqui, vel in Africam redierunt, vel in Calabriam, atque hæc de his hactenus, de quibus plura auctores chronicorum Salerni, Volturni, & Caſeuriæ referunt: Porphyrogeneta quidem, aliique auctores Græci hoc tempore Campaniæ urbes in Baſilii Imperatoris Græcorum, qui ab Adalgiſo Beneventi Duce rogatus Claſſem Hidrunti miſerat, poteſtatem tranſiiſſe narrant, at hæc vix fidem habent, ut adnotat Manſius, cum hæc coevi fere, Italique auctores ſileant, unde plura de his addere ſupervacaneum cenſemus.

Murat. rer. Ital. tom. 1. part. 2. to. 2. part. 2.

JESU

JESU CHRISTI AN. 873. JOANNIS PAPÆ 8. AN. 2. LUDOVICI IMP. AN. 19. BASILII IMP. AN. 7.

JESU CHR. AN. 873.

1. Cum in Campaniam anno proximo, iterum exercitum duxiſſet Ludovicus Auguſtus, ut ibidem diximus, ac Capuæ hoc anno ineunte Majo eſſet: *Pro totius Romani Imperii commoditatibus commorans, univerſiſque fere tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus potentibus viris congregatis, Auguſtalem atque ſolemnem Curiam celebravit*; ait auctor chronici Caſaurienſis, ubi etiam pro Caſaurienſi monaſterio ab eodem Imperatore anno 866., ut ſcribit Mabillonius, aut 871., ut ait Muratorius, tunc erecto, ac poſſeſſionibus aucto, hoc eodem anno duo ab eodem Auguſto pro ejuſdem incolumitate, opibuſque augendis, diplomata edidit Capuæ ſignata *ſeptimo Kal. Junias, indict. 6.*, alterum vero *pridie Kal. Junii*, ut ibidem videre eſt, ubi de ejuſdem monaſterii fundatione, ampliſſimiſque poſſeſſionibus ditati, privilegiiſque aucti, quamplurima refert, ibidemque reliquias S. Clementis Papæ, & Martyris ab Hadriano ſecundo Pontifice acceptas Ludovicus repoſuit; Caſaurienſe autem monaſterium, Piſcarienſe etiam ob inſulam Piſcariam in Diœceſi Reatina ſitam dictum eſt, vel ob reliquias ibi poſitas monaſterium etiam S. Clementis Ordinis olim Benedictini, nunc vero jamdiu commendatum, itaut nulla monaſticæ obſervantiæ memoria ſuperſit; chronici vero auctor Joannes Berardus ejuſdem monaſterii Monachus fuit, ut ab Dacherio, Muratorio chronici editoribus adnotatum eſt.

Ludovicus Imp. Caſaurienſe monaſterium ædificat, agriſque ditat.

Murat. to. 2. part. 2. rerum Ital.

2. Piſcarienſi, ſeu Caſaurienſi monaſterio, loco, & dignitate proximum erat, in eadem Rheatina Diœceſi monaſterium S. Joannis in Venere appellatum, ab Eccleſia S. Joanni Evangeliſtæ dicata, in loco ubi prius Veneris delubrum erat, ad maris Adriatici littus, de cujus monaſterii fundatore, hæc idem auctor chronici Caſaurienſis ad annum 1016., occaſione cujuſdam commutationis prædiorum a Traſamundo Comite facta cum Pontio Caſaurienſi Abbate: *Iſte Comes Traſamundus conſtruxit monaſterium S. Joannis in Venere, & de ſuis rebus, & poſſeſſionibus opulenter ditavit, qui Comes Traſamundus ſucceſſit majori Comiti Traſamundi in*

Monaſterium S. Joannis in Venere a Trasamundo Comite ædificatum.

Murat. rer. Ital. tom. 2. pag. 839.

JESU CHR. AN. 873.

poſſeſſionibus opulentiſſimis, quas a ſupraſcripto Joanne Piſcarienſi Abbate in Aprutio, Pinne, ſeu Tete acceperat, terram videlicet modiorum duo millium quadringentorum. Ipsarum nempe poſſeſſionum quædam ab ipſo S. Joannis monaſterio, quædam ab aliis monaſteriis poſſidentur, quædam vero a Nortmannis invaſæ, ab illo tempore monaſterium S. Clementis occaſione ſupradictæ conceſſionis eis penitus caruit, ac temporis tractu Caſaurienſe monaſterium, in poteſtatem monaſterii S. Joannis in Venere transiit, quæ quidem libenter hoc loco adnotavimus, cum idem S. Joannis in Venere monaſterium, ſeu Abbatiam, jamdiu, & a ſæculo 16. commendatam, in ipſis fere fundationis ſuæ initiis Congregatio Oratorii Romani poſſideat, munificentia Sixti quinti Pontificis Sancto Philippo Nerio Congregationis fundatori, & tunc temporis Præpoſito tradita, quam ex eo tempore ad noſtram uſque ætatem, ſumma Regum utriuſque Siciliæ clementia retinet, retenturamque impoſterum confidimus.

Ludovicus Imp. partem Regni Lotharii obtinet.

3. Dum autem in Campania hæc anno ſuperiori, & labenti ageret Ludovicus Imperator, pro recuperando Lotharii fratris Regno, quod patrui Carolus, & Ludovicus Germaniæ Rex occupaverant, ſollicitus, Ingelbergam uxorem Tridentum miſit, ut cum Ludovico de eadem reſtitutione ageret; colloquioque ibidem habito, Lothariani Regni partem adeptam Ludovicus Rex, Ludovico Imp. nepoti ſuo ceſſit, ut narrat Bertinianus Annaliſta ad annum proximum 872., ac tandem: *Unde utrinque ſacramenta, prioribus ſacramentis, quæ cum fratre ſuo* (Carolo) *pepigerat, diverſa, & adverſa inter eos facta ſunt &c.*

Carolus ab Epiſcopis, & Optimatibus juramentum exigit.

4. At Carolus fratri ſui Ludovici exemplum imitari noluit, etſi ab Imperatore Ludovico, & ab Hadriano Papa, miſſis etiam legatis Formoſo Portuenſi, & Gaderico Velitrenſi Epiſcopis rogatus fuerit, quin ut initam poſſeſſionem arctius retineret, Epiſcopis, primoribuſque Regni Lothariani ad Gandulphi villam convocatis, iterum ab iis ſibi fidem datam novo juramento confirmari curavit, ut idem Annaliſta refert, cujus juramenti formulam exhibet Balutius, his verbis conceptam: *Anno Incarnationis Dominicæ 872. Indictionis quintæ, quinto idus Septembris in placito generali apud Gandalphus Villam, cum Ludovicus ſacramenta ſuperius ſcripta*

Baluz. capit. tom. 2. pag. 226.

pta dirupiſſet, & æquivoco ſuo, ſeu ejuſdem nominis *Ludovico Imp., ſe conjunxiſſet, & ſacramenta, quæ ſuperius ſcripta ſunt fieri juſſiſſet Ingelberga Regina, & legatis Sedis Apoſtolicæ Formoſo ſcilicet, & Guderico præſentibus, hac tempeſtate urgente, Epiſcopi omnes ex regno glorioſi Regis Caroli, hanc profeſſionem infraſcriptam fecerunt &c.* quam exhibet Balutius, qua tum Epiſcopi, cum Laici, cunctusque populus, Regni olim Lotharii, qui Carolo fidem juraverant, eamdem ſe illibatam ſervaturos promiſerunt, ut ibidem, vel apud Baronium, hoc anno videre eſt num. 4.

JESU CHR. AN. 873.

tom. 2. capit. pag. 226.

5. Ex Gandulphi Villa Cariſiacum tranſiens Carolus alterum ibidem cum Regni ſui Epiſcopis, & Primoribus conventum celebravit, quo alias ſtatuta adverſus latrones præcipue, & agrorum, domorumque deprædatores, quos Bannitos vocabant, confirmavit; hæc autem acta ſunt, *Anno Incarnationis* 873., *Regni Caroli* 33. *Indict.* 6. atque inter cetera hæc capite ſecundo ſtatuta: *Ut Comites, & Miſſi noſtri maximam curam adhibeant quatenus in illorum comitatibus, & miſſaticis populus juſtitiam, & pacem habeat, & de latronibus exturbandis maximum certamen habeant. Et ſi talis malefactor, aut infidelis noſter emerſerit, ut per ſe illum comprehendere Comes in ſuo comitatu non poſſit, accipiat homines, tam noſtros, quam Epiſcoporum, vel Abbatum, & Abbatiſſarum in ſuo comitatu commanentes, & ſic illum perſequatur donec comprehendat.* Atque omnes ad opem auxiliumque præſtandum, ſub verberum, vel exilii pœna teneri addit; nullamque inſuper pœnam ſubibit, quilibet malefactorem reſiſtentem occiderit; Capite autem tertio: *De illis liberis hominibus, qui infames, vel Clamodici ſunt de teſteis, vel latrociniis, & rapacitatibus, & aſſalturis, vel de infidelitate noſtra, & cum furto non comprehenduntur, ſi eis jam vita perdonata eſt, propter aliquod malefactum, fiat de illis ſicut in Capitulari avi, & patris noſtri continetur in libro* 3. *capitulo* 47., *& ſi jam de latrocinio revicti ſunt, fiat de illis ſicut de revictis. Si autem illis adhuc vita perdonata non fuit, & revicti non ſunt, & res, & mancipia, vel mobile habent, fiat de illis ſicut in quarto libro Capitulorum capitulo* 29. *dicitur, cum ad mallum Comitis venerint, & de iis, qui Carlomanno rebelli*, ejus filio, *Præteritis annis tanta mala in Regno noſtro fecerunt, ſicut tunc, & ver-*

Carolus Cariſiaci conventum celebrat.

Baluz. ut ſup. p. 227.

Baluz. to. 2. pag. 227.

JESU CHR. AN. 873.

& verbis, & ſcriptis præcepimus, ita Comites, & Miſſi noſtri exequantur, ait Carolus, ac pluribus Comites hortatur, ut & malefactores perſequantur, & ut recta in fundis ſuis juſtitia ab Scabineis adminiſtretur.

Cabillonense concilium. *Conc. tom. 9. pag. 251.*

6. Plurima in Galliis, vel Germania ab Epiſcopis concilia hoc anno celebrata ſunt, Cabillonenſe ſcilicet, in eccleſia S. Laurentii, 12. Kal. Junii, anno Chriſti 873. Caroli vero in Burgundia Regis poſt mortem Lotharii anno tertio, ibique eccleſia S. Laurentii canonicis Sancti Marcelli reſtituta fuit, quæ poſtmodum Cluniacenſibus monachis ceſſit, ait Mabillonius. Synodicis hac de re ſcriptis litteris ſubſcripſere duo Metropolitani Remigius Lugdunenſis, & Ado Viennenſis, tres Epiſcopi cum Abbatibus, & Presbyteris aliquot, qui adfuerant.

Coloniense concilium. *Conc. tom. 9. pag. 252.*

7. Eodem anno 873. ſub Imperio piiſſimi Regis Ludovici anno 33. ſexto Kal. Octobris, Coloniæ convenerunt Epiſcopi, ubi ſub Viliberto Archiepiſcopo confirmata ſunt acta, & decreta Guntharii ejus deceſſoris, qui monaſteriis Canonicorum neceſſaria ad victum, & libertatem electionis Præpoſiti proviſerat, ſimulque fundationem Pathenonis Aſindenſis, quem idem Villibertus eo in loco, ubi primitus metropolitica eccleſia ſub titulo S. Mariæ, & S. Petri erat, ſub patrocinio S. Cæciliæ extructum dedicavit, & collegio virginum adtribuit. Hoc monaſterium in litteris Brunonis Archiepiſcopi *vetus* dicebatur, vel etiam *monaſterium ſanctæ Cæciliæ*, cui tunc Beſſervintia abbatiſſa præerat, eique multa, atque ampla prædia largitus eſt. Hæc Baſilica modo celebris eſt, a fœminis, ſeu canonicabus ſæcularibus occupata: quibus canonici quinque cum pluribus vicariis deſerviunt, ait Mabillonius in Annalibus Ord. Bened. lib. 37. pag. 181.

Silvanectenſis synodus Carlomannum condemnat, & excœcatur; ejus obitus.

8. His celebrior fuit Silvanectenſis Synodus ab Carolo Rege adverſus filium ſuum Carlomannum ſibi jamdiu rebellem congregata, de qua hæc narrat Annaliſta Bertinianus. *Quia multi erant in regno Caroli, qui expectabant, ut per Carlomannum adhuc rediviva mala agerentur in Sancta Dei eccleſia, & in aliis regnis, de quibus Regio miniſterio cum conſilio fidelium ſuorum ſecundum morem prædeceſſorum ac progenitorum ſuorum, leges pacis Eccleſiæ, & regni ſoliditati congruas promulgavit, & ab omnibus obſervari decrevit. Jubet ergo convocari Epiſcopos regni ſui apud Silvanectis*

nectit civitatem, in qua idem Carolomannus morabatur, quatenus sacros canones, a quibus nulla, ut Leo dicit, aut negligentia, aut præsumptione licet eis discedere, Episcopale ministerium de illo exequerentur. Sicuti & fecerunt deponentes illum secundum sacras regulas ab omni gradu Ecclesiastico, laicali sibi communione servata. Tam moderata in eum sententia prolata, abusi sunt seditiosi, rati faciliorem tunc viam ad Regnum occupandum eidem patere, cum ex clericali ordine dejectus esset, ut idem auctor addit, quare rebellem filium iterum pater ad Optimatum conventum perduxit, ut ab iis judicaretur, hinc subdit. *Quapropter necesse fuit etiam illa de quibus ab Episcopis judicatus non fuerat, in medium revocare, & secundum sacrarum legum decreta pro admissis suis judicio mortis addictum, mitiori sententia, ut locum, & spatium pœnitendi haberet, & graviora admittendi facultatem, sicut meditabatur non haberet, luminibus acclamatione cunctorum, qui adfuerunt, orbari: quatenus pernicioja spes pacem obedientium de illo frustrata foret, & Ecclesiam Dei ac Christianitas in regno ejus, cum infestatione Paganorum seditione exitiabili perturbari non posset &c.* Hæc is auctor de Carolomanni supplicio, de cujus rebellione adversus patrem jam supra anno 870. nonnulla adnotavimus, quique paulo post ob dolorem ex obcœcatione conceptum vivere desiit: Silvanectensis quidem concilii, in quo Carolomanni causa agitata est, & ex clericorum albo expunctus fuit, periere, summa nihilominus ejusdem Synodi capita quinque supersunt, Proclamatio scilicet querelarum Caroli adversus Carolomannum, Caroli Regis epistola, recapitulatio ejusdem epistolæ ad Angesidum, & Aldigarium, & ceteros Synodi Episcopos, sententia, & subscriptio Episcoporum in Carolomannum lata, ac tandem capitula tria in eadem causa ab Carolo Rege Episcopis oblata. JESU CHR. AN. 873.

9. In Hispania quoque Ovetense concilium circa hæc tempora celebratum fuisse narrant Hispani scriptores. Cum etenim Alphonsus Asturiarum Rex, ob præclaras adversus Saracenos obtentas victorias, multis triumphis inclaruisset, legatos suos Severum, & Sinderedum ad Joannem Pontificem Romam misit. *Et reversi a Domino Papa una cum Rainaldo gerulo suo, & cum subscriptis epistolis licentiam consecrandi Ecclesiam B. Jacobi Apostoli, sive & concilium celebran-* Ovetense concilium, & dedicatio ecclesiæ Sancti Jacob.. *Concil. tom. 9. pag. 247.*

JESU CHR. AN. 873.

brandi cum Hiſpanis Epiſcopis. Quare hortante Rege Alphonſo in unum Oveti convenientes, ſolemni ritu eamdem dedicarunt eccleſiam, ut ibidem videre eſt. Hiſque geſtis ſubdunt acta concilii. *Tractaverunt ea, quæ pertinent ad ſalutem totius regni Hiſpaniæ, ſolutoque concilio abierunt unuſquiſque in ſua: actum concilium* 18. *Kal. Julii Æra Hiſpanica* 910.

Locuſtarum irruptio in multas regiones.

10. Etſi variæ ſint temporum ætates, quæ ſibi invicem ſine interruptione ſuccedunt, eædem nihilominus temporum viciſſitudines ſemper perſeverant, ita ut quæ noſtra ætate non ſemel accidit, ut terræmotibus, aquarum inundationibus, locuſtarum infeſtationibus infelix Adami progenies vexaretur, eadem frequenter olim accidiſſe legimus. De locuſtarum infeſtatione, qua Germanorum, vel Italorum agri hoc anno depaſti ſunt, hæc narrant Annales Fuldenſes. *Vermes quaſi locuſtæ quatuor pennis volantes, & ſex pedes habentes, ab Oriente venerunt, & univerſam ſuperficiem terræ inſtar nivis operuerunt, cunctaque in agris, & in pratis viridia devaſtabant. Erant autem ore lato, & extenſo inteſtino, duoſque habebant dentes, lapide duriores, quibus tenaciſſime arborum cortices corrodere valebant. Longitudo & craſſitudo illarum quaſi pollex viri. Tantæque erant multitudinis, ut una hora diei centum jugera frugum prope Urbem Moguntiam conſumerent. Quando autem volabant, ita totum aerem per unius milliarii ſpatium velabant, ut ſplendor Solis infra poſitus vix appareret. Quarum nonnullæ in diverſis locis occiſæ, ſpicas integras cum geanis & ariſtis in ſe habuiſſe repertæ ſunt. Quibuſdam vero ad Occidentem profectis, ſupervenerunt aliæ, & per duorum menſium curricula pene quotidie ſuo volatu horribile cernentibus præbuere ſpectaculum.*

Apud Duchesnium.

In Germaniam & Italiam tranſeunt.

11. Ex Germania in Italiam locuſtas irrupiſſe narrat Andreas Presbyter hujus ætatis ſcriptor. Auguſto ineunte *multæ locuſtæ advenerunt de Vicentinis partibus in finibus Breſcianis, deinde in Cremonenſibus finibus, inde perrexerunt in Laudenſes partes, ſicut etiam in Mediolanenſes. Erant enim una pergentes, ſicut Salomon dixit. Locuſtæ Regem non habent, ſed per turmas aſcendunt, devaſtaverunt enim multa grana minuta millii, vel panniti.* Et de earumdem irruptione in Campaniam, & in agrum Neapolitanum, hæc etiam adnotat Joannes Diaconus in vita S. Athanaſii Epiſcopi

Apud Mencben. rerum German.

Apud Murat. rer. Ital. tom. 1. pag. 2.

pi Neapolitani. *Hujus temporibus tanta locuſtarum denſitas in Campaniæ partibus, & maxime in hoc Partenopenſi territorio exorta eſt, ut non ſolum ſegetes, ſed etiam arborum folia, & herbarum olera viderentur eſſe conſummata &c.* At de his hactenus. JESU CHR. AN. 874.

10. Cum Nortmanni Galliis longo tempore infeſti in agro Andegavenſi, & urbe pedem fixiſſent, exinde hoc anno ejecti ſunt, ut narrat Annaliſta Bertinianus, cui auxilium Salomon Dux Britonum præbuit, unde poſt aliqua. *Carolus viriliter, ac ſtrenue obſidionem Nortmannorum in gyro Andegavis civitatis exequens, adeo Nortmannos perdomuit, ut Primores eorum ad illum venerint, ſeque illi commendaverint, & ſacramenta qualia juſſit egerint, & obſides, quos & quantos quæſivit illi dederint: ut de civitate Andegavis conſtituta die exirent, & in regno ſuo, quandiu viverent, nec prædam facerent, nec fieri conſentirent. Petierunt autem, ut eis in quadam Inſula Ligeris uſque in menſe Februario reſidere, & mercatum habere liceret. Atque in menſe Februario quicumque jam baptizati eſſent ex eis, & Chriſtianitatem de cetero veraciter tenere vellent, ad eum venirent: & qui adhuc ex Paganis Chriſtiani fieri vellent ipſius diſpoſitione baptizarentur. Ceteri vero ab illius regno diſcederent, ulterius, ſicut dictum eſt, ad illud in malum non reverſuri &c.* Hinc contigit, ut temporis tractu, feritate depoſita, cum Chriſti fidem ſuſcepiſſent, iis agri, & urbes a Francorum Regibus ad habitandum darentur, unde ex ea gente Normandia Provincia dicta eſt, de quibus infra ſuo loco. Carolus Nortmannos vincit, & Andegavos ejicit.

JESU CHRISTI AN. 874. JOANNIS OCTAVI PAPÆ 3. LUDOVICI IMP. 20. MICHAELIS IMP. 8.

1. Cum diu ac fere biennio in Campania, & in agro Beneventano, vel Capuano ſubſtitiſſet Ludovicus Imperator, hoc anno inde excedens Ravennam perrexit, ut diplomata ab eo ibidem data indicant pro Caſaurienſi, & Caſſinenſi monaſteriis, ut Leo Oſtienſis, & Caſauriense chronicon referunt, data quippe dicuntur. *Tertio Kal. Maii indict. ſeptima foris civitate Ravennæ ad ſanctum Apollinarem, anno Imperii Ludovici 25.* Cumque ibidem eſſet Imperator, eumdem, ac Ludovicum Germaniæ Regem Joannes Joannis Papæ cum Ludovico Imp. & Ludovico Rege prope Veronam colloquium. *Leo Oſtienſ. lib. 1. 39. chron. Caſauriense tom.*

JESU CHR. AN. 874. 2. part. 2. rer. Ital.

Papa in agro Veronenſi, quo omnes profecti fuerant, convenit, ac colloquium cum iis habuit, ut narrat auctor Fuldenſis chronici, qui de Ludovici geſtis hoc anno verba faciens, adnotat, eum Aprile ineunte Fuldæ adfuiſſe. *Inde in Italiam per alpes Noricas tranſiens, cum Ludovico nepote ſuo, & Joanne Pontifice, haud procul ab urbe Verona colloquium habuit &c.* Quid inter eos ibidem geſtum tractatumque fuerit ignoratur, fortaſſe de Imperii ſucceſſore actum eſt, ait Muratorius, cum abſque liberis Ludovicus eſſet.

Joannis Papæ epiſtola ad Ingelbergam Aug.

2. Veroſimilius eſt, Pontificem inter cetera adverſus Joannem Ravennatenſem Archiepiſcopum apud Imperatorem querelas detuliſſe, eo quod bona, & monaſteria Romanæ Eccleſiæ detineret, cujus cauſa jam antea anno 861. excommunicatus fuerat, de quibus cum Ingelberga Ludovici uxore conqueritur in epiſtola ad eam data, qua inter cetera hæc habet. *Ad hoc uſque malum crevit & increſſatum eſt, ut factione Ravennatis Archiepiſcopi, Maurinus cum ſuis complicibus, qui excommunicati, & anathematizati a nobis jam ſunt Ravennam ingrederetur, & fidelium noſtrorum res cum eis funditus raperet, & devaſtaret, adeo ut claves civitatis Ravennæ a Veſtrario noſtro violenter ſubtraheret, & pro libitu ſuo, neſcimus cujus auctoritate, ipſi Archiepiſcopo, quod numquam factum fuiſſe recolitur, proteſtative concederet*, et in alia epiſtola ad Imperatorem data quarto Kal. Febr. indict. 7. ideſt hoc anno, nonnulla monaſteria, quæ ſui juris erant, ſe recepiſſe abſque Ravennatenſis Epiſcopi injuria narrat. *Nam monaſterium*, ait, *Sanctæ Mariæ in Comaclo, quod Pompoſa dicitur, & monaſterium Sancti Salvatoris in monte Feretri, aliudque monaſterium, quod vocatur Sancto Probo, atque colonos in territorio Ferrarienſi, Adrienſi, & Gallicata, & Faventillum Ravennati Archiepiſcopo non abſtulimus, ſed ea monaſteria, & loca ab anteceſſoribus noſtris poſſeſſa reperientes poſſedimus, hactenuſque jure proprio retinemus. Alia quoque loca, & villas, & prædia, de quibus aliquam fanctionem per decem jam annos Eccleſiæ Ravennatis recepit, volumus, ut priſtinum ſanctionem, & dationem eadem eccleſia deinceps recipiat, & quia eidem Eccleſiæ alia loca nec tulimus, nec occupari fecimus, habeat, quæ hactenus habuit, abſque prædictis locis, ideſt Gallicata, & Maſſa Faven-*

Baluz. tom. 5. pag. 489.

Joannis Papæ querelæ adversus Ravennæ Epiſc.

ventilla, & absque præfatis monasteriis quousque in præsentia nostra, & ipsa loca, quæ sua esse putat, nostræ potius ecclesiæ lege & ratione pertinere omnimodis cognoscat &c. Hæc de Joannis Papæ dissidiis cum Joanne Ravennatensi Archiepiscopo, de quibus in congressu cum Ludovico Imperatore prope Veronam hoc anno habito, Joannem Pontificem egisse inverosimile non est. JESU CHR. AN. 874.

3. In eadem Balutiana collectione aliud Joannis Papæ epistolæ ad Hannonem datæ fragmentum extat, quod collectorum conciliorum diligentiam fugerat, qua eum ut redditus Romanæ Ecclesiæ per indictionem septimam, sibi mitteret, admonet: *Noveris itaque*, ait, *nuperrime nos litteras dilecto filio nostro Ludovico Regi*, (Germaniæ) *sed & Episcopis, & Comitibus Italici Regni, qui earum redditus nobis deferri salvos faciant transmisisse, nihilque aliud superesse cognoscimus, nisi ut aurum, aliasque species, quas te collegisse fateris simul cum præteritæ indictionis, qui minus fuerunt redditibus, sub omni plenitudine nobis per totum septembrem futuræ septimæ indictionis, aut per temetipsum deferas, aut transmittas &c.* Deinde post aliqua ut Organum sibi mitteret his verbis addit. *Precamur autem, ut organum optimum cum artifice, qui hoc moderari, et facere ad omnem modulationis efficaciam possit ad institutionem musicæ disciplinæ nobis aut deferas, aut cum eisdem redditibus mittas, quatenus dum vile metallum B. Petro conferre festinas, ab eo aurea Regni cœlestis munera capessas.* Hæc ibidem Joannes Papa. Joannis Papæ epist. ad Annonem Frisingæ Episc. *pag.* 490. Organum ab Hanone Episcopo postulat.

4. Cum Galliarum Episcopi Duziaci, hoc anno convenissent, concilium ibidem celebrarunt, cujus superest synodica epistola ad Episcopos Aquitaniæ data, & initio hæc habent: *Sancta synodus plurimarum provinciarum nutu divino, & sanctione Domini Caroli Regis glorioſi apud Duziacum secus municipium Mosomum Rhemensis parochiæ in Dei nomine, anno Incarnationis Dominicæ* 874. *Indictione* 7. *Idibus Junii convocata.* Celebratum fuit contra incesta conjugia, & rerum Ecclesiasticarum pervasiones, quæ duo mala in Aquitania valde grassabantur, quorum gravitas in laudata Synodica variis tum scripturæ, & Sanctorum Patrum locis, tum variorum Conciliorum auctoritatibus ostenditur. Actum ibidem etiam est de causa *Dudæ* Monachæ ab *Huntberto* Pres- Concilium Duziacense, in Galliis celebratur. *conc. tom.* 9. *pag.* 258.

JESU CHR. AN. 874.

bytero corruptæ, & *Berthæ*, ac *Erpredæ* sceleris consciarum, ac judicatum ibidem est, *Hunthertum* sacrilegii convictum, vel confessum, Synodali Judicio a Vicariis Synodi deponendum, & per Missos Regios in longinquam terram, ad perpetuum exilium, juxta Imperatorum, & Regum antiquas leges, & consuetudines, amandandum, vel in aliquod Monasterium, loco exilii detrudendum ad agendam pœnitentiam, laica tantum ipsi communione servata. *Dudam* vero, secundum Regulam S. Benedicti virgis castigandam esse, & septenni pœnitentiæ subdendam esse jusserunt; *Bertæ* vero, & *Erpredæ* flagitii conscii per tres annos, & dimidium pœnitentia imponitur, postquam virgis etiam fuerint castigatæ. Ac tandem in laudem regulæ S. Benedicti nonnulla adnotant, utpote quam tum S. Gregorius Papa primus, cum sacri Ecclesiæ canones commendaverint.

Reclamatio Episc. Barcinonensis apud Carolum. *Baluz. capituli Reg. Franc. to. 2. pag. 234.*

5. Cumque hoc anno Carolus Aquitaniæ Rex in Attiniaco esset Kal. Julii Episcopus Barcinonensis libellum eidem obtulit, quo de Tyrso quodam Presbytero conquerebatur, qui in Ecclesia urbis Cordubensis, se inscio, & invito conventus celebrabat, missas dicebat, ac baptismum administrabat, his addidit Castrum Tarraconensis Diœcesis factione Bajonis cujusdam sibi ereptum fuisse, ac tandem quod Madascius quidam Gothus Ecclesiam Sancti Stephani retineret, ac Bocofindus alter Gothus agrum S. Eulaliæ per præceptum Regis, fraude obtinuisset; Quare Rex Carolus, ut de oblatis querelis diligens inquisitio fieret, ac sibi refereretur, jussit, ut secundum jura forensia quislibet, quod suum erat, retineret.

Salomon Brittanniæ Dux occiditur.

6. Hoc quoque anno, ut Bertinianus Annalista narrat, Salomon Brittanniæ Dux, cujus non semel supra mentionem fecimus, occisus est cum filio suo Vigone: post Salomonis mortem *Pasquiranus*, & *Vurfandus* Duces, qui eum dolo interfecerant, de Principatu inter se decertarunt, ut fuse ad hunc Christi annum narrat Annalista Metensis, qui subdit bella hæc civilia diu in Brittannia durasse, tandemque omnem eam Provinciam cessisse Alano, qui eam strenue gubernavit.

Boeredus Rex Merciorum Regno se abdicat, ejus obitus.

7. Hoc etiam anno Boeredus Merciorum in Anglia Rex continuis Danorum irruptionibus fatigatus, Regni vastitatem ægre ferens, Regno excedens, & renuncians, Romam perrexit, ubi paulo post obiit, ut in historia Anglorum narrat

rat Ingulphus capite 26. his verbis: *Boerredus Rex Merciorum, cum Rex Alfredus in Adelyngia adhuc moraretur, & Pagani anno Domini* 874. *redeuntes in Merciam apud Ripadium*, unde anno 868. exceſſerant, ut ibidem diximus.... *Et ipſe*, Boerredus, 22. *annis regnaſſet, totamque terram Angliæ in omni ſuo angulo cædibus, & rapinis vaſtatam barbarorum videret. vel de victoria deſperans, vel tot laborum labyrinthum faſtidiens, Regnum reliquit, & Romam petens, in paucis diebus defunctus, ibidem in ſchola Anglorum ſepultus eſt. Uxor cito virum ſecuta in via verſus Romam moritur, & Ticini ſepelitur, cui ſucceſſit in Regnum Merciorum ſubrogatus per Danos quidam ſervorum Boerredi Regis, nomine Leolvolphus, Anglicus genere, ſed barbarus impietate &c.* Etheſvida porro Boerredi uxor poſt obitum mariti, regio abjecto cultu, monaſterium ingreſſa, Ticini anno 890., vel 889. obiit, ut narrat Veſtmonſtarienſis, & Ethelverdus lib. 4. cap. 3.

Jesu Chr. an. 875.

Boerredi uxoris obitus.

JESU CHRISTI an. 875. Joannis 8. Papæ an. 4. Caroli Calvi Imp. an. 1. Basilii Imp. 9.

1. Multa cum gloria Imperium hactenus adminiſtraverat Ludovicus, cum labenti anno, menſe Auguſto vivere deſiit: *Menſe Auguſto*, inquit Annaliſta Fuldenſis, *Rex Ludovicus, cum filiis, & fidelibus ſuis colloquium habuit in Villa Tribuere; interea Ludovicus Italiæ Imperator moritur, cujus corpus translatum Mediolani in baſilica S. Ambroſii ſepultum eſt.* In agro Brixiano diem ultimum clauſit Ludovicus, *pridie idus Auguſti*, ut in chronico narrat Andreas Presbyter: *Antonius vero Epiſcopus Breſcianus tulit corpus ejus, & potuit eum in ſepulcbro in Eccleſia S. Mariæ, ubi corpus S. Philaſtrii requieſcit. Anaſpertus Mediolanenſis Archiepiſcopus mandavit ei per Archidiaconum ſuum, ut reddat corpus illius*; cumque Brixianus Epiſcopus renuiſſet, Anaspertus Mediolanenſis, cum Garibaldo Bergomenſi, & Benedicto Cremonenſi Epiſcopis Brixiam perrexit, ac inde Ludovici cadaver abſtulit, cui translationi idem Andreas Presbyter adfuit, ac in via pheretrum etiam tulit. Hinc ſubdit: *Veritatem in Chriſto loquor, ibi fui, & partem aliquam portavi, & cum portantibus ambulavi a flumine, qui dicitur*

Ludovici Imp. obitus.

Menh. rer. Germ. to. 1.

JESU CHR. AN. 875. *tur Oleo, usque ad flumen Abdua &c.* Præter insigne Epitaphium sepulchro ejus in Ecclesia S. Ambrosii Mediolani positum, quo ejus gesta celebrantur, a Baronio, aliisque scriptoribus relatum, hoc etiam de eo elogium reliquit Regino. *Fuit iste Princeps pius, & misericors, justitiæ deditus, simplicitate purus, Ecclesiarum defensor, Orphanorum, & pupillorum pater, eleemosynarum largus largitor, servorum Dei humilis servitor, ut justitia ejus maneret in sæculum sæculi, et cornu ejus exaltaretur in gloria &c.*

Angilberga Augusta monasterium ingreditur.

2. Nullum Imperii, vel Regni hæredem reliquit Ludovicus, sed unicam filiam Ermengardam ex Angilberga susceptam, hinc inter Carolum Calvum, & Ludovicum Germaniæ Regem de Imperii successione armis certatum est, ut mox dicturi sumus; Angilberga vero Augusta monasterium Sancti Salvatoris, & Juliæ Brixiæ ingressa, religiosum ibidem habitum induit, ait Mabillonius, vel in monasterio sub titulo Resurrectionis, & in honorem SS. Martyrum Sixti, & Fabiani Placentiæ a seipsa paulo ante ædificato, ut putat Muratorius. Angilbergam litteris suis anno 877. consolatus est Joannes Papa, exhortans, ut *Carolo* Imperatori faveret, idemque officium alibi repetit, significans se pro eadem, ac pro Ludovico, *nullatenus prætermittere ejus memoriam in sacris orationibus, apud Dominum facere, & quamdiu vixerit facturum &c.* Rursum in tribulationibus positam consolatus est, & in altera epistola, cum in Gallias transisset Joannes Papa, ac se in die anniversario obitus Ludovici, pro eodem precaturum pollicetur, ut ibidem videre est.

Mabill. Annal. lib. 37. pag. 188.

Murat. ann. 874.

epist. 43. & 88. 91.

Ludovicus, & Carolus de Imperio contendunt.

3. Interea cum, uti diximus, absque liberis Ludovicus obiisset, ejusdem patrui Carolus Calvus Aquitaniæ, & Ludovicus Germaniæ Rex de successione Imperii, Regnoque Italico inter se contenderunt, cum utrique par jus esset, at Carolus in Imperio occupando sollicitior, aut felicior fuit, etenim *Kalendis Septembris*, ut ait Annalista Bertinianus, *iter suum incœpit, & per Sancti Mauricii monasterium pergens montem Jovis transiit, & Italiam ingressus fuit, Ludovicus Rex Germaniæ frater ejus filium suum Carolum in Italiam, ut fratri suo adversaretur, transmisit. Quem Carolus Rex fugam accipere, & inde abscedere coegit. Ludovicus autem Rex Germaniæ alium filium suum Carolomannum, cum quibus potuit in adversitatem fratris sui in Italiam dire-*

direxit. Quod prænoscens Carolus Rex obviam, & cum validiori manu perrexit. Et quia Carolomannus prænovit se patruo suo non posse resistere, pacem petens, cum eo locutus fuit, et sacramentis utrimque confirmatis ad propria rediit. paucis interpositis: *Carolus autem quibusdam de Primoribus ex Italia ad se non venientibus, pluribus autem receptis, Romam invitante Papa Joanne perrexit, et XVI. Kalend. Januarii ab eo, cum gloria magna in Ecclesia S. Petri susceptus est. Anno Domini 876. in die Nativitatis Domini, Beato Petro multa, et pretiosa munera offerens, in Imperatorem unctus, et coronatus, atque Romanorum Imperator appellatus est:* id autem anno 876. factum fuisse ait, quia dies Natalis Domini, apud Francos sequentis anni initium erat, ut ibidem adnotat Pagius. De Caroli inauguratione ab Joanne Pontifice die natali peracta mentio fit in diplomate ejusdem Pontificis pro Monasterio Svessionensi Sancti Vedasti his verbis: *Qua de re luce clarius pateat omnibus Ecclesiæ filiis, quia carissimus filius noster Carolus Rex adiens limina Apostolorum Petri, et Pauli, honorifice a nobis acceptus, postquam solemniter vota regia persolvisset, ad sepulchrum Beati Petri, die Nativitatis Domini in Ecclesia ipsius Beati Petri Apostolorum Principis dignitatem Imperialem per impositionem manuum nostrarum adeptus est, &c.* Datum dicitur *per manus Anastasii primiscrinii, anno primo Imperii sereni simi Caroli sereniſſimi Augusti*; ac idem Carolus eadem privilegia diplomate suo confirmans, illud post Imperialem dignitatem ab Joanne Pontifice adeptam, se dedisse addit, datum 3. Kal. Junii, indict. 9. anno primo Imperii Caroli, Regni vero 36. in *Compendio* Regis Palatio.

JESU CHR. AN. 875.

Carolus Imperator dicitur.

Apud Martene collectio anecdot. to. 1. pag. 200.

4. Hanc autem Caroli inaugurationem, non solum per fraudem ab Carolo usurpatam fuisse adnotat Reginonis chronicon, sed etiam auro redemisse, addit: *Hoc ubi Carolus Galliæ tyrannus comperisset*, mortem scilicet Ludovici Imo., *illico Regnum Italiæ invasit, et omnes thesauros, quos invenire potuit, unica manu collegit*, his armis instructus Carolomanno Ludovici filio, ut Italia excederet, persuasit: *Nam aurum, et argentum, gemmasque pretiosas infinitæ multitudinis Carolomanno obtulit*, ac ut Italia excederet effecit, *quo inde discedente, et promissionibus illius credente, ille quæcumque pollicitus est mentitur, et quanta potuit velocitate*

De Caroli coronatione Reginonis narratio.

JESU CHR. AN. 875.

te Romam profectus est, omnemque Senatum Populi Romani more Jugurtino corrupit, sibique associavit, itaut etiam Joannes Papa votis ejus annuens corona capiti ejus imposita eum Imperatorem, et Augustum appellari præcepisset. Hæc is auctor acerbiori in Carolum stylo, utpote qui Ludovico Germaniæ Regi subditus erat; qualibet autem arte, vel industria Imperialem coronam adeptus sit Carolus, solemniter eum coronatum fuisse, & a quatuor Episcopis ab Joanne delegatis, Jaderico, scilicet, Velitrensi Episcopo, Formoso Portuensi, Joanne Alatrino, & Ansegiso Senonensi, Romam deductum fuisse veteres Francorum annales narrant, *& 16. Kalend. Januarii*, ab Joanne Papa, *cum gloria in Ecclesia Beati Petri susceptus est anno 876. in die Nativitatis Domini. Idem Carolus Beato Petro multa, & pretiosa munera offerens, in Imperatorem est unctus, & coronatus, ac Imperator Romanorum est appellatus.*

Hincmari Remensis Episc. epist. ad Episcopos.

5. Cum inter se de Romano Imperio, & Regno Italiæ Carolus, & Ludovicus Germaniæ Rex dissiderent, Ludovicus, ut Carolum ab Italico Regno, & spe potiundi Imperii revocaret, in Gallias irruptione facta, easdem excurrendo Attiniacum usque vastavit, ubi etiam natale Domini celebravit; tunc Hincmarus Remensis Archiepiscopus, de Caroli Calvi incolumitate, & prosperitate sollicitus ad Episcopos, & Proceres provinciæ Remensis litteras dedit, eosdem admonens, atque excitans, ut fidem Carolo Regi datam integram servarent, totisque viribus Ludovici conatibus resisterent, cujus initium est: *De communi anxietate nostra, de qua exiguitatem meam dilectio vestra consuluit &c.*, ac primo ut spiritualibus armis pro Carolo certarent his verbis admonuit: *In auxilio igitur præbeamus arma divina, jejunia, orationes, lacrymas, imploratione ad sanctorum suffragia, & auxilia divina per nos, nostrasque parochias, ut non effundatur sanguis christianus seditionali certamine inter fratres, & cognatos, atque propinquos, sicut jam fuisse in Fontanido dolemus, &c.* & post multa Hincmari more, qui tractatus epistolarum vice scribebat, quid tandem cavere deberent, his verbis admonuit: *Cujus verba*, Ambrosii scilicet Mediolanensis Episcopi, *discretissima, ac saluberrima sequentes nos Episcopi, Domni nostri Caroli, si acciderit, ut consulere ei non possimus, sicut cupimus, in temporali sui regni de-*

Hincm. op. to. 2. p. 157.

defensione, atque tuitione, & consulamus illi in debitæ fidei observatione, consulamus, & nobis, Dei cooperatione, in debitæ fidei erga illum observatione, nec ab illius debita fide exhorbitantes, quemquam in illius regnum, missis vel Episcopis, vel quibuscumque internuntiis, invitemus, nec pro Abbatiis, vel honoribus temporalibus, atque rebus, vel facultatibus nos venundemus &c. Hæc & alia plura ibidem, quæ exscribere longum esset.

JESU CHR. AN. 875.

6. Dum Ludovicus Germaniæ Rex Gallias excurrendo, ut diximus, vastaret, Carolum filium suum, qui Grassus, vel Grossus dictus postea fuit, in Italiam cum exercitu misit, ut Caroli Calvi conatibus resisteret, indeque si fieri potuisset, ejiceret, eoque tempore ab Germanorum exercitu Italiæ provincias vexatas, direptasque fuisse, Joannis Papæ epistola ad Carolum Ludovici filium, biennio post data, sub indictione decima, sexto Kal. Aprilis indicat, qua sub pœna incurrendæ excommunicationis admonet, ut bona monasterii Brixiani, absque mora, aut diminutione restitueret: *Cum generositatem tuam tanta claritas prosapiæ regalis extollat, mirumur, & obstupescimus quomodo hanc tam siniſter longe, lateque discurrens rumor obnubilet, asserens, & affirmans te Italiam ingressum ad Monasterium accessisse ancillarum Dei apud Brixiam constitutum, indeque cum illic ipse morareris, tyrannice aurum ablatum, tam ipsius venerabilis monasterii, quam dilectæ filiæ nostræ Angelbertæ Dei cultricis, quod sibi ad ipsius præcipue cœnobii sustentationem procul dubio reservaverat: unde mœrore vehementer afficimur, dolentes gloriam tuam ad tam immane sacrilegii genus dilapsam, & instar cujusdam gentilis regis vasa domus Dei ad usus proprios inflexisse conatam. Atque ideo dilectionem tuam in Christi visceribus esse cupientes, monemus, & sacris convenimus eloquiis, cum psalmista fatentes.* Nolite sperare in iniquitate, & in rapinis nolite concupiscere. *Si qua ergo a prædicto pio loco, sive gloria tua sciente, sive nesciente ablata sunt, industria tua diligentissima requirantur, & inventa in eo sine mora sub omni integritate restituantur: ne, quod absit, si aliter egeris, & Deum contra te ad iracundiam provoces, & decus tuæ regiæ nobilitatis offuscet, atque nos ad hæc severius secundum ministerium nostrum puniendæ commoveas. Denique nisi post lectam hanc nostri Apostolatus epi-*

Joannis Papæ epist. ad Carolum comminatoria.

concil. to. 9. p. 36. ep. 42.

JESU CHR. AN. 875.

epiſtolam, intra ſexaginta dierum ſpatium, theſaurum illum ſine aliqua diminutione reddere propoſueris, ita ut miſſus tuus Romam, in præſentiam noſtram veniens, ſive reddideris, ſive nec reddideris, quidve hic agendum delegeris, veram, & idoneam expoſuerit rationem, eouſque ſis extunc excommunicatus, quouſque ab omni te rapinæ communione reddideris alienum, durioribus deinceps, te ſciens verberibus erudiendum, ſi his interim levibus tactus reſcribere forte contempſeris, &c.

Adventii Metenſis Epiſcopi obitus, cui Vala ſuccedit.

7. Hoc autem anno Adventius Metenſis in Gallia Epiſcopus, cujus alias mentionem fecimus, quique Drogoni anno 858. ſucceſſerat, e vivis exceſſit, die 31. Auguſti, ut ex catalogo Metenſium Epiſcoporum conſtat, ait Pagius, ſucceſſoremque in ea sede Valam habuit, qui die octava Aprilis anni ſequentis ordinatus eſt, ad quem Joannes Papa ſcribens, ut certis diebus pallio uteretur facultatem fecit, ita tamen ut *a ſecretario, ſeu ſacrario, uſque ad ſacrum altare, & ab altari uſque ad ſecreterium, ſicuti priſca extitit palleatus*, ſeu pallio indutus, *conſuetudo indui debeat*, ac ut in Miſſæ tantum ſolemni celebratione uteretur, quod tibi, *non Eccleſiæ tuæ, aliter privilegiis in ſuo ſtatu* manentibus, *uti concedimus*, & iterum paulo poſt. *Auctoritate Beati Apoſtolorum Principis licentiam diebus vitæ tuæ, ſub jure, & ditione noſtra, ut diximus, habens; nullum uſum vel conſuetudinem ſucceſſoribus tuis, per hoc noſtrum tibi conceſſum Apoſtolicum privilegium habere cenſuimus &c.*, ac ut gregi ſibi commiſſo ſollicita cura vacaret hortatur, & excitat, *ſcriptum per manum Georgii ſcriniarii S. R. E. in menſe Septembri, indict. 12. data 8. Idus Septembr. per manum Valperti humillimi Epiſcopi Sanctæ Portuenſis Eccleſiæ anno Domino propitio Pontificatus Domni noſtri Joannis ſummi Pontificis, & univerſalis Papæ ſexto, indict. 12.* ideſt anno 878.

epiſt. 1. in append. conc. to. 9. p. 239.

Dani Merciorum Regnum occupant.

8. Boarredo Merciorum Regi, qui Regno abdicato Romam tranſierat, ibique ut anno proximo diximus, paullo poſt obierat, Danorum factione Ceolvulphus ſubrogatus fuerat, vir quidem, ut ait Ingulphus in hiſtoria cap. 27. *genere Anglus, ſed impietate barbarus. Danis etenim juraverat fidelitatem, quo tributa impoſita eis fideliter perſolveret, & quandocumque Regnum commendatum repeterent, omni relu-*

ctatio-

Statione ceſſante, ſub pœna ſui capitis reſignaret, eoque aliquamdiu potitus, ac cœdibus, direptionibuſque vexato, tandem *per Danos dominos ſuos juſtiſſimos in hoc depoſitus eſt, & uſque ad ipſa verenda nudatus miſero fine vitam terminavit, &c.* ſicque Merciorum Regnum, quod a Penda anno 626. incœperat, *uſque ad ultima tempora hujus miſeri ſubreguli Ceolvulphi circiter per annos ducentum triginta*, defecit, ait idem Ingulphus. At ducentumquinquaginta legendum eſſe adnotat Pagius; Huic quoque Chriſti anno 875. Principatus Merciorum finem alligat Malesburienſis lib. 1. de Regibus cap. 4. Dani vero, Merciorum extincto Regno, ac Brittannorum inſula potiti, in varia Regna, ſive Ducatus partiti ſunt, non ſine maxima rerum tum ſæcularium, cum eccleſiaſticarum perturbatione, & devaſtatione, ut paſſim Anglorum hiſtorici tradunt. JESU CHR. AN. 876.

JESU CHRISTI AN. 876. JOANNIS 8. PAPÆ AN. 5. CAROLI 2. IMP. AN. 2. BASILII IMP. AN. 20.

1. Carolus Calvus in die Natalis Domini Romæ ab Joanne Papa Imperator electus, & coronatus, diebus aliquot ibidem tranſactis, rebuſque compoſitis, poſt diem quintam Januarii inde excedens, Papiam tranſiit, ibique Epiſcoporum, Procerumque Italiæ conventum celebravit, a quo tamquam Romanorum Imperator agnitus, Italiæ Rex creatus eſt, decem octo Epiſcopi ibidem convenerunt, quibus Anſpertus Mediolanenſis Archiepiſcopus præerat; *Nonis Januarii*, ajunt Aimonii continuator, & Annaliſta Bertinianus, Carolus, *Roma exiens Papiam rediit, ubi & placitum ſuum habuit*. Ticinenſis hujus concilii acta poſt Labbeum, Sirmondum, Balutium, auctiora, & emendatiora ab Saxio Mediolanenſis Ambroſianæ bibliothecæ Præfecto accepta, Muratorius vulgavit. Quid vero geſtum ibidem ſit, his verbis narrant, adſtantibus ſcilicet cum Carolo Imp. Epiſcopis, & Optimatibus Italiæ, Longobardiæ præcipue, & Inſubriæ, Ausbertus Mediolanenſis hæc præfatus eſt, verba ſua Imperatori dirigens: *Nos quidem* Ausbertus cum omnibus Epiſcopis, *Abbatibus, Comitibus, ac reliquis, qui nobiſcum convenerunt Italici regni Optimates, quorum nomina generaliter ſupter habentur inſerta, perpetuam optamus proſperitatem, & pacem*. Ticinense concilium Carolum Imper. excipit, Italiæ Regem creat. *Murat. rer. Ital. tom. 2. par. 2. pag. 150. Labb. to. 9. pag. 280.*

JESU CHR. AN. 876. *Jam quia Divina pietas vos Beatorum Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli interventione per Vicarium ipſorum, Domnum videlicet Joannem ſummum Pontificem, & univerſalem Papam, veſtrum ad profectum Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque omnium incitavit, & ad Imperiale culmen Sancti Spiritus judicio provexit. Nos unanimiter vos protectorem, Dominum ac defenſorem omnium noſtrum, & Italici regni Regem eligimus, cui & gaudenter toto cordis affectu ſubdi gaudemus, & omnia, quæ nobiſcum ad profectum totius Sanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque omnium ſalutem decernitis, & ſancitis, totis viribus, annuente Chriſto, concordi mente, & prompta voluntate obſervare promittimus.* Auſpertus deinde, & ceteri Epiſcopi, Comiteſque adſtantes hiſce ſubſcripſerunt, quorum ibidem nomina leguntur; Poſt hæc fidelitatem, obedientiamque Carolo Imp. Ausbertus Epiſcopus promiſit, juramentoque firmavit.

Caroli Imp. juramentum ad Epiſcopos.

2. Imperator vero, Rexque Italiæ Carolus Epiſcopis, Primatibus Italiæ juramento præſtito, hæc promiſit: *Et ego quantum ſciero, & rationabiliter potuero, Domino adjuvante, te Sanctiſſime, & Reverendiſſime Archiepiſcope, & unumquemque veſtrum, ſecundum ſuum ordinem, & perſonam honorabo, & ſalvabo, & honoratum, & ſalvatum abſque ullo dolo, & damnatione, vel deceptione conſervabo, & qui illam neceſſe habuerit, & rationabiliter petierit, rationabilem miſericordiam exhibebo &c.* Sequuntur hæc capitula viginti ibidem vulgata, & ab Epiſcopis ſubſcripta, quibus, ut Romanæ Eccleſiæ debitus honor, & obedientia a cunctis præſtaretur admonentur Epiſcopi, deinde ut ceteri etiam eccleſiaſtici ordinis adminiſtri Imperatori obſequium, & reverentiam exhiberent, cautum eſt, ac ut Epiſcopi officio ſuo fungentes, Verbum Dei prædicarent, admonentur, atque alia addita ſunt ad Eccleſiæ diſciplinam reſtaurandam aptiſſima, de Epiſcoporum, & Presbyterorum officiis, & moribus, ut ibidem videre eſt. Ticinenſi huic concilio Joannem Papam adfuiſſe nonnulli tradiderunt, at ut obſervat Muratorius, primum ibidem locum Ausbertum Mediolenſem Epiſcopum tenuiſſe patet, cur vero contra receptum morem Imperator primum Romæ ab Joanne Pontifice coronatus fuerit, deinde Italiæ Rex Ticini hoc anno declaratus hanc rationem in monito prævio affert Muratorius, quod

Balut. to. 2. capit. p. 246. Murat. ut ſupra.

cum

cum de Imperio obtinendo, cum Ludovico fratre ſuo contenderet Carolus, Romam feſtinato perrexit, ut fratrem præoccuparet, de Imperiali corona obtinenda quammaxime ſollicitus, ſuique voti compos factus, Italiæ Regnum poſtea adeptus eſt, nonnulli tamen Italicum Regnum, antequam Romam pergeret, obtinuiſſe ſcribunt, ac ex Fuldenſi annaliſta confirmant, dum ſcribit: *Carolus Galliæ tyrannus*, cognito Ludovici Imp. obitu, *illico Italiæ Regnum invaſit*, Annaliſta etiam Bertinianus, de Carolo ait poſt coronam Imperii adeptam, *Romam exiens, Papiam rediit*, unde ſolemni tantum ritu ei, hoc anno Italicum Regnum delatum fuiſſe, quod anno proximo jam obtinuerat, ſequeretur. At in his immorari non juvat, hoc unum adnotamus, tunc primum Italiæ Epiſcopos, et Comites, qui Longobardis hactenus, deinde Francorum Regibus ſubditi fuerant, in electione Regis Italiæ partem habuiſſe, ut eorum conſenſu, & electione, Italiæ Rex inauguraretur. JESU CHR. AN. 876.

3. His in Italia geſtis, cum in Gallias Carolus Imp. rediiſſet, ſynodum Pontigonenſem celebravit, qua non ſolum Ticinenſis ſynodi acta confirmata ſunt, ſed etiam Carolus ab Epiſcopis Galliæ, & Germaniæ Imperator recognitus, ac ſalutatus eſt; Andegiſus inſuper, reclamantibus Galliarum Epiſcopis, totius Galliæ Primas, & Apoſtolicæ Sedis legatus declaratus eſt, ac alia ibidem in pluribus ſeſſionibus tractata, ut mox dicturi ſumus. Itaque cum *Menſe Junio, indictione nona, anno Chriſti 876. Joannis octavi Papæ anno 4. Caroli Regis 37. Imperii primo, undecimo Kal. Julii, indict. 9. Epiſcopis, & ceteris quibuſque clericis veſtibus eccleſiaſticis indutis, e domo, ac ſedilibus palliis pretenſis, atque in gremio ſynodi, & proſpectu Imperialis Sedis, lectorio ſuperpoſitis Sacroſanctis Evangeliis, venit dominus Imp. Carolus in veſtitu deaurato, habitu franciſco cum Legatis Apoſtolicæ Sedis ad Synodum. Et cantoribus Antiphonam. Exaudi nos Domine, cum verſibus, & Gloria Patri cantantibus, poſt Kyrie eleiſon, & data oratione a Joanne Tuſcanenſi Epiſcopo, reſedit Dominus Imp. in ſynodo. Et legit Joannes Tuſcanenſis Epiſcopus epiſtolas a Domino Apoſtolico miſſas. Cum quibus, & legit epiſtolam de primatu Andegiſi Senonenſis Epiſcopi, ut quoties utilitas eccleſiaſtica dictaverit, ſive in evocanda ſynodo, ſive in aliis negotiis exercendis per Gallias, et Germanias, Apoſtolica* Synodus Pontigonenſis celebratur. Synodi ordo, & geſta. *conc. tom. 9. pag. 180.*

JESU CHR. AN. 876.

stolica rite fruatur, et decreta Sedis Apostolicæ, per ipsum Episcopis manifesta efficiantur, et rursum quæ gesta fuerint, ejus relatione si necesse fuerit Apostolicæ Sedi pandantur, et majora negotia, et difficiliora quæque suggestione ipsius a Sede Apostolica disponenda, et enucleanda sequantur. Petentibus autem Episcopis, ut eis permitteretur ipsam legere epistolam, quibus erat directa, non acquievit Imperator, sed responsum quæsivit ab eis, quid de his jussis Apostolicis responderent. Quorum responsio talis fuit, ut servato singulis Metropolitanis jure privilegii secundum sacros Canones, et juxta decreta Sedis Romanæ Pontificum ex iisdem sacris Canonibus promulgata, Domini Joannis Papæ Apostolicis jussionibus obedirent. Et cum Imperator, et Legati Apostolici satagerent, ut absolute Archiepiscopi responderent, se obedituros de primatu Andegisi, sicut Apostolicus scripsit, aliud, nisi quod prædictum est, responsum ab eis extorquere non potuerunt, excepto quod Frotarius Burdegalensis Episcopus, quoniam a Burdegala ad Pictavos, indeque ad Bituricum favore Principis contra regulas se contulit, per adulationem respondit, quod Imperatori placere cognovit. Tunc motus Imp. dixit, quod Dominus Apostolicus ei suas vices commisit in synodo, & quod iisdem præcepit, ipse exequi studeret. Et accepit ipsam epistolam involutam una cum Joanne Tuscanensi, & Joanne Aretino, & dedit illam Andegiso. Et jussit sellam plectilem poni ante omnes Episcopos Cisalpini Regni sui juxta Joannem Tuscanensem, qui ad dexteram illius sedebat. Et præcepit Andegiso, ut supergrederetur omnes ante se ordinatos, & sederet in eadem sella, Rhemorum Archiepiscopo reclamante, audientibus omnibus hoc factum sacris regulis obviare. Imperator autem in sententia sua permansit. Et petentibus Episcopis, ut liceret eis saltem exemplar sibi de epistola directa sumere, nec hoc ullo modo impetravere. Et sic soluta est synodus in die illa, cum Ticinensis synodi acta, ac capitula ibidem vulgata confirmata fuissent, præcipue vero Caroli inaugurationem ad Imperialem dignitatem ab Joanne Papa factam, quam Episcopi ibidem congregati: *De Francia, Burgundia, Aquitania, Septimania, Neustria, ac provincia .... pari consensu, & concordi, & devotione* elegerunt, & confirmarunt *pridie Kal. Julii*, iisque post Joannem Tuscanensem Episcopum, & Apostolicæ Sedis lega-

legatum, ceteri Galliarum Episcopi subscripserunt, ut ibidem videre est. Jesu Chr. an. 876.

4. Nunc cetera ibidem gesta prosequimur: Quare *Quinto nonas Julii convenerunt Episcopi sine Imperatore, & habitæ sunt contentiones de Presbyteris ex diversis provinciis clamantibus ad legatos Apostolicos, & sic soluta est synodus in die illa*; deinde *Quarto Nonas ejusdem mensis iterum convenerunt Episcopi, & Imper. in synodo residens audivit Oratores fratris sui Ludovici Regis, Villibertum Archiepiscopum Coloniæ, & Adalardum, & Menigardum Comites, per quos petiit partem de Regno Ludovici Imp. filii Lotharii fratris eorum, sicut ei competeret ex hæreditate, & illi firmatum erat sacramento. Et legit Joannes Tusculanensis epistolam a Joanne Papa Episcopis Regni Ludovici directam, & dedit exemplar Villiberto Archiepiscopo, ut deferret illud præfatis Episcopis. Et sic soluta est præfata synodus in illa die*: Epistolæ autem Joannis Papæ ad Episcopos Regni Ludovici Germaniæ Regis datæ, & tunc synodo oblatæ non aliæ fuerunt, quam illæ, quas Pontifex ad Ludovicum, post Ludovici Imp. obitum dederat, quibus eum admonuerat, ne adversus fratrem Carolum, cum quo de jure Imperii contendebat, exercitum duceret, easdemque non semel dedisse synodi acta testantur, quibus habetur ex Romano synodo: *Ante adventum prædicti Domini Imperatoris, misit cum consensu omnium epistolas Ludovico Regi, filiis quoque ipsius, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ac reliquis primoribus regni sui, monentes eos apostolica auctoritate more paterno servare, quæ pacis sunt, ne videlicet aliquam irruptionem in regno præfati Augusti facile tentarent, usque dum simul ad mutuum colloquium venirent, & ipse inter eos, & de pace conservanda, & de jure regnorum secundum sibi a Deo ministerium creditum decerneret pariter, & discerneret. Quas epistolas per Odonem Bellovacorum venerabilem Episcopum sibi destinatas, & bis delatas &c.* quas recipere renuerunt; cumque in Caroli Regnum irruptionem Ludovicus fecisset, omniaque excurrendo vastaret, hæc audiens Joannes Papa legatos ad Ludovicum suos misit: *Joannem scilicet, & Joannem venerabiles Episcopos, cum aliis suis epistolis, volens eum manere, ut a tanto malo pœnitudinem ageret, & tandem fraternum Regnum invadere desineret, quorum legationem secundo commonitus, necdum recipere vo-*

Alia Pontigonensis synodi gesta.

concil. to. 9. pag. 291.

JESU CHR. AN. 876.

voluit. Quare ut obſtinatum Ludovici animum frangeret Joannes Papa: *Iterum alios legatos Leonem ſcilicet Sabinenſem Epiſcopum, & S. R. E. miſſum, & apocryſiarium, pariterque Petrum Foroſemproniatem Epiſcopum, hæc eadem obſecrando monendo proteſtans. Quorum monita utrum recipere velit, adhuc ambiguum conſtat.*

Synodus ſententiam Joannis Papæ adverſus Ludovicum Regem confirmat.

5. Cum itaque in ſuſcepto adverſus Carolum Imp. bello Ludovicus Rex perſiſteret; ſynodus *tandem Cenſuram, quam Dominus Apoſtolicus ſuper nefandiſſima acta Ludovici Regis, & complicum ejus, niſi reſipuerint, & debitam obedientiam Sedi Apoſtolicæ exhibuerint, ſtatuit, & firmavit, omnes nos, qui ad præſentem ſynodum convenimus, unanimiter decernimus, atque firmamus &c.* Inter cetera ibidem geſta, hæc etiam acta referunt; *Quinto idus Julii convenientibus Epiſcopis, lecta eſt epiſtola Apoſtolici*, Joannis Papæ, *de damnatione Formoſi Epiſcopi, Gregorii nomenclatoris, & conſentientium eis, & præſentata ſunt Imperatori ab Apoſtolico miſſa dona, inter quæ fuere præcipue ſceptrum, & baculus aureus, ſed & Imperatrici dona ſunt ab eo miſſa, pallia, & armillæ cum gemmis, & ſic ſoluta eſt ſynodus, in illa die*; cur autem Formoſus Epiſcopus in ſynodo Romana damnari meruerit, & in eum lata ibidem ſententia, in hac ſynodo recepta, & confirmata fuerit, ſe ignoraſſe ait Baronius, ac perſecutionem paſſum fuiſſe addit. Graves nihilominus adverſus eum querelas ſe habuiſſe Joannes Pontifex in epiſtola ad univerſos Galliæ, & Germaniæ Epiſcopos teſtatur, juſteque eos damnatos fuiſſe narrat, nam Gregorius nomenclator, ejuſque gener Georgius, duo, ut ait Pontifex, vaſa iniquitatis, cum Formoſo Epiſcopo, aliiſque complicibus, per Petrum Foroſemproniatem Epiſcopum, apud Imperatorem Carolum, & apud Pontificem, pridie Kal. Aprilis accuſati: *Quapropter nos*, ait Pontifex, *per Zachariam, & Gudericum Venerabiles Epiſcopos, & Chriſtophorum Sedis Apoſtolicæ primicerium, eis ſuggeſtionum conteſtationem emiſimus, admonentes atque jubentes, ut ſi aliquid de conſcientiæ ſuæ puritate confiderent, ad conſilium venire ſtuderent examen. At illi mollibus ſermonibus, & exquiſitis adinventionibus, ſe quidem venturos, & ad voluntatem noſtram cuncta ſe emendaturos dixerunt, ſed de die in diem ſub obtentu ægritudinis, tamdiu judicii diem*

Cetera ſynodi geſta, & Formoſi Epiſcopi damnatio.

Joann. ep. 319. conc. p. 232.

Gregorii nomenclatoris, ſocioruſque crimina, & ſententia in eos lata.

diem distulerunt, donec aut nos, cum fidelibus Ecclesiæ Dei potuissent perimere, aut Saracenos, quos jam per suos familiarissimos æque Saracenos invitaverant, in Romanam urbem ad perditionem omnium intromittere valuissent. Cumque nos contra utramque fraudem, juvante domino, præparatos vidissent, & imminere sibi judicii statutum diem cognoscerent, decepti se, cum quibusdam suis complicibus, videlicet Formoso Episcopo, Stephano secundicerio, & Sergio magistro militum, & Constantino nomenculatoris filio, quos non nostræ conventionis judicium, sed reatus propriæ conscientiæ stimulabat, contra salutem reipublicæ, & regni dilecti filii nostri Caroli serenissimi Principis, cui semper infideles fuerunt, & cujus provectioni semper detraxerunt, conspirantes, nescimus quo profecturi, noctis silentio, cum adulterinis clavibus portas urbis, quæ vocatur S. Pancratii, aperuerunt, & cum suis complicibus, cumque omnibus thesauris Sanctæ Dei Ecclesiæ, Saracenis undique populantibus, diffugerunt, portasque patentes relinquentes. Per Dominicum itaque, & Grimoaldum iterum vocati, cum reperti non fuissent, synodum Pontifex in Ecclesia S. Mariæ ad Martyres congregavit, ubi hanc in eos sententiam tulit.

JESU CHR. AN. 876.

6. *Formosum Episcopum Portuensem, qui a beatæ memoriæ Domno prædecessore nostro Papa Nicolao in Bulgarorum patria destinatus, noviter in Christo regenerati regis animos adeo suis calliditatibus vitiavit, ut terribilibus sacramentis eum sibi obstrinxisse testatus sit, ne, se vivo, quemlibet Episcopum a Sede Apostolica susceptisset, seque eidem terribilibus nihilo minus juramentis, ut ad eum quantocius reverti debuisset, obstrictum fuisse professus sit, quique a nobis proficiscendi illuc licentiam, litteras, & necessaria adjutoria impetravit: quoniam jamdudum per ambitionem a minori Ecclesia in majorem, videlicet sanctam Sedem Apostolicam, prosilire conatus, plurimos sibi consolatores effecit, et nunc per repertam hypocrisiam retrorsum rediens, sine licentia, vel conscientia nostra, propriam paræciam deseruit, urbe discessit, & contra salutem Reipublicæ, dilectique filii nostri Caroli a nobis electi, & ordinati Principis, cum suis fautoribus conspiravit, nisi amodo intra diem decimum, idest III. Kal. Maii præsentis nonæ indictionis, præsentiam suam nobis satisfaciendo monstraverit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque*

Sententia in Formosum Episcopum lata. pag. 233.

JESU CHR. AN. 876. *Apoſtolorum Principum Petri, & Pauli, omni Eccleſiaſtica communione privatum eſſe decernimus, & vos ita? Reſponderunt omnes: Decernimus, & niſi poſt diem decimumquintum, ideſt IV. nonas Maii, præſentis IV. Indictionis, reſpiciens ſatisfacturus nobis occurrerit, auctoritate, & judicio Sancti Spiritus, qui ſemper effugiet fictum, omni ſacerdotali miniſterio penitus denudatum fore judicamus. Judicatis, & vos ita? Reſponderunt omnes: Judicamus, Qui ſi nec hujus dilationis miſeratione commotus, humiliter ſe poſt diem XX. ideſt VII. Idus ejuſdem Maii menſis, præſentiæ noſtræ reddiderit, vel in Eccleſia Dei, in aliquo conturbare præſumpſerit, ſi contra hanc communionem omnium noſtrum ſententiam agere, vel reſultare tentaverit, anathema ſit a Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, nunquamque in ulla Synodo recuperationis ſpem, aut ſatisfactionis aditum ſibi noverit reſervatum &c.* Atque his iterum de Gregorii, ſociorumque ejus ſceleribus quamplurima addit, quos niſi intra diem decimum, ſeu tertio Kal. Maii, hujus nonæ Indictionis reſipuerint, ſatisfactionemque dederint, ſacra privat communione, ſi vero poſt dies 15., ſeu quarto nonas Maii, in eadem perverſitate perſtiterint, perpetuo anathemate damnantur. His, aliiſque geſtis, Petrus Foroſempronii, & Joannes Tuſcanenſis Epiſcopi Nichildem coronatam Auguſtam in ſynodum introduxerunt, die decimaſexta Kal. Auguſti, quo Carolus quoque Imperator Germanico more indutus, & coronatus ab Legatis Apoſtolicis deductus fuerat, ibique cantatis Kyrie eleiſon, & dicta pro ut mos ferebat, oratione, ſynodus finem habuit, ac Leoni Sabinenſi, & Petro Foroſemproniati Epiſcopo, & Apoſtolicæ Sedis legatis, ut diſcederent facultas data eſt, ita tamen, ut ibidem Joannes Tuſcanenſis, & alter Joannes Aretinus Romanæ Sedis legati, cum delectis ad id Epiſcopis, cetera, quæ ibidem tractanda remanſerant, pertractarent; ut *Quidquid, ſive in convocanda ſynodo, ſeu in definiendo, ſeu in contemptoribus feriendis definierint Apoſtolica auctoritate libere definiant, & quidquid ipſi deliberaverint, Domnus Apoſtolicus, cum omni Sancta Romana Eccleſia determinabit, & in perpetuum manſurum ſtatuit, & firmabit.* Hæc, & alia ibidem, cujus ſynodi acta Annaliſta Bertinianus, continuatorque Aymonii integra fere referunt, quorum ſummam retuliſſe ſat erit.

7. His

7. His apud Pontigonas gestis, Carolus Imp. adversus fratrem Ludovicum Germaniæ Regem, cum quo tum de Imperii corona, cum de Lotharii Regno dissidebat, exercitum ducere meditabatur, ac *Quinto Kal. Septembris*, ut narrat Annalista Bertinianus, *misit legatos Apostolicos Joannem, itemque Joannem, & Odonem Episcopum, cum aliis missis suis ad fratrem suum Ludovicum* (Regem nempe Germaniæ), *& filios ejus, ac Episcopos atque Primores regni sui. Quibus missis in via Imperatori in Carisiaco nunciatum est, præfatum Ludovicum Regem in Franconafurt Palatio V. Kal. Septembris obiisse, & IV. Kal. ejusdem mensis in Monasterio S. Nazarii sepultum fuisse*, nempe apud Laurefamense Monasterium juxta patrem, ut legitur in fragmento Chronici Laurefamensis Monasterii, ubi ejus tumulus etiam hodie visitur, cujus elogium Regino in chronico recitat. JESU CHR. AN. 873. Ludovici Regis obitus.

8. Tres filios, Regni sui hæredes Ludovicus reliquit ex Emma uxore anno proximo demortua, ut ait Annalista Bertinianus, Carolomannum scilicet, Ludovicum, & Carolum Grafsum, seu Grofsum dictum, qui postea Imperium obtinuit; at Carolus Imp. nulla consanguinitatis, aut fœderum initorum ratione habita, fratris Regnum invadere cupiens, exercitum eduxit, quem repetitæ nepotum preces, & legationes, quin etiam Dei judicium, quod homines decem cum aqua calida, ferro ferventi, & aqua frigida experti fuerant, ut narrat Aimonius, placare nequaquam potuerunt; quare Ludovicus Ludovici filius ex patris funere redux, collectis tumultuarie militibus, Rhenum trajecit, tantaque audacia instructissimum Caroli Imp. exercitum aggressus, ut in fugam cum ipso Imperatore miserit, multaque eorum strage peracta, ingentem ex victoria prædam detulit: *Actaque est hæc strages octavo idus Octobris*, Annalista Bertiniano, & Metensi testibus. Carolus Imp. ab Ludovico in acie victus.

9. Quibus interea, quantisque curis Joannes Papa hoc tempore teneretur, ejusdem epistolæ indicant, a Pontificatus exordio usque ad Septembrem hujus anni, cum decima indictio initium habuit, ab eo scriptæ exciderunt, sub hac tamen indictione, idest a Septembri hujus anni, usque ad Septembrem anni proximi, sexaginta supersunt ad varios, variisque de argumentis datæ, quarum vix titulos, aut Joannis Papæ gesta, & epistolæ.

JESU CHR. AN. 876. aut ſummam dare poſsumus, quarum prima ad Boſonem Ducem Caroli cognatum, utpote Rachildis Auguſtæ fratrem, quem in Italia Carolus reliquerat, Comitemque dixerat, *epiſt. 1. & 4.* in ea Joannes Papa, quod legatos ſuos ad Imperatorem miſſos, liberos dimiſerit, gratias agit, & ut adverſus Saracenos auxilium ferret, rogat. Cum tamen iidem legati, Leo ſcilicet, & Petrus Epiſcopi ab Carolo dimiſſi, ſive ſua ſponte, ſive Boſonis opera Papiæ ſubſiſterent, cur Romam non redierint, redarguit, eoſdemque Corvo a Noe ex arca dimiſſo ſimiles eſſe ait; quare ut abſque mora redirent, jubet; quod ſi invitos quislibet detinere præſumet, ut ad ſe referant, admonet: *Quatenus in eo, quod contra morem gentium Apoſtolicæ Sedis legatio, ecce ſecundo naufragium paſſa eſt, certiſſimum conſilium, confortante nos Domino, præparemus.* Pro Frotarii ex Burdigalenſi Eccleſia, unde ob *epiſt. 8. 13. & 14.* hoſtiles incurſiones excluſus fuerat, in Bituricenſem translatione, tum ad Bituricenſes, cum ad Epiſcopos Bituricenſis Provinciæ, & Metropolis litteras dedit, eoſdem admonens, ut eum reciperent, eique ſubeſſent, eamdemque *epiſt. 12. & 15.* translationem ſe Caroli Imp. precibus probaſſe, datis ad Imperatorem litteris teſtatur; ad Imperatorem quoque Carolum, ejuſdemque conjugem ſcribens, Madelgerum quemdam, qui Odelricum occiderat, quique pro pœnitentia agenda, ad Apoſtolorum limina tranſierat, redeuntem in Gallias commendat, ut ei plenariam gratiam redderent: *Nam pro tanti itineris labore duriſſimo, quem veniendo perpeſſus eſt, ſicut credimus aliquantulum de peracto ſcelere indulgentiam meruit*, & ut cum parentibus ejus, qui defunctus eſt, reconciliari curarent, hortatur: *Ne majus deinceps malum, epiſt. 15. quo multorum animæ noceat, perpetretur*, quem etiam epiſtola altera, Ciſiberto Cornutenſi Epiſcopo commendavit.

Joannis Papæ ſollicitudo pro Saracenis coercendis. 10. Id vero præ ceteris Joannis Papæ animum non tam ſollicitum, quam anxium tenebat, angebatque, quod Saraceni in Regno Neapolitano conſiſtentes, ferociores in dies, inſolentioreſque effecti, non ſolum Beneventanam, Capuanam, vicinaſque provincias excurrerent, ſed etiam in vicinum Romanorum Ducatum, dum earum regionum Duces Amalphitani, Neapolitani, Gaetani, aliique rebus ſuis tantum conſulentes, ſocietatem cum iis iniiſſent, auxilioque

que essent, quare de Neapolis Duce ad fratrem ejus sanctissimum alioquin virum Athanasium scribens Joannes Papa, de eodem his verbis conqueritur: *Multa per nos, per decessoresque nostros reverendos Pontifices Duci Neapolitano, imo Duci Græcorum Missis, & epistolis discurrentibus dicta sunt, quæ locum in ejus corde, nullum penitus invenerunt, &c.* quare post plurima, hæc addit, se quamprimum synodum Romæ congregaturum: *Quibus generaliter imminentibus, tam perfido fratri tuo, quam omnibus sectatoribus, & fautoribus ejus perpetuum dicemus modis omnibus anathema*; ac ne eorum ullo modo particeps fieret, hortatur, ac pro redemptis ab eo captivis impense laudat, gratiasque agit, Gualterium econtra Salernitanum Principem, quod in Romanæ Ecclesiæ fidelitate, & ab Saracenorum societate, & consortio se abstinuisset, laudat, auxiliumque suum, & Imperatoris promittit; Adalgisi autem Beneventani Ducis, complicumque ejus gesta detestatur, dum præcipue Saracenorum Ducem, virum morte dignum dimiserat, ac tandem ut in incœptis perseveraret, hortatur: *Interim autem*, ait, *state in fide, viriliter omnes agite, & confortetur cor vestrum, non in Sultan, qui Satan congruentius dicitur, sed sperantes in Domino*. Hæc ibidem in fine hujus anni, 15. scilicet Kal. Januarii.

Jesu Chr. an. 874. De Duce Neapoli Joannis Papæ querelæ. epist. 5.

epist. 28.

epist. 7.

11. Cum itaque ex Saracenorum incursionibus periculis undique premeretur, ad Bosonem litteras dedit, gravioresque alteras ad Carolum Imp. misit, quibus suas, totiusque Italiæ calamitates exponit, & ut opem ferrent enixe precatur. Ad Carolum itaque: *Quanta, & qualia*, inquit, *per impiam gentem patiamur Saracenorum, quid dicam? quæ scribere quilibet stylus non sufficit, cum omnia ligna silvarum, si verterentur in linguas, narrare non valeant, quorum quia ex his quædam vestra jam didicit excellentia, prædispositum exercitum suum ad hæc removenda cum valida manu dirigere. Quo nos audito, mox elevatis manibus, Dominum collaudavimus, ejusque clementiam, pio Imperio vestro lætantes, protinus exoravimus. Sed quanto, fili charissime, lætati sumus in his quæ dicta sunt nobis; tanto, heu, tristati, & rumaricati, quia quæ dicta sunt, rerum non sunt effectibus consummata. Reversi quippe sunt, ut audivimus, & solis paganis gaudium, nobis autem nonnisi tribulationem inenarrabilem*

Joannis epist. ad Carolum Imp. contra Saracenos.

epist. 21.

JESU CHR. AN. 876.

bilem reliquerunt; ac tandem poſt plurima : *Occurrite ſtrenue, ſubvenite celeriter, & manu conſolationis veſtræ ab oculis noſtris tandem abſtergite lacrymas, quatenus ſuper illis, & præſentialiter, Deo propitio, gaudeatis, & in futuro frequenti, ac laudabili relicta fama ſuperſtite, cum Chriſto perpetes in cœleſtibus imperetis. Data decimoſeptimo Kal. Decembris, Indictione X.* Hæc ad Carolum Joannes, hoc deſinente anno, ejuſdemque argumenti eſt epiſtola ad Richildem Auguſtam Caroli uxorem ſcripta, fruſtra tamen in iis auguſtiis poſitus, Caroli auxilium imploravit, nam is tunc temporis, domeſtico cum nepotibus bello implicatus, Italiæ res contempſit, Italoſque Saracenorum incurſionibus rapinis, cœdibuſque reliquit.

Epiſt. 26.

Joannes Papa concilium Ravennæ celebrat. *Pagi. not. 5. an. 874. Murat. ibid. Danduli chron. Murat. rer. Ital. tom. 12. pag. 185.*

12. Anno 874. Ravennæ concilium ab Joanne Rom. Pontifice celebratum fuiſſe Rubeum ſecutus Pagius ſcribit, at tardius, ac poſt Ludovici Imp. obitum illud habitum fuiſſe, ex chronico Andreæ Danduli adnotat Muratorius, de quibus poſt Caroli coronationem hæc narrat. *His quoque diebus inter Ducem, & Patriarcham Venetorum diſcordia maxima ſuſcitata eſt, quia mortuo Senatore Epiſcopo Torcellano, Petrus Patriarcha confirmare, & conſecrare renuebat Dominicum filium Leonis Caloprini Abbatem Altinatis Monaſterii, qui favente Duce in Torcellana ſede ſubrogatus fuerat, dicens eum indignum, quia pro impoſito ſibi crimine virilia ſibi abſciderat, & Monaſterium S. Hilarii, in quo tunc erat Monachus, & patriam apoſtatando reliquerat. Cumque Patriarcha Duci obtemperare renueret, coactus Patriam relinquere Romam ivit, & cum Joanne Papa Ravennam venit, & ad Synodum congregandam vocari fecit Petrum Equilenſem, & Leonem Caprulenſem Epiſcopos, & alios, qui in eadem Provincia Epiſcopi electi erant, ut contentio, quæ inter Ducem, & eum erat, ſolemniter ſupiretur. Qui quia jam Synodo completa venerant, a Papa communione privati ſunt, ſed poſtea interpellante Duce reſtituti. Tandem vero inter hos pax ſolidata eſt hoc modo. Quod Dominicus electus Epiſcopus diebus vitæ Patriarchæ careat conſecratione; Epiſcopali tamen Domo, & bonis omnibus ipſius Epiſcopatus interim poſſit, & valeat gaudere.* Hæc idem de eo concilio.

Anaſtaſii Bibliothecarii

13. Anaſtaſius interea bibliothecarius, cum ex Bizantio Romam rediiſſet, totum ſe vertendis ex Græco in latinum auctо-

auctoribus dedit. Historiam quippe, seu chronographiam contexuit ex tribus auctoribus Græcis, Nicephoro Patriarcha Constantin. Georgio Syncello, & Theophane. Consilium scribendæ Historiæ Ecclesiasticæ, in Præfatione ad Joannem Romanæ ecclesiæ Diaconum aperit, ac in ejusdem Joannis gratiam scripsit etiam *Collectaneum de iis, quæ spectant ad Historiam Monothelitarum hæreticorum*, a Sirmondo publicatum. Varia pariter Sanctorum Acta e Græco in Latinum vertit, quorum quædam absque ejus nomine, quædam inedita, alia vero vulgata sunt, de quibus legendus Mabillonius in Museo Italico part. 2. in Observationibus ad Epistolam Joannis S. Rom. Ecclesiæ Diaconi, *de variis ritibus ad baptismum pertinentibus & aliis observatione dignis*, quam ibidem pag. 69. Mabillonius publici juris fecit, & tam de Anastasii, quam de Joannis Diaconi gestis, & scriptis agit. Jesu Chr. an. 876. rii variæ auctorum versiones.

14. Hoc etiam anno vitam Dionysii Areopagitæ, & Parisiensis, ut fertur, Episcopi a Methodio digestam, ac latine translatam idem Anastasius ad Carolum Imp. misit, tempus, quo eamdem miserat, in fine epistolæ his verbis indicans. *Actum mense Junio, indict. nona, anno Pontificatus viri beatissimi Joannis octavi Papæ quarto, Imperii vero Domini clementissimi Caroli semper Augusti primo*. Eam vitam post Baronii ætatem Chiffletius edidit, cum dissertationibus *De uno Dionysio*. Hanc quidem de Dionysio Areopagita, & Parisiensi Episcopo opinionem, ante Methodium Hilduinus S. Dionysii Abbas vulgaverat, quam ideo ex latinis potius Græci, quam ex Græcis latini didicerant. Post Hilduinum Hincmarus Remensis novis conjecturis eamdem opinionem confirmaverat, ita ut vix de eadem sententia hoc tempore in Galliis dubitaretur, extatque adhuc Hincmari Remensis epistola ad Carolum Imperatorem, qua eamdem Dionysii vitam *ab Anastasio utriusque linguæ perito, & undecumque doctissimo Apostolicæ sedis bibliothecario latine conscripta &c.* Eademque ab Anastasio ibidem relata de Dionysii Areopagitæ in Gallias profectione, & Episcopatu Parisiensi, sibi jam nota fuisse, ac probata testatur, ut ibidem videre est. Non deerant tamen alii, qui hanc de uno Dionysio Areopagita, & Parisiensi Episcopo sententiam minus probarent. Inter eos Usuardus SanGermanensis monachus recensetur, qui

Vitam S. Dionysii in latinum Anastasius vertit.

JESU CHR. AN. 876. *Mabill. Annal. Ord. Bened. lib. 37. num. 85. p. 198. tom. 2.*

qui duos in ſuo martyrologio Dionyſios diſtinxerat. Joannes etiam Scotus hujus temporis ſcriptor de Dionyſio Areopagita ſermonem habens, Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi, Polycarpi, ac Gregorii auctoritate, eum Apoſtoli Pauli diſcipulum fuiſſe, & Athenarum Epiſcopum dicit, mox addit. *Hunc eumdem non præfati viri*, quorum auctoritas maxima fuiſſet, *ſed alii moderni temporis homines aſſerunt, quantum vita a fidelibus viris tradita teſtatur, temporibus Papæ Clementis Romam veniſſe, & ab eodem prædicandi gratia in partes Galliarum directum &c.* Quibus verbis ſatis indicat Joannes Scotus, ſe eamdem opinionem ſuſpectam habuiſſe, etſi ob Hincmari, aliorumque auctoritatem, eamdem ibidem confutare auſus non fuerit, neque id Anaſtaſius ipſe diſſimulavit, etſi horum ſententiam non probaret. Unde in eadem ad Carolum epiſtola ſubdit. *Jam quorumdam opinio perhibentium non eſſe Areopagitam Dionyſium eum, qui prope Pariſium corpore, & virtutibus redolet &c.* Sed huic de uno, vel duobus Dionyſiis quæſtioni plura non addimus, cum alibi eam pertractaverimus, ac plura dabunt Launojus, Bailetius, Dupinius, aliique de primis evangelii prædicatoribus in Gallias auctores. Interea cum annus, quo Anaſtaſius obiit in obſcuro ſit, de ejuſdem geſtis, & ſcriptis hæc adnotamus.

Launoi op. tom. 2. part. 1.

De geſtis, ſcriptiſque Anaſtaſii biblioth.

15. Is porro cum latinam, Græcamque linguam calleret, Scrinii Romani, ſeu bibliothecæ cuſtodiam geſſit ſub Nicolao primo, Hadriano ſecundo, & Joanne octavo Pontificibus; legatus deinde ab Ludovico ſecundo ad Baſilium Imp. CPolim miſſus, cum ibidem eſſet, in ſynodo octava, quam etiam in latinum tranſtulit, ſicuti & ſeptimam, conſilio, & opera legatis Apoſtolicæ ſedis adfuit, ac Romanæ eccleſiæ dignitatem, & privilegia tutatus eſt, ut ſuo loco adnotavimus. Scriptis vero ſuis præcipue inclaruit, nam præter hiſtoriam ex Græcis auctoribus digeſtam, ac Joanni Rom. eccleſiæ Diacono dicatam, Dionyſii Areopagitæ vitam ex Græco in latinum translatam, ſcholia etiam ad ſcripta Dionyſii ab Erigena translata addidit; varia etiam ſanctorum acta ex Græco in latinum, ac collectanea ad hiſtoriam hæreſis Monothelicæ vulgavit. At inter Anaſtaſii opera vitæ Rom. Pontificum, quæ ſub nomine Damaſi Papæ vulgatæ ſunt præcipue recen-

Anaſtaſius biblioth. col-

censentur, quarum plurimas, eorum præcipue, qui sua ætate vixerant, digessisse, ceteras vero a veteribus scriptas collegisse vero proximum est, hinc sequitur, ut non tam ex Anastasii auctoritate, quam ex auctoribus ignotis, unde desumptæ sunt, fidem mereantur, ac in pluribus etiam dubiæ sint fidei. Anastasium tamen inter hujus temporis litteratos viros locum habuisse, ac apud eruditos summa in æstimatione fuisse compertum est: Photius sane inter Græcos eruditione nulli secundus, litteris ad eum datis, ejusdem amicitiam coluisse satis aperte indicat. Eas Photius scripsit, cum jam a Basilio Imperatore sede CP. dejectus, ac in exilium missus esset, atque cum Anastasio conqueritur, quod ei tempore opportuno patrocinatus non fuerit, ac fortunæ momentum occupari nesciverit. *Photius Anastasio Presbytero, & bibliothecario Romæ. A sacra quidem (ut est proverbio) instituta res est. At serius quam oportuit. Nec vero consilium reprehendo. Video autem tempus præteriisse. Quod mihi videtur non ineleganter ænigmate significare: occasionem nempe a fronte intonsam esse, pone vero calvam. Si quis enim tempori defuerit, exclusus, quamvis occasionem innumeris persequatur artibus adspisci non potest: sed bene est, quod mens & voluntas tua, vel sero, misericors fuit. Amicorum enim est, non utilitate gratiam metiri, sed proposito & benevolentia.* Hæc Photius ad Anastasium, magna, (ut apparet) intercedente inter eos ex amicitiæ usu fiducia, ait Baronius, qui addit, non sine alicujus culpæ suspicione fieri hæc potuisse, ut cum viro insensissimi in Romanam ecclesiam animi, ac sæpe damnato, tanta fiducia Anastasius uteretur. Tanti tamen hæc nobis non sunt, ut de Anastasio viro in Romanam ecclesiam multipliciter benemerito, siniſtrum quidquam suspicemur; At de præstantissimo viro hæc dicta sufficiant.

Jesu Chr. an. 876. lector vitarum Romanorum Pontificum.

Photii epist. ad Anastasium.

16. In Duziacensi synodo anno 871. celebrata Hincmarus Laudunensis Episcopus sua sede dejectus, Caroli jussu in exilium actus, ac biennio post oculis etiam orbatus fuerat, qui cum ad sedem Apostolicam appellasset, Episcopum alterum ejus loco ordinari Hadrianus Papa prohibuerat, eo quod ejus causa adhuc suspensa remanserat. Anno proximo Carolus Romæ præsens, gesta in ea causa Joanni Pa-

Joannes Papa sententiam synodi Duziacensis in Hincmarum Laudunensem Episc. latam confirmat.

JESU CHR. AN. 876. epiſt. 314.

Papæ expoſuit, qui dictam in Hincmarum Laudunenſem depoſitionis ſententiam confirmavit, ac datis ad Hincmarum Remenſem litteris juſſit ei ſucceſſorem dari. *Noli ergo*, inquit, *jam nunc eccleſiam Laudunenſem viduatam, & ſine regimine paſtorali dimittere; ſed indifferenter electum, & de Laudunenſis eccleſiæ clero, virum idoneum, & in quo omnium vota conſentiant, eidem eccleſiæ præfice prorſus epiſcopum. Cui electioni volumus etiam miſſum præfati piiſſimi Imperatoris intereſſe, ut ſine ſecularium ſtrepitu omni latere talis eligatur, qui aptus ſacris canonibus eſſe modis omnibus approbetur. Optamus ſanctitatem tuam in Chriſto bene valere. Data eſt Romæ Theodorico, juſſu Papæ Joannis, & Domni Caroli novi Imperatoris, per manus Anaſtaſii bibliothecarii, in ſecretario Eccleſiæ Sancti Petri, anno incarnationis Dominicæ 876. Nonis Januarii, indictione 9. Et delata eſt ab eodem Theodorico in civitate Rhemis Hincmaro Rhemorum Archiepiſcopo, eodem anno, & eadem indictione quinto idus Martii.* Itaque in Hincmari locum Hedenulphus Laudunenſis Epiſcopus ordinatus fuit, ut ex decreto cleri Laudunenſis Hincmaro Archiepiſcopo, & Epiſcopis diœceſis, ſeu Metropolis Remenſis miſſo, quod datum dicitur, *Quinto Kal. Aprilis Anno Incarnat. D. N. J. C 876. Regni Domni Caroli Imp. 36. Imperii primo, Indict. nona.* Biennio vero poſt, cum Hincmarus Laudunenſis Joanni Pontifici in Galliis tunc moranti, & ſynodo Trecenſi ſe obtuliſſet, aliquatenus in eum lata ſententia temperata eſt, ut ibidem anno 878. dicturi ſumus.

Concil. tom. 9. pag. 221.

Sirmondus conc. Gall. tom. 3. pag. 430.

Ruſſorum natio Chriſti fidem ſuscipit.

17. Bulgarorum gentem cum Bogori eorum Rege, Michaele etiam dicto, Chriſti fidem ſuſcepiſſe ſupra adnotavimus anno 861., quo etiam anno Ruſſorum, ſeu Ruthenorum Gens, legatione ad Photium miſſa, ut in chriſtiana fide edocerentur, petiit, ac inter eos Chriſti fidem radices tunc vix egiſſe monuimus. Hoc autem tempore, eadem gens prædationibus hactenus aſſueta, a Baſilio Imp. *Auri, argentique, ac ſericarum veſtium affluenti largitione in fœdus pertracta*, ait Porphyrogeneta, *initiſque cum ea induciis, ac pace firmata, divini quoque baptiſmi participes fieri perſuaſit, ac Archiepiſcopum ab Ignatio ordinatum, ut ſuſciperent, effecit. Is, ad dictæ gentis provinciam cum veniſſet, ex tali eventu, illuſtrique facinore, illius ſibi animos facilem reddidit.* Quod illuſtre facinus fuſe poſtea refert, & paucis

his

his verbis ex eo Zonaras : *Roſſi a ſua religione ad noſtram tranſituri, tergiverſabantur, & dubitabant : ac niſi miraculum viderimus, inquiunt Pontifici (Archiepiſcopo nempe ab Ignatio miſſo) qualia tu multa a Chriſto facta eſſe doces, nunquam doctrinam tuam amplectemur. Tum is, petite, inquit, quod vultis. At illi dixerunt : liber qui de Chriſto docet, eſt in ignem conjiciendus, qui ſi inviolatus manſerit, argumento nobis erit, verum Deum eſſe, qui a te prædicatur. Aſſenſo Epiſcopo, rogus eſt incenſus : Pontifex cum manibus, & oculis in cœlum ſublatis dixiſſet, Glorifica nomen tuum Chriſte Deus : ſacrum Evangelium in rogum imponit, quod diu in flamma reliquum, illæſum manſit. Eo miraculo Barbari obſtupefacti prædicationi crediderunt, & ut ſacro baptiſmate initiarentur, flagitarunt.* Idem narrant Curopalates, & Cedrenus, qui jam ſcripſerant Ruſſos, Michaele imperante, fidem ſuſcepiſſe. Quod fraudi fuit viris doctiſſimis, qui exiſtimarunt Ruſſos, qui hoc tempore baptiſmum ſuſcepere, diverſos non eſſe a Ruſſis qui ſub Imperio Michaelis Theodoræ filii ſacro lavacro tincti ſunt, cum tamen priores ſub Michaele, poſteriores ſub Baſilio Chriſtiani facti fuerint, illi Photio Sedem Conſtantinopolitanam regente, iſti ſancto Ignatio in Patriarchatum reſtituto. Hos nihilominus chriſtianam fidem temporis tractu abjeciſſe inde conjici poteſt, quod cum deſinente ſeculo decimo, chriſtiana fides inter eos iterum propagata fuit, vix, præter Helenam Reginam, chriſtiani ibidem reperti ſunt, ut ſuo loco dicemus.

Jesu Chr. an. 877.

JESU CHRISTI an. 877. Joannis Octavi Papæ an. 6. Caroli Secundi Imp. an. 2. Basilii Imp. an. 11.

1. Ob Saracenorum incurſiones, quam maxime turbatas, attritaſque res Italiæ, & Romani ducatus hoc tempore fuiſſe, indicant Joannis Papæ epiſtolæ plurimæ ſub hac decima indictione ad diverſos ſcriptæ, quibus adverſus eos opem, auxiliumque implorat, quarum iteratæ extant ad Imperatorem Carolum, & ad Richildem ejus uxorem, & ad omnes Francorum Epiſcopos, ſub ditione ejuſdem Principis conſtitutos. Secundus hic ab ipſo Joanne annus numeratur Saracenici belli in epiſtola ad Lambertum Comitem, quod ob fœdera, quæ cum Saracenis Neapolitani, Amalphitani,

Joannes Papa adversus Saracenos opem implorat. *Joann. epiſt.* 30. 31. 32. 35.

JESU CHR. AN. 877.

tani, atque Beneventani, aliique finitimi populi inierant periculosius evaserat, cujus rei gratia legationem Joannes Papa Cajetam ad hujusmodi fœdera dissolvenda misit, quam præcipui Romanæ Ecclesiæ Cardinales Episcopi, nempe Vvalbertus Portuensis, & Eugenius Ostiensis perfuncti sunt, ut ex ejusdem Joannis epistola ad Landulphum Capuanum Episcopum patet, atque consilio Docibilis, & Joannis Græcorum Imperatoris ministrorum ejusmodi fuit a Pontifice missa legatio, ut ejusdem Papæ litteræ datæ significant. Ut autem res optatum consequeretur effectum, idem Pontifex ad Pulcharium Amalphitanum Præfectum alteras litteras dedit, necnon ad Landulphum Capuanum Episcopum. Scripsit etiam ad Sergium ipsum Ducem, seu Magistrum militiæ, qui Neapolitanam civitatem tunc temporis moderabatur, comminatorias litteras, nisi contractum cum Saracenis fœdus dissolveret. De his etiam ipsos monuit Neapolitanos per ipsorum Episcopum Athanasium, ut resipiscerent ab errore, cujus causa excommunicationis nexibus fuerant ab eodem Pontifice obbligati: scripsit insuper de his ad Aionem Beneventanum Episcopum. At non satis misisse legatos prævidens, Trajectum oppidum haud longe a Cajeta positum se cito ventarum fore pollicetur, si spes aliqua esset, ut Dux Neapolitanus Sergius sibi salubria suadenti parere voluisset. Sunt de his scriptæ litteræ ab ipso Pontifice ad Landulphum Capuanum Episcopum, & aliæ ad Pulcharium Præfectum Amalphitanum, nec non aliæ ad Guaiferium Principem Salernitanum. Quid tandem? Cum Sergius Dux obstinatus permaneret, fratrem suum Athanasium Neapolitanum Episcopum est expertus ultorem, de quo ista breviter Leo Ostiensis: *Sergius vero Neapolitanus Dux cum ab eis, nempe Saracenis se alienare nollet, ab Apostolico excommunicatus est. Ac non multo post, vindice Deo, ab Athanasio Episcopo germano suo captus, atque cæcatus Romam translatus est.* Hæc Leo, quamobrem ab eodem Joanne Pontifice mirifice laudatus est epistola tunc ad eum scripta, quæ sic se habet. *Reverendissimo & sanctissimo Athanasio Episcopo sanctæ Ecclesiæ Neapolitanæ confratri nostro Joannes &c. Innumeras gratiarum actiones vestræ Deo dilectæ agimus almitati, dignisque Apostolico vos ore laudibus præ ceteris merito collaudamus. Quoniam secundum Domini vocem dicentis: Si oculus tuus,*

tuus, vel manus tua scandalizat te, erue eam, & projice abs te: Fratrem tuum erga Ecclesiam Dei impie agentem, & circa Dominum non recto itinere gradientem, velut secundum Holophernem Sanctu Christi Dei nostri ausu temerario impugnantem, & hæreditatem patriam more sacrilego persequentem, tanti honoris regimine indignum judicans, ultionis divinæ percutere jaculo studuisti, nec pepercisti carni tuæ propter Dominum &c. De adepta ab eo in Neapolitanos Ducati dignitate gratulatur, eamdemque Apostolica auctoritate confirmat, cui etiam auxilium suum, pecuniamque promittit, *Nos namque*, ait, *aliis omnibus mangonis datis, mille quadringentos vobis dare debemus, quos vestræ dilectioni, aut initio Quadragesimæ, aut in die sanctæ Resurrectionis vobis procul dubio dirigemus.* Petrumque Diaconum Ecclesiæ Neapolitanæ illuc cum epistolis revertentem eidem commendat, ac data est mense Novembri, indictione undecima; ad Neapolitanos etiam tunc scribens, quod Athanasio Episcopo in Sergii Ducis dejectione, & occisione adjutores fuerint, collaudat, eosdemque admonet, ut Athanasio, quem sibi rectorem, seu Ducem elegerant, parerent; ad Landulphum etiam Capuanum Episcopum scribens, ut eidem Athanasio faveret, hortatur. Interea ut proposuerat, Joannes Papa profectus est Trajectum non longe a Cajeta ad dissolvendum fœdus, quod cum Saracenis Neapolitani inierant, ut in epistola ad Joannem Ravennatem Episcopum idem Pontifex testatur.

Jesu Chr. an. 877.

epist. 66.

epist. 67.

epist. 69.

epist. 59.

2. Quousque autem Saracenorum incursiones processerint supracitata ad Carolum Imp. Joannis Papæ epistola his verbis narrat. *Hinc fateor, fili charissime, tanta per utrumque impedimenta timuimus, quantum & per paganos, & iniquos Christianos sine respectu Domini timoris generari mala, quæ ætas nostra non meminit, deploramus. Tanta enim sunt, ut intra mœnia Urbis reliquiæ populi innumera paupertate affectæ consistant, & omnibus forinsecus devastatis, ac in solitudinem redactis, nihil jam restet nisi (quod avertat Deus) ipsius Urbis excidium. Sed & quantum nos Leo venerabilis Episcopus Apocrisarius & missus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, communisque fidelis a vestro servitio rediens, de hoc, quod nobis retulit, post se vestrum exercitum contra Agarenos esse mittendum, lætificaverat, tantum hucusque eumdem nobis expectan-*

Saracenorum incursiones in agrum Rom. & in Sabinos.

epist. 30.

JESU CHR. AN. 877.

pectantibus, quod consecuti non sumus, validior mœror, & inæstimabilis angustia contristavit. Quia tota campania ab ipsis Deo odibilibus Saracenis funditus devastata, jam fluvium, qui a Tiburtina urbe Romam decurrit, furtim transeunt, & tam Sabinos, quam sibi adjacentia loca prædantur: Sanctorum quoque basilicas, & altaria destruxerunt, sacerdotes, & sanctimoniales alios quidem captivos duxerunt, alios autem variis mortibus necaverunt, & omnem Christi Sanguine redemptum populum in circuitu deleverunt. Et quid dicam? aut quid loquar? cum pervenerit gladius usque ad animam, & sanguis omnium de terra clamet ad Deum &c. Cujus proinde auxilium implorat.

Joannes Papa auxilium ab Carolo Imp. postulat.

3. *Ergo præcellentissime Cæsarum jamjam nostræ calamitati succurrite, jam populi nostri miserias relevate, jam vestræ potentiæ manum porrigite, & hanc terram, cujus vobis necessitates ab ipso vestræ vocationis initio notas fecimus, liberate, ne si perdita fuerit vestrum vilescat Imperium, & toti Christianitati nascatur dispendium. Reminiscimini igitur propter Deum, reminiscimini, quia multa spe, & fiducia freti divinitus, & humanitus ad Imperii gubernacula promerenda, pro vobis certamina sumpsimus, nullique labori pepercimus: ideoque vicem nobis rependite, ut spes, & labor noster non sit inanis in Domino. Quia cum hæc fuerit semper apud vos summa nostræ petitionis, si amplius nobis auxilium vestrum subtraxeritis, in desperationem lapsi deficiemus, & forsitan ad aliud consilium, resumptis aliquantulum viribus, necessario transcendemus. Non enim, sicut vos forsitan æstimatis, mediocre malum tota nostra Ecclesia patitur, nec minimis status Reipublicæ damnis afficitur, sed alia Saracenorum incursibus, alia autem Christianorum sunt ita exterminata, & devastata tyrannide, ut non nostra sint, quæ nostra fuerunt, quin potius solo nomine illis utamur, & vel ad defensionem patriæ, vel ad aliquam utilitatem nostræ Ecclesiæ quorumlibet solatia nunquam inventamus, præcipue autem multi, quos vestra non ignorat majestas, non solum nobis nulla solatia conferunt, verum etiam quidquid residuum est a paganis, imprætermisse subtrahunt, & omnem nostram dispositionem in territorio Romano calcant, adeo ut nec victualia, nec ulla quadrupedia in omnibus locis nostris remaneant, nec ullum, qui nobis compatiatur, vel nostros singul-*

gultus, aut gemitus doleat, oculi noſtri aſpiciant, &c. hinc ut citiſſime ſuccurreret, exercitumque mitteret, multis hortatur, ac tandem Petrum Foroſempronii Epiſcopum, & Petrum Senogallienſem, quos cum his litteris ad eum legatos mittebat, eidem commendat, ac data dicitur quarto idus Februarii, Indict. X. Jasu Chr. an. 877.

4. Poſt dies tres, nempe idibus Februarii, alias ejusdem argumenti ad eumdem Carolum litteras dedit, eaque occaſione ad eum palmas virides, ex antiquo Eccleſiæ more benedictas miſit: *Inter cetera*, ait Pontifex, *quæ vera creſcente religione, ob olim Eccleſiaſtica fucta veſtræ pietati duximus intimanda, virentium palmarum ecce bravium mittimus, quod Apoſtolus non omnes qui currunt, ſed unum propter unitatem legitime certantium accipere proteſtatur.* Et inferius: *hodieque manui veſtræ ſpeciali voto, & prærogativa plenam benedictione palmam, ſicut cernitis, deſtinamus adverſus viſibiles hoſtes, & inviſibiles triumphum: optantes enim vos de cunctis adverſariis triumphare, nihil aptius vobis, quam ramos palmarum duximus offerendum, &c.* pluribuſque mala, quibus premebatur, inſtanſque periculum exponit, & ut celeriter promiſa auxilia mitterentur, enixe precatur. Cumque expectatum auxilium non accepiſſet, alias ad eumdem Carolum Imp. litteras dedit octavo Kal. Junii, iiſque quanta paterentur mala, timerenturque graviora, lugubri exponit ſtilo, & ut quantocius auxilium præberet, enixius rogat, quam tandem tantæ ſollicitudinis fructum perceperit Joannes Papa, de Italico Caroli itinere, & tranſitu acturi mox videbimus, nunc reliqua geſta Romæ, & Ravennæ narramus. Palmarum rami ab Joanne Papa ad Carolum miſſi. *epiſt.* 32. *epiſt.* 54.

5. Joannes quippe Pontifex, ut ad Romanam Eccleſiam protegendam ſtimulum Carolo daret, cujus, utpote Romanorum Imperatoris, hoc præcipuum erat officium, utque ſuſpicionem ab eo fortaſſe conceptam deſtrueret, quod Romani tamquam ab eo derelicti, ut rebus ſuis conſulerent, de altero Imperatore eligendo cogitarent, cum præcipue Carolomannus ejus nepos, in armis adhuc eſſet, quod etiam in ſua ad eum epiſtola Pontifex minatus fuerat, his verbis: *Quia cum hæc fuerit ſemper apud vos ſumma noſtræ petitionis, ſi amplius nobis auxilium veſtrum ſubtraxeritis, in deſperationem lapſi deficiemus, & forſitan ad aliud conſilium re-* Rom. ſynodus Caroli Imp. electionem confirmat. *epiſt.* 30.

JESU CHR. AN. 877.

resumptis aliquantulum viribus necessario trascendemus &c. Ut itaque Carolus nec hisce verbis, nec incertis relationibus commotus, de Romanorum fidelitate dubitaret, synodum Romæ congregavit, eaque, præsente etiam Aldigario Episcopo Aquensi, quem Romam Carolus miserat, Caroli electio in Imperatorem conclamata, solemniterque confirmata fuit, cujus acta, & alloquutio Pontificis apud Labbeum, & Baronium videri possunt, quin &, postquam egregia Caroli Magni, & Ludovici pii facinora, ac pietatem in Deum, & in Romana Ecclesia tuenda, & ditionibus, privilegiisque ditanda commemorasset, Carolum horum exempla non solum sectatum esse, sed eos etiam superasse addit, quare eumdem ab Nicolao Pontifice prædecessore suo designatum, *Elegimus*, ait, *merito, & approbavimus una cum anniſu, & voto omnium fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum, atque aliorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ miniſtrorum, amplique Senatus, totiuſque Romani populi, gentiſque togatæ, & ſecundum priſcam conſuetudinem, ſolemniter ad Imperii Romani ſceptra proveximus, & Auguſtali nomine decoravimus, ungentes eum oleo extrinſecus, ut interioris quoque Spiritus Sancti unctionis monſtraremus virtutem, qua unxit eum Dominus Deus ſuus præ conſortibus ſuis, Chriſtum hunc oleo lætitiæ delibutum extrinſecus facient, & Principem populi ſui conſtituens ad imitationem ſcilicet veri Regis Chriſti filii Domini noſtri, ita ut quod ipſe poſſidet per naturam, iſte conſequeretur per gratiam &c.* Eximia deinde Caroli modestia commendata, qua nequaquam Imperium importuna postulatione, machinatione, vel fraude occupaverat, sed *tamquam deſideratus, & optatus, poſtulatus a nobis, a Deo vocatus* acceſſerat, ut pro tanto Imperatore sibi dato gratias Deo redderent, adstantes Episcopos hortatus est Joannes Papa, ac addidit: *Noſque quod jam in Romana Eccleſia, quæ eſt magiſtra, & mater, & caput Eccleſiarum, auctore Domino, famulatus noſtri miniſterio geſſimus, preces benedictionis fundentes, & coronam imponentes ſceptri, & diadema Imperii, etiam hic in ſancta ac generali fraternitatis veſtræ ſynodo, ad quam, Domino duce, pro innumeris neceſſitatibus, & utilitatibus Sanctæ Eccleſiæ ſynodi convenisse dignoſcimur: iterato cordis affectibus, & oris vocibus, & manus ſubſcriptionibus roboremus, nec ſint (quod abſit) in nobis ſchiſmata,*

conc. to. 9. pag. 295.

ta, quæ Apoſtolus medullitus execratur, nec animorum alicujus diviſionis, & diverſitatis diſſentio.

JESU CHR. AN. 877. Episcopi Joannis Papæ ſententiam confirmant.

6. His, aliiſque ab Joanne Pontifice in ſynodo dictis, adſtantes Epiſcopi, commendata Pontificis tum in agendo prudentia, cum in dicendo eloquentia, ſe quoque Carolum Imperatorem cupere, ac deſiderare dixerunt; cujus etiam *Auguſtalia Romani ſceptri gubernacula inconcuſſa, & immutilata, immo augmentata, & ampliata finetenus retinere ſe cupere addiderunt. Ac nos o Domine, ac Coangelice Papa, veſtigia veſtra ſectantes, & ſalubria monita recipientes, quem amatis, amamus, quem dilexiſtis diligimus, quem elegiſtis eligimus, & quod in eo, auctore omnium bonorum Domino, ſive divina benedictione, ſive ſacra unctione, ſive coronæ Imperialis impoſitione geſſiſtis, viſcerabili affectu ſequimur, & celebri laude proſequimur, & digna honorificentia veneramur &c.* cui ſe opem pro viribus laturos, pro opportunitate promiſerunt.

Caroli electionem ſuffragio, & ſubſcriptione Epiſcop. confirmata.

7. Atque his dictis iterum Pontifex ad Epiſcopos congregatos, ait: *Quid igitur, fratres chariſſimi, inſpiratio divina omnium noſtrum corda in unum ſenſum, & in eumdem deliberationis finem dixerit, ut ſcilicet unum ſentiamus, & unum dicamus omnes, & non ſint in nobis ſchiſmata: quæ in præfato piiſſimo, & tranquilliſſimo Imperatore ſpirituali filio noſtro Carolo, auctore domino, ſive preces benedictionis ſuper caput ejus infundendo, ſive Sacræ unctionis Oleo celſum ipſius verticem contingendo, ſive coronam Imperii conferendo geſſimus: ſententiæ prolatione (ſi unanimi generalitati veſtræ videtur), & per manuum ſubſcriptionem etiam in præſenti, ac venerabili Synodo, ſicut jam hortati ſumus, iterato promulgemus, & roboremus: Tunc Sancta Synodus reſpondit. Placet, & valde placet in omnibus veſtra ſereniſſima ſectari veſtigia, neque fas eſt, ut a culmine Apoſtolatus veſtri in aliquo diſſentiamus, quem videlicet ipſe Chriſtus Dominus noſter omnium noſtrum ad vicem ſuam in terris eſſe voluit caput.*

8. *Tunc ſurgens ſummus Pontifex ſententiam protulit, dicens. Piiſſimi, ac ſereniſſimi ſpiritalis filii noſtri Caroli magni, & pacifici Imperatoris ad Imperialia ſceptra electionem, & promotionem, ante mundi quidem ordinem divinitus ordina-*

JESU CHR. AN. 877. *tam, nuper autem, ideſt præterita nona Indictione per miniſterium noſtræ mediocritatis exhibitam, annuente Domino ex tunc, & nunc, & in perpetuum firmam, & ſtabilem decernimus permanſuram. Reſponderunt omnes: Placet, Placet.* Ac deinde, ſuggerente iterum Pontifice, anathema in eos dictum eſt, qui quolibet modo hactenus geſtis, vel Carolo Imperatori adverſari præſumpſiſſent, ac *Reſponderunt omnes: fiat, fiat, fiat; ſubſcripſit ergo Dominus Papa, & cum eo Epiſcopi, qui affuerunt*; quorum nomina, numerus, vel Epiſcopales ſedes ignorantur; Romanæ hujus ſynodi Annaliſta Bertinianus, de itinere Caroli in Italiam agens, his verbis meminit: *Et venient ultra Sutrum ad Urbem, obviam habuit Adalgarium Epiſcopum, quem menſe Februario Romam direxit, pro agenda ſynodo a Papa Joanne, cujus exemplar idem Adalgarius pro magno munere Imperatori obtulit. Summa vero ejuſdem ſynodi poſt multas, & multiplices laudes Imperatoris, hæc eſt, ut electio, & promotio ad Imperialia ſceptra anno præterito Romæ celebrata, ex tunc, et nunc, et in perpetuum firma, et ſtabilis maneat; Quam ſi quis perturbare, aut violare tentaverit, cujuſcumque ſit ordinis, aut dignitatis, vel profeſſionis anathemate uſque ad ſatisfactionem teneatur omni tempore adnexus &c.* Hæc ibidem de ſynodi Romanæ geſtis, quam etiam poſt Pontigonenſem in Galliis celebratam fuiſſe addit.

Joannes Papa concilium Ravennæ indicit.

9. Alterum interea octavo Kal. Julii concilium Ravennæ celebrandum indixerat Joannes Papa, uti ad Joannem Ravennatem Archiepiſcopum ſcribens teſtatur, ac ſynodi locum, tempus, & negotia ibidem tractanda indicat, cum enim non ſolum infidelium barbarorum rabie afflictaretur Eccleſia, ſed etiam perverſitatem chriſtianorum ſuſtineret: *Ideo tam pro Eccleſiaſticis quibuſdam neceſſitatibus, quam pro ſtatu, et correctione reipublicæ, auctoritate apoſtolica decrevimus reverendorum fratrum, et Coepiſcoporum Italici regni univerſale, ideſt totius provinciæ advocare concilium, locum autem nuſquam ad hoc gerendum aptiorem, et faciliorem, quam apud Ravennam undique confluentibus invenire poſſe perſpeximus. Occurrat igitur alacriter cum ſuffraganeis ſuis, quos ipſe convenire commonet, ad deſignatam urbem ſanctitatis fraternitas, et tanto deeſſe conventui, quem ſcilicet ibi-*

conc. tom. 9. epiſt. 57.

pag. 47.

dem

dem octavo Kalendas Julias celebraturi ſumus ; nullo modo perferat , quo pullulantia in agro dominico zizania, communi ſtudio radicitus amputentur , & ſalubrium virtutum germina ſocio pro his certamine penitus inſerantur . Fratres præterea , & Coepiſcopos noſtros , qui ſub beatitudine veſtra degunt , ad eamdem univerſalem ſynodum hortatu ſanctitatis veſtræ venire præcipimus . Hactenus de his.

Jesu Chr. an. 877.

10. Synodum nihilominus uſque ad diem 12. Kalend. auguſti diſtulit Pontifex , cum Trajectum uſque prope Cajetam pergere coactus fuiſſet , ut hac altera epiſtola eumdem Ravennatem Epiſcopum admonuit : *Iter quod pro diſſolvendo fœdere olim a Neapolitanis cum Saracenis inito Trajectum fecimus , nos a præfinito die ſynodi retardavit , ſed quia auctore Deo , ipſo diſciſſo quies aliqua reddita comprobatur , ecce de itinere ſcribimus nos certiſſime ſextodecimo Kalendas Auguſtas Ravennæ futuros , ubi ſanctitas tua per ſe , cum omnibus ſuffraganeis ſuis Epiſcopis , quos ipſa convocare debet , adeſſe duodecimo Kalendarum auguſtarum omni remota excuſatione procuret , ut communi tractatu communia eccleſiarum exorta zizania generaliter evellantur* , ac data eſt *ſexto Kal. Junii , Indict. X.* . Altera epiſtola ad eumdem , ſe undecimo Kal. Auguſti Ravennæ adfuturum promittit , ac Venetiarum Epiſcopos ad eam ſe advocaſſe admonet : *Ut inter reverendum quoque Metropolitanum veſtrum , & vos omnis altercatio diſcutiatur , examinetur , & coram Sancta ſynodo canonice terminetur &c.* aliæ quamplurimæ ejuſdem Joannis Papæ extant epiſtolæ , in quibus de eadem agitur ſynodo ; Aquilejenſi enim Epiſcopo ſignificavit , quæ de eo finiſtre ferebantur , in concilio canonice pertractanda eſſe .

Joannis Papæ epiſt. tres ad Joannem Ravenn. Epiſc. *epiſt. 59.*

epiſt. 60.

11. Ad Urſum vero Venetiarum Ducem ſcribens , quod legationem Apoſtolicæ Sedis non recepiſſet , arguit , & ut Epiſcopos ſuæ ditionis mitteret , hortatur ; Quin *monemus* , ait , *ut & ipſe ad nos Ravennam proficiſci ne pigriteris , ſin autem ſaltem virum induſtrium nobis gloriæ tuæ injuncta legatione fungentem dirigere non detrectes , data ſexto Kal. Junii , Indict. decima* . Eademque die alteram ad Petrum , & Leonem Venetiæ Epiſcopos dedit , quibus idem retractans argumentum , hæc habet : *Univerſale tandem aliquando nos celebrare concilium multiplex , & multifaria nos eccleſiarum neceſſitas cogit ; & ideo pro hac moderanda , vel diſpenſanda octavo Ka-*

Joannis Papæ epiſt. ad Venetiarum Ducem . *epiſt. 55.*

Joannis Papæ epiſt. ad Petrum , & Leonem Venetiæ Epiſcopos .

JESU CHR. AN. 877. epist. 56. pag. 46.

lendas Julias, hujus Indictionis, totius Italiæ apud urbem Ravennam convenire juſſimus Sacerdotes, ad quorum videlicet ſacratum collegium, Pontificio noſtro mediante, veſtram quoque ſanctitatem occurrere commonemus, una cum his, qui loco ſunt Epiſcoporum decedentium ſubrogati. Et illis nihilo minus, quos Urſo glorioſo Duci, & vobis ſcribentes, noſtris ſæpius, & expreſſius ſignificavimus ſyllabis, atque, ut abſolute regulariterque fateamur, omnibus, qui ſe læſos exiſtimant, quos generaliter auctoritate apoſtolica ſanctitas veſtra ſecum properaturos, advocare profecto debebit. Itaque fratres indubitanter accedite, ut præter communem utilitatem, quæ in ſynodo eſt procul dubio componenda, quidquid inter fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Petrum videlicet Metropolitanum veſtrum, & prædictos controverſiæ vertitur, canonicum finem accipiat, & pax, & tranquillitas eccleſiis veſtris, ſicut concedet, reformetur &c.

Ravennatenſis ſynodi canones.

12. In ea autem ſynodo canones decem, & novem pro eccleſiaſticа inſtauranda diſciplina editi ſunt, quorum primo cautum eſt, ut Metropolitani intra tres menſes fidem ſuam Apoſtolicæ Sedi exponerent, & pallium peterent. 2. Ut Epiſcopi electi intra tres menſes a Metropolitano ſuo

conc. to. 9. pag. 299.

conſecrentur. 3. Ut Metropolitani non niſi ſtatutis temporibus pallio utantur. 4. Ut Duces Epiſcopos non præſentent, nec ipſos, aliaſque eccleſiaſticas perſonas concutiant. 5. Ut qui domum Dei violaverit, & inde quid abſtulerit, communione privetur. 6. Ut raptores, niſi raptas reſtituant, communione privati, etiam anathemate percellantur. 7. Ut homicidæ, & incendiarii niſi publice ſatisfecerint, poſt excommunicationem etiam anathematizentur. 8. Ut prædones ſi bis, terve admoniti non emendaverint, præter excommunicationem etiam anathemate feriantur. 9. Ut excommunicatorum fautores, & ipſi communione priventur. 10. Ut Epiſcopi nomina excommunicatorum publice affigi curent. 11. Ut eccleſiaſtico judicio obnoxiis refugium præſtantes, & ipſi excommunicentur. 12. Ut nemo ſe parochiæ propriæ, vel conventui, ultra tres dies Dominicos ſubtrahat. 13. Ut magiſtratus ſæculares ab Epiſcopis, & clericis conventi, querimonias eorum diligenter examinent, & corrigant. 14. Ut Præsbyter non niſi ad certum locum ordinetur. 15. & 16. Ut nemo patrimonia Romanæ Eccleſiæ petat,

petat, & si quis quomodolibet subtraxerit anathema sit. 17. Ut nemo res Ecclesiæ Romanæ beneficiali more, aut scripto petere, vel retinere audeat. 18. Ut sæculares in domibus ecclesiarum, neque placitum, neque hospitium sibi vindicent. Decimæ tandem, ut Sacerdotibus, qui parochiis præsunt, solvantur, cautum est. JESU CHR. AN. 877.

13. His gestis Joannes Papa in occursum Caroli, qui in Italiam transierat, Vercellas profectus est, repetitis etenim Joannis Papæ litteris, ac legationibus commotus Carolus Imp. ad Italiæ res componendas, tandem cum exercitu in Italiam transiit, uti Annalista Bertinianus ad hunc annum narrat. *Domnus autem Imperator Carolus de Carisiaco Pendium, indeque per Svessionem ad Rhemum civitatem, & sic iter suum per Catalaunos, & Pontigonem, atque Lingones peragens, cum uxore, & maxima auri, & argenti, caballorumque, ac facultatum aliarum copia, de Francia Italiam petiit &c.* Cumque ad Urbem esset, Adalgarius ei obviam factus Romanam obtulit Synodum, ut supra diximus, cui etiam idem Adalgarius nunciavit. *Quoniam Joannes Papa obviam illi Papiam veniret. Quapropter præmisit Odoacrum secundi scrinii notarium, Guairamnum Comitem, & Pipinum, atque Heritbertum ad procuranda ipsius Papæ servitia. Ipse autem festinato perrexit ad eum, quem obviam babuit apud Vercellas civitatem. Et eo recepto cum honore maximo, perrexerunt simul usque Papiam. Ubi eis nunciatum est non incerta relatione Carolomannum Ludovici fratris sui filium cum maxima multitudine bellatorum super eos venire. Quapropter relinquentes Papiam venerunt ad Turduanam.* (ideſt Dertonam) *Et conscerata Richildis a Papa Joanne in Imperatricem, mox retrorsum fugam arripuit cum thesauro versus Moriennam. Imperator aliquandiu autem una cum Joanne Papa in eisdem locis immorans, expectavit Primores regni sui, Hugonem Abbatem, Bosonem, Bernardum Arvenicum Comitem, itemque Bernardum Gotiæ Marchionem, quos secum ire jusserat. Qui una cum aliis Regni primoribus (exceptis paucis, & Episcopis) adversus eum conspirantes conjuraverant. Et comperiens eos non venturos, ut audierunt ipse, & Papa Joannes appropinquare Carolomannum, Imperator post Richildem fugam arripuit, & Papa Joannes versus Romam concite festinavit.* Sicque tantus susceptus labor, tantique

Carolus Imp. in Italiam transiit, cui Vercellas Joannes Papa occurrit.

JESU CHR. AN. 877. Carolomannus in Bojariam redit, Carolus Imper. obiit.

tique thesauri parati, vel expensi in irritum cesserunt.

14. At quid hæc secuta sint, jam videamus. *Carlomannus vero mendaci nuncio audiens, quod Imperator, & Papa Joannes super eum cum multitudine maxima bellatorum venirent, & ipse fugam arripuit per viam quam venerat. Sicque Deus more misericordiæ suæ Conventum illum dissolvit. Carolus vero febre correptus pulverem bibit, quem sibi nimium dilectus, ac credulus Medicus Judæus nomine Sedecius transmisit, ut ea potione a febre liberaretur, insanabili veneno hausto inter manus portantium, transito monte Cinisio perveniens ad locum, qui Crios dicitur, misit pro Richilde, quæ erat apud Morienna, ut ad eum veniret: sicut & fecit, & undecimo die post venenum hausum in vilissimo tugurio mortuus est II. Nonas Octobris.* Eique Filius ejus Ludovicus, ob linguæ defectum Balbus dictus in Regno Francorum, non autem in Imperio successit.

Gesta Caroli Imp. Carisiaci. *Apud Baluz. capital. Reg. Franc. tom. 2. pag. 258.*

15. Antequam vero in Italiam descenderet hoc anno Carolus Imp. cum in compendii Palatio, & Carisiaci esset, ut rebus Regni sui se absente consuleret, conventum celebravit, ac in Compendii Palatio, Regni sui Episcopis, Comitibus, ceterisque civibus pro viribus imposita est pecuniæ summa solvenda, quæ Normannis in Sequana existentibus danda erat, ut inde recederent, in Carisiaco vero de Regni administratione, deque fidelitate filio suo servanda, de cultu, & honore Deo præstando, de Ecclesiarum privilegiis, bonisque earum custodiendis capitula ultra triginta vulgavit, Kal. Julii indict. decima. *Postquam domnus Imperator Carolus adnunciavit generaliter in populum de suo itinere Romano.* Quo tamen non advenit, nam cum Ticino vix esset, ut audivit Carolomannum cum exercitu in Italiam transisse, retro abiens Tortonam abiit, indeque per Alpes, dum in Gallias rediret, e vivis sive morbo adveniente, sive veneno propinato mortuus est.

Ludovicus Carolo in Regno Franc. succedit.

16. Post Caroli obitum Ludovicus filius ejus, ut mox diximus patris successor fuit, qui *accepto nuncio in Audriaca villa de morte patris sui, quos potuit conciliavit sibi, dans eis Abbatias, & Comitatus, ac villas secundum uniuscujusque postulationem. Et iter agens per Carisiacum, & Compendium usque ad Urnum* (forte ad Vernum, ut ait Duchesnius) *quatenus ad sepulchrum patris sui apud Monasterium S. Dionysii per-*

perveniret: ubi audivit patrem suum sepultum, & regni Primores, tam Abbates, quam Comites indignatos, quia quibusdam honores dederat sine illorum consensu, & ob id adversus se conspiratos esse, reversus est Compendium. Ipsi autem Primores cum Richilde diripientes omnia, quæ in via illorum erant, usque ad Avennacum monasterium pervenerunt, et conventum suum ad Montem Vitmari condixerunt. Sed et Ludovicus legatos suos ad eos direxit. Et discurrentibus inter eos missis ad hoc perventum est, ut Richildis, et ipsi Primores ad eum Compendium venirent, et suum conventum ad Casnum in Cotia condixerunt. Richildis Compendium ad Ludovicum veniens in Missa, seu in festo S. Andreæ attulit ei præceptum, per quod pater suus illi regnum ante mortem suam tradiderat, & spatam, quæ vocatur S. Petri, per quam eum de regno revestiret. Sed & regium vestimentum, & coronam, ac fusilem ex auro, & gemmis. Et discurrentibus legatis inter Ludovicum, & regni Primores, & pactis honoribus singulis quos petierunt, VI. Idus Decembris, consensu omnium tam Episcoporum, & Abbatum, quam Regni Primorum, ceterorumque, qui adfuerunt, consecratus, & coronatus est in Regem Ludovicus ab Hincmaro Rhemorum Episcopo, & Episcopi se, suasque Ecclesias illi ad debitam defensionem, & canonica privilegia sibi servanda commendaverunt.

Jesu Chr. an. 877.

Baluz. tom. 2. pag. 272.

17. Extantque adhuc inter Episcopos, ac Proceres Regni, & Ludovicum Regem mutua conventionum pacta Compendii subscripta, dum paternum obtinuit Regnum, & coronatus est, cui adstantes Episcopi fidelitatem, auxiliumque promiserunt. Ludovicus vero privilegia, & honorem ecclesiis a prædecessoribus suis, & a patre concessa, honoremque clero, justitiamque populo se redditurum inter cetera his verbis promisit. *Ego Ludovicus misericordia Domini Dei nostri, & electione populi Rex constitutus promitto, teste Ecclesia Dei, omnibus ordinibus Episcoporum videlicet, sacerdotum, Canonicorum, monachorum, atque sanctimonialium, regulas a patribus conscriptas, & apostolicis attestationibus roboratas ex hoc in futurum tempus me illis ex integro servaturum. Polliceor etiam me servaturum leges, & statuta populo, qui mihi ad regendum misericordia Dei committitur, per commune consilium fidelium nostrorum, secundum quod prædecessores mei Imperatores, & Reges gestis inseruerunt, & omni-*

Mutuæ inter Ludovicum Regem, & Episcopos conventiones.

JESU CHR. AN. 877.

& omnino inviolabiliter tenenda, et observanda decrevcrunt. Ego igitur Ludovicus rectitudinis et justitiæ amore hanc spontaneam promissionem meam relegens manu propria firmavi. Hæc Ludovicus, dum ab Hincmaro Remensi Francorum Rex coronatus est.

Carlomannus Italiæ Rex creatur.

18. Carlomannus interea Bojariæ Rex, Ludovici Germaniæ Regis filius, in Italiam cum exercitu adversus Carolum profectus, cum Carolum in Gallias redire compulisset, ut diximus, *Optimates Italiæ ad se venientes suscepit*, ait Annalista Fuldensis, *& dispositа prout voluit regione, reversus est in Bojariam, Ludovicus Rex*, Orientalis Franciæ, *partem Regni Lotharii cum fratribus Carlomanno, & Carlo, æqua lance dividit. Ludovicus Caroli Regis filius, morte perterritus propter injurias a patre Regi illatas, legatos ad eum dirigit, pacem postulat, et se de omnibus, quæ contra eum genitor suus gesserat, excusare nititur. Cujus legatos Rex audivit, et dissolvit*; ideſt remisit, reintegrata aliquatenus inter eos pace, cum nihilhominus de Imperio obtinendo inter se adhuc dissiderent, quod tandem triennio post, sen anno 880. in die Natali Domini Carolus Grassus ab Joanne Papa coronatus, obtinuit, de quibus ibidem dicturi sumus.

Ludovicus Rex Hincmarum de recta Regni administratione consulit. *Hincm. optom. 2. epist. 10. pag. 179.*

19. Ludovicus autem cum Regni administrationem susceptisset, Hincmarum Remensem Archiepiscopum, de recta Regni administratione consulendum censuit, ac ut ad se veniret, præcepit, cui Hincmarus per litteras desiderio Regis satisfecit, quarum initio hæc præfatur. *Dominatio vestra mihi mandavit, ut ad vos festinarem venire, quia mecum de vestris, et de sanctæ ecclesiæ, et Regni utilitatibus tractare velletis. Unde vobis humili, & certa responsione satisfactionem exhibeo etc.* Ac primo ut bonos consiliarios eligeret hortatus est, nam ex bonis, vel malis consiliariis pax & felicitas Reipublicæ, vel clades, & miseriæ dependent, quod exemplis ex historia prædecessorum suorum confirmat, ac ex iis, quæ anno præterito, cum *tales*, ait, *devenerunt miseriæ, sicut vobis sunt notæ, et hoc anno talis provenit lugenda infelicitas, quæ per universum pene mundum, et per futura tempora erit in opprobrium etc.* Dum mutuis dissensionibus cum patruis nepotes, aut fratres inter se dissiderent. Deinde ut Episcopos, Regnique proceres congre-

greget hortatur, ut ex eorum consilio res turbatas componere posset, cum quibus se quoque adfuturum esse promittit. *Ego etiam*, ait, *licet minimus illorum, & debilis, ac infirmus, in Dei, & vestrum servitium, & illorum obsequium, Domino annuente, libenter conveniam &c.* alioquin itineris suscipiendi excusationem postulat. *Propterea mihi jam et ætate, et infirmitate, ac debilitate attrito, non necesse est a dominatione vestra imponi, ut sine causa laborem, antequam ad placitum vestrum Dei, et vestri fideles conveniant.* Circa Epistolæ autem finem, ut indebitas exactiones, deprædationesque comprimeret his verbis hortatur. *Et ut ecclesiæ in isto Regno per occasionabiles circadas, et per indebitas consuetuadinarias exactiones, quæ tempore Pippini, Caroli, et Ludovici non fuerunt, ante annos viginti impositas non affligantur. Tertio, qualiter regni primores cum debita securitate, ac honore erga vos consistere possint, et ceteri nobiles homines in regno securitatem habeant, ne per diversa ingenia a suis opibus, quas habere potuerint despolientur: quia postquam radix omnium malorum cupiditas in regno suo exarsit, ut nullus, aut pene nullus honorem, aut aliquod bonum sine pretio posset adquirere, aut tenere, aut securitatem habere, pax, et consilium, et justitia, atque judicium, sicut necesse fuerat, locum in isto regno non habuerunt. Quarto, ut inveniatis cum Dei, et vestris fidelibus, qualiter istæ rapinæ, et deprædationes in isto regno cessent, et miser iste populus, qui jam per plures annos deprædationes diversas et continuas, et per exactiones ad Nortmannos repellendos affligitur, aliquod remedium habeat, et justitia, et judicium, quæ quasi emortua apud nos sunt, revivisçant, ut virtutem nobis Deus reddat contra paganos: quia usque modo jam ante plures annos locum in isto regno defensio non habuit, sed redemptio, et tributum, et non solum pauperes homines, sed et ecclesiæ quondam divites, jam evacuatas habent.* Hæc, & alia ibidem quæ exscribere longum esset, quarum summam in Hincmari vita exhibet Flodoardus. Hinc alteram addidit Hincmarus epistolam longiorem ad Episcopos, & Proceres Regni Franciæ de novi Regis institutione, & de ordine Palatii, seu de officiis palatinis, sacris, & civilibus, eademque fusiori stylo exponit. *Mundum duplici potestate regi, Pontificia et regali: Episcoporum, et Regum, et omnium, qui aliis præsunt*

JESU CHR. AN. 877.

Hincm. tom. 2. pag. 182.

Frodoard. lib. 3. 19. *seqq. epist.* 14. *pag.* 201.

JESU CHR. AN. 877.

officium esse, Canones et leges non ignorare, justitiam colere, judices constituere, qui avaritiam oderint, et justitiam diligant. Deinde *ex beati Adelbardi Abbatis Corbejensis, Caroli Magni propinqui, & consiliarii libello copiose exponit, quis ordo, et modus in palatio regio, et toto Regno administrando olim fuerit usurpatus. Tum omnia officia palatii describit. Hinc declarat, quibus rebus Regnorum pax conservata fuerit, nempe binis annuis Comitiis, & eorum Consiliariorum delectu, qui nihil Deo, suæ saluti, Regi, et Regni incolumitati anteponerent:* Et hæc alia monita ex Hincmaro habentur.

Hincmari admonitio ad Rachildem Augustam.

20. Relicta vero Caroli uxor Rachildis Augusta, obitu viri reddita libera, abusa est licentia viduali, quæ vivente Carolo, strictioribus pietatis vinculis tenebatur: inter alia autem illud indecorum, atque impium perpetravit, ut Abbatissam regularem monasterii Oriviacensis ejecerit, & accepta pecunia, eidem neophytam quamdam præficiendam curarit: quod tantum nefas ut corrigeret, Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus suis litteris admonuit, quarum meminit Frodoardus, & ex eis ista quæ subjicimus recitat, dicens: *Rachildi Reginæ scripsit, significans, quod cum quondam Laudunensis parochia Episcopo vacans, in sua specialiter erat providentia, sit male factum de eleemosina Hermentrudis Reginæ per quemdam præpositum Oriviaci monasterii, postea vero huic Rachildi per Vvaifridum presbyterum contra sacras leges male sit obeditum, ut regularis Abbatissa de ipso ejiceretur monasterio. Ostendit autem ex auctoritate sacra, quantum inde Regina periculum habeat, et quia miserat ad eam, qui moneret illam hoc evadere malum; Illa vero non solum non emendaverit, sed malum pejus superaddiderit, contra divinam auctoritatem, neophytam scilicet irreligiosam .... promovendo ad regimen propter res terrenas acceptas ab illa. Annectens, qualiter Hedenulpho Episcopo in Laudunensi Ecclesia ordinato, monuerit illum, ut suggereret Regi Carolo tam perniciosum factum dissolvere, & se, atque Reginam a tanto discrimine liberare.* Nil tamen profeciisse adnotat Flodoardus, nam addit, quod cum pejora semper eadem Rachildis vidua patraret, gravissimis litteris a Fulcone Hincmari successore, ut vitam corrigeret, moresque mutaret, admonitam fuisse, quarum ibidem summam refert.

Flod. hist. Rhem. lib. 4. cap. 5.

Synodus

21. Cum interea in Neustria Synodus congregata esset,

set, cui Hincmarus Remensis præfuit, inter cetera ibidem gesta Ludovicus, qui nuper Carolo successerat, per legatos suos querelas in ea exposuit adversus Hugonem Lotharii quondam Regis filium nothum, qui audita morte Caroli Calvi Imperatoris, Lotharii patris Regnum invaserat, & collecta factiosorum hominum multitudine, ejusdem Ludovici Regnum diris modis infestabat. Quamobrem hæc Ludovicus primum detulit ad Episcopos, quibus in ea Synodo Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus præsidebat, hic vero ad Hugonem litteras comminatorias scripsit, quarum meminit Frodoardus, dum recenset ejusdem Hincmari epistolas scriptas ad Ludovicum Caroli filium, dicens: *Item ad eum scripsit, qualiter commonuerit ex præcepto Regis ipsius Hugonem Lotharii Regis filium super malefactis, quæ agebat, & de hominibus suis adversus Regem cum hostili apparatu dirigendis.* Et inferius, ubi idem Frodoardus relegit ejusdem Hincmari epistolas datas ad viros illustres, meminit earumdem Hincmari litterarum, atque earum summarium ita recenset. *Hugoni etiam filio Lotharii Regis scripsit, significans, se amicos, & familiares habuisse patrem, & avum ipsius Lotharium Imperatorem, & quia salutem ipsius optabat; idcirco quod audierat de periculo ejus, causa dilectionis ei notum faciebat, multos scilicet prædones conspirasse, & conspirare secum, ipsoque principe, & auctore innumeras, & horrendas fieri depræ-dationes, aliaque multa perpetrari, quæ omnia in caput ipsius redundarent. Ostendens quam horrendum sit pro tantis sceleribus perpetuas pœnas mereri, demonstrans hæc eadem pervenisse ad Synodum Episcoporum in Neustria gestam, insuper etiam quod Regni moliretur invasionem, sibique mandatum a præfato conventu, ut ad eum litteras mitteret, atque commoneret (juxta quod leges præcipiunt) a tantis malis resipiscere, ipsosque malefactores a se disjungere, & a seditione, ac Regni pervasione se cohibere. Si vero ipsius commonitionem, & mandata Synodi obaudire non vellet, tam suæ diœceseos, quam de vicinis provinciis Episcoporum Synodum convocaret, & synodali Episcoporum sententia eum, suosque complices, atque fautores excommunicaret.* Hæc, & alia ibidem Frodoardus. Quæ autem hæc sint sequuta, & quomodo idem Hugo in deterius lapsus, in Trecensi Synodo, cui Joannes Papa prætuit, excommunicari meruerit, anno proximo dicturi sumus.

JESU CHR. AN. 877. in Neustria celebratur. *Concil. pag. 306. tom. 9.*

JESU, CHR. AN. 877. Gesta Joannis Papæ. Saracenis censum solvere cogitur. *epist.* 89.

22. Joannes autem Pontifex post Caroli Imp. obitum Romam reversus, eo e vivis erepto, a quo auxilium ad Saracenos comprimendos speraverat, necessitate urgente ab Saracenis, urbi fere instantibus, pacem non tam petere, quam auro redimere coactus est, de quibus ad Carlomannum anno proximo quarto Kal. Martii indictione undecima scribens, his verbis conqueritur. *Sed heu proh dolor? fessо mihi Paganorum persecutione ac gladio, atque exactione census vigintiquinque millium in argento Manguſiorum annualiter &c.* Ac eum hactenus Romam Legatos suos, sicuti promiserat, nequaquam misisse addit, cum præcipue eo tempore nec Ludovicus Caroli Imp. filius, & in Regno successor, nec Ludovicus alter Germaniæ Regis filius, Bojariæ tunc Rex, & Carlomanni Regis frater, Romanæ Ecclesiæ defensionem suscepisset, dum interea a Lamberto etiam Spoletino Duce undique premeretur, qui urbem etiam obsessam tenebat, ut in eadem epistola, aliisque anno proximo datis narrat, unde in Gallias marino itinere, cum terrestre ob Lamberti incursiones periculosum esset, transire, ac ibidem Trecis generalem celebrare Synodum statuerat, ut anno sequenti dicturi sumus. Hinc in itinere eamdem epistolam Carlomanno scripserat. *Data quippe de civitate Genuensi, & directa gloriæ vestræ per Anspertum Mediolanensem confratrem, & Coepiscopum nostrum.* *epist.* 82. 84. 85. 86. 87. 88.

Alfredus Rex Angliæ Danos vincit.

23. Ex Italia in Angliam transimus, ubi hoc anno Alfredus Rex Angliæ Danos, sive Nortmannos, qui Merciæ Regnum depopulati hactenus fuerant, vicit, ac inde abire coegit. *Anno* 877. *Rex Alfredus*, ait Asserus, *jussit cymbas, & Galeas, ideſt longas naves fabricari per regnum, ut navali prælio hostibus adventantibus obviaret. Impositisque pyratis in illis, vias maris custodiendos commisit. Ipse vero Exanceſtre* (ideſt Exoniam) *ubi Pagani hyemabant, properans, illis inclusis, civitatem obsedit. Nautis quoque suis mandavit, ut in parte freti, vitale hostibus subsidium denegarent. Occurrerunt autem nautis suis centumviginti naves, armatis militibus oneratæ, quæ in auxilium suorum civium advenerunt. Quas cum Paganis militibus ministri Regis cognovissent repletas, ad arma prosiliunt, & viriliter barbaras nationes invadunt. Pagani vero, qui jam fere per mensem inter fluctus Pelagi naufragium pertulissent, inutiliter præ-*

prælium reddiderunt. Unde in momento, agminibus eorum laceratis, in loco, qui Gnavvevic dicitur, undis submersi omnes pariter perierunt. Terrestrem deinde Danorum exercitum aggressus, ait idem auctor, *insequebatur quousque venit ad Exanceslrium, ubi accepit obsides, & juramentum ab eo, ut cito discederent ipso anno, mense Augusto.* At sicuti in Galliis, ita in Anglia quoque accidebat, ut Nortmanni, seu Dani, Svevi, Norvegi, aliique septentrionalium regionum incolæ sepius victi, & profligati, redivivi quodammodo redirent, nam, exigente id divina justitia, eo quod hominum peccata, & scelera in dies augerentur, ita fiebat, *ut si triginta ex eis millia una die necarentur, alii succedebant numero duplicato*, ait idem Asserus. JESU CHR. AN. 878.

JESU CHRISTI ANNUS 878. JOANNIS OCTAVI PAPÆ AN. 7. BASILII IMP. 12.

1. Inter angustias, pressurasque positus hoc anno Joannes Papa octavus, ac in Gallias transire coactus, graves nihilominus, difficilesque res, qua maxima potuit sollicitudine tractavit, ut ex dicendis constabit, quarum prima fuit turbatum Constantinopolitanæ Ecclesiæ statum componere, concordiamque, & unitatem fovere, tum etiam Bulgarorum Ecclesiam ad Romanæ Ecclesiæ subjectionem ex CPolitana revocare, ob quam rem legatos suos CPolim misit Paulum Anconitanum Episcopum, & Eugenium Ostiensem, quibus jussit, ut compositis CPoli rebus, in Bulgariam transirent; hæc autem ex litteris ab eo hoc anno datis, apprime constant, quarum altera ad Basilium Imp. data est, cujus initium: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi &c.* post nonnulla in laudem Imperatoris dicta, se Ecclesiæ CP. dissidia non sine animi sui moerore accepisse narrat, ac ut his mederetur, hortatur: *Ecce strenuos a latere nostro viros dirigimus, qui si qua illic inter hæc diligenti studio deprehendant, his radicitus secundum Dei mandatum evulsis, destructis, dispersis, & dissipatis, pacem, & unitatem, & charitatem congruenter ædificent, & plantent. Nam quomodo habere poterunt charitatem, qui dividunt unitatem? Nos autem pro Christo legatione proculdubio fungimur, cum paci Ecclesiæ studium impendere procuramus. Quia vero Deo amabiles viros,*

Joannis Papæ sollicitudo pro ecclesia CPolitana.

Joannis Papæ epist. ad Basilium Imper. epist. 80.

JESU CHR. AN. 878. *viros, quos nominatim litteris expetitis, quibuſdam incommodis impeditos deſtinare nequivimus: miſimus Paulum, & Eugenium ſanctiſſimos, & venerandos Epiſcopos, dilectoſque Conſiliarios noſtros, quorum nobis, & fides probata, & ſcientia manifeſta eſt. Quibus ſcripto dedimus in mandatis, ut omnibus ſimultatibus ſopitis, atque ſedatis, quæ ad pacem ſunt, ſanctorum magiſtra regula Patrum toto conamine conſtruant, & omni contentione ſublata, juſtitiæ tribuant, Deo propitio, palmam, &c.* ac Imperatorem rogat, ut legatis ſuis ex Conſtantinopoli in Bulgariam profecturis opem ferret, aditumque præberet, epiſtola autem altera eadem indictione undecima data quarto Kal. Martii, vel potius Maii legatos ſuos, legationemque miſſam eidem Imperatori commendat.

epiſt. 81.

Bulgarorum Eccleſiam in Rom. Eccl. ſubjectionem revocare conatur.

2. Joanni Papæ, id præ ceteris cordi erat, ut Bulgarorum Eccleſiam, quam *a Damaſo Papa*, ut ajebat, *& deinceps uſque ad Paganorum eruptionem a Sedis Apoſtolicæ Præſulibus, quantum ad eccleſiaſticæ proviſionis privilegium attinet*, ſubjectam fuiſſe adnotat, quam poſtea, ſub Michaele Rege, ſibi Conſtantinopolitani Præſules ſubjecerant, ut ſupra diximus, in Romanæ Eccleſiæ ſubjectionem revocaret, quare per eoſdem legatos Paulum, & Eugenium, duas ad Michaelem Bulgarorum Regem litteras ſcripſit, ſub die decimaſexta menſis Aprilis, Indictionis undecimæ, iiſque ſe cum eo triſtari ait, eo quod Græcos ſequeretur: *Verentes, & pertimeſcentes, ne ſi forte Græcos ſecuti fueritis, cum illi in diverſas hæreſes, & ſchiſmata ſolito more ecciderint, vos quoque cum ipſis in erroris profunda ruatis*; quod ſane iis contigit, ut in ſchiſmate quoque Græcos ſecuti fuerint, & iterum poſt plurima: *Noli ergo ſequi Græcos filii, cariſſime, quia argumentis ſæpe fallacibus ſtudent, ſemper doloſis intendunt verſutiis, ne forte vobis, quod contigit genti Gothorum, contingat, quæ cum ab errore Paganorum cuperet liberari, Chriſtique fidei ſociari, in Epiſcopum incidit formam pietatis habentem, virtutem autem ejus abnegantem, qui eos dum a Paganiſmo liberat, Arii blaſphemiis implicat, ſicque illi dum incaute quærunt errorem fugere, in errorem incidunt, & cæcum ducem ſequentes, cum illo cæci facti in Arianæ pravitatis præcipitia delabuntur &c.* Quare ut Romanam Eccleſiam ab Apoſtolis Petro, & Paulo fundatam, nulliſque erroribus hactenus foedatam

epiſt. 15. & 77.

ſequi

ſequi vellet, impenſe hortatur. Xenium ſibi ab Urſo quodam delatum accepiſſe admonet, gratiaſque agit, & Sergium quemdam Eunuchum genere Sclavum, multiſque criminibus irretitum, ac per ſubreptionem Epiſcopum Belogradenſem electum, ſe depoſuiſſe addit, ejuſdemque argumenti eſt epiſtola altera ad eumdem Michaelem data: alteram his Joannes Papa addidit ad Petrum quemdam inter Bulgaros præcipuum, & Michaeli Regi familiarem, qua de ſcriptis a ſe ad Michaelem litteris certiorem reddit, & ut eumdem Regem ad Eccleſiæ Romanæ græmium revocare conetur, rogat. Jesu Chr. an. 878. *epiſt. 76.*

3. Gravior eſt epiſtola ad Epiſcopos, & clericos Grecos in Bulgaria commorantes, per eoſdem Paulum, & Eugenium legatos, eademque die data, nam eos, eo quod Bulgarorum Eccleſias invaſiſſent, excommunicatos dicit, illicitaſque ordinationes ab iis illic factas nullas declarat, dignitate etiam privandos, niſi intra dies triginta ab acceptis epiſtolis, ex omni Bulgarica regione diſceſſiſſent, ac iis, qui paruerint, reſtituendum eſſe Epiſcopatum, quem in Græcia habuerant, jubet, qui vero nullum habebant, ſi dignus fuerint, ut vacans eis aſſignaretur, permittit. Joannis Papæ epiſt. 79. ad Epiſcopos & Clericos Græcos.

4. Quia vero horum auctor Ignatius CP. Patriarcha eſſe videbatur, ad eum eodem tempore ſcribens, quod bis admonitus, ut ab Eccleſiæ Bulgaricæ adminiſtratione ſe abſtineret, non paruiſſet, graviter Joannes Papa conqueritur, & niſi intra triginta dies ab acceptis litteris obtemperaverit, excommunicationem minatur. *Secundo jam Sedis Apoſtolicæ litteris probaris admonitus, & per Miſſos ejus conteſtatoriis conventus hortatibus, ut tu Conſtantinopolitanæ diœceſeos, quos per ejuſdem primæ Sedis auctoritatem, & favorem, annuente Deo, receperas, rite conventus ultra prefixos tibi ex Canonibus limites præſumptionis pedem non tenderes, nec antiquos terminos, quos poſuerunt patres tui, aliqua uſurpatione transferres. Nullus autem ignorat regiones Bulgarorum a ſanctæ memoriæ Damaſo Papa, & deinceps uſque ad Paganorum eruptionem a Sedis Apoſtolicæ Præſulibus, quantum ad Eccleſiaſticæ proviſionis privilegium attinet, moderatam: præſertim cum hoc nonnulla ſcripta, ſed præcipue diverſorum Romanorum Pontificum res geſtæ, quæ in Archivis antiquitus noſtræ ſervantur Eccleſiæ, clarius atteſtentur &c.* Deinde: *Sed hæc, re-* Joannis Papæ epiſtola comminatoria ad Ignatium CP. Patriarcham. *epiſt. 78.*

JESU CHR. AN. 878. *reverendiſſime frater, omnia clauſis oculis relegiſti; ſanctoque Patrum decreta calcaneo temerario conculcaſti, & multiplicium tibi beneficiorum Sedis Apoſtolicæ præſſitorum oblitus, contra eamdem Sanctam Sedem, benefactricem videlicet tuam, erectus es, priſcam diœceſim illius in regione Bulgarica conſtitutam illicita pervaſione ſurripiens, & in alienam meſſem contra divinas leges immittere falcem non renuens. Unde merito poſt primam, & ſecundam commonitionem a noſtræ te debueramus communionis contubernio ſequeſtrare, in prompta habentes ſecundum Apoſtolum, omnem ulciſci inobedientiam, qui etiam dicit: Si quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, ut non commiſceamini cum eo. Sed quia Sedis Apoſtolicæ moderatione utentes ſpiritu lenitatis potius, quam ſeveritatis erga correptionis tuæ flagramus affectum: ecce tertio canonice per miſſos, & ſyllabas commonemus, & hortamur, & proteſtamur, ut nullam omnino moram perpeſſa, ſtrenuos viros in regionem Bulgarorum dirigat, qui per totam patriam peragrantes, quoſcumque illic reperierint, qui a te, vel a ſubjectis tibi conſecrationis munus acceperiſe dicuntur, ſine quavis dilatione reducant, ita ut intra triginta dierum ſpatium, nullus Epiſcopus, nullus omnino clericus, qui tuæ ordinationis immo inordinationis ſunt, intra omnes Bulgarorum fines inveniantur*; & iterum poſt reliqua. *Porro ſi intra triginta intervalla dierum omnes, quos vel tu, vel Epiſcopi tui conſecraſſe in aliquo gradu putantur Eccleſiæ, a totius regionis Bulgaricæ terminis non eduxeris, & temetipſum ab omni Eccleſiaſtico illius jure diœceſeos non ſubduxeris: tamdiu ſancto corpore, & pretioſo Sanguine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, poſt duos menſes, a die numerandos, qua hujus epiſtolæ tomum acceperis, eſto privatus, quamdiu his obſtinatus decretis noſtris minime obedientiæ colla ſubmiſeris. Jam vero ſi pertinaciter in hac indiſciplinatione, atque pervaſione permanſeris, & Epiſcopos, & quotquot illic, vel tu conſecraſſe videris, foras illinc minus expuleris; omnipotentis Dei judicio, atque Beatorum Apoſtolorum Principum auctoritate, noſtræque mediocritatis ſententia, omni Patriarchatus eſto dignitate, quam favore noſtro acceperas, alienus, & exors, nullo penitus ſummi ſacerdotii privilegio præditus, vel potitus. Data menſe Aprilis, Indict. XI., miſſa per Paulum, & Eugenium Epiſcopos.*

5. Cum

5. Cum autem Joannis Papæ litteræ ad Ignatium, aliosque Constantinopolim delatæ essent; quin cum ineunte mense Aprili hujus anni scriptæ fuerint, e vivis jam abierat Ignatius CP. Patriarcha, & quidem die 23. Octobris anni elapsi, ut scribit Pagius, cujus obitus ineunte Aprili Romæ adhuc ignotus erat, quare nec Joannis Papæ litteras accipere, vel jussa exequi potuit. Annos octoginta vir sanctus attigerat, cum vivere desiit, ex quibus triginta fere Constantinopolitanam Ecclesiam, variis licet vicibus obnoxius, administraverat: *Ignatius ex hac vita*, ait Nicetus auctor vitæ ejus, *die tertia supra vigesimam Octobris, ad Dominum migravit*, & paulo post. *Ergo Ignatius iterum Patriarcha*, cum, ejecto Photio, in CP. sedem restitutus esset, *decennio præfuit, tricennium vero, pauloque amplius universæ magnus Antistes solium tenuit Ecclesiæ, annorumque octoginta in pace ad magnum Pontificem Christum est profectus &c.* Eum vero ante adventum Pauli, & Eugenii legatorum Joannis Pontificis obiisse narrat Stylionus Neocæsareæ Euphratesiæ Episcopus in epistola ad Stephanum sextum Pontificem, qua de Ignatii obitu, & Photii reditu in Sedem CPolitanam relationem misit, de qua inferius anno 886., acturi sumus, eademque epistola narrat, ab Photio insidias in Ignatium structas fuisse, ejusdemque obitum sollicitasse: *Nec tamen propterea*, ait, *Photius quietem habuit*, postquam in exilium ejectus fuerat, *sed iniquos homines, & maleficos, & deceptores congregavit, & calumnias falsas fingendo non destitit, quousque beatissimum Ignatium vitam misere relinquere procuravit &c.* Hæc ille, cum itaque ante adventum legatorum obierit Ignatius, ad plenissimam Ignatii excusationem, quod Joannis jussa non perfecerit, hæc satis sunt, ait Baronius.

Jesu Chr. an. 878. Ignatii CP. Patriarchæ obitus.

Pagi not. 1. an. 878.

6. Hæc etiam in ejusdem apologiam, & laudem addens, quod cum sanctissime ad obitum usque vixisset, ejus memoria, die 23. Octobris, qua obiit, in menologiis Græcorum, & Latinorum martyrologiis recensetur, quem constat, teste Baronio, semper usque ad obitum, & post obitum in Catholica Romanæ Ecclesiæ communione fuisse retentum, quod ejusdem Pontificis Joannis plures epistolæ ad diversos datæ post ejusdem Ignatii obitum docent, ut jam de his nulla penitus dubitatio oriri possit. Neque est, quod quis ob Bulgaricas Ecclesias a se retentas in Apostolicam Sedem in-

Apologia pro Ignatio CP. Episcopo.

Martyrol. Rom.

JESU CHR. AN. 878.

senso existimet, vel ingrato animo, cum quæ juris sui essent defendere, juramento teneretur obstrictus, etiam sub æternæ vitæ dispendio: Hinc credibile est eum non aliena retinere, sed sua possidere ex possessione prædecessorum putasse, cui haud dubium sponte cessisset, si id facere sibi licuisse credidisset.

S. Ignatii sepultura, & miracula patrata.

7. Ignatii cadaver multo cum honore ad templum Sophiæ delatum, indeque in templum Mennæ martyris depositi loco positum, tandem in Ecclesiam in honorem S. Michaelis Archangeli trans fretum ab eodem Ignatio ædificatam delatum fuit, uti narrat Nicetas, multaque tum Constantinopoli, cum in Templo Mennæ, ac ubi sepultum tandem fuerat ejus corpus, tunc miracula patrata fuisse, idem Niceta commemorat, quæ referre longum esset. Inter cetera: *Quot autem, & quantis miraculis Dominus, qui in illo glorificatur decoraverit Ignatium, & nunc decorare non desinit, historia esset opus, nec est præsentis temporis hoc enarrare*, & allato exemplo Ducis Siciliæ, qui cum Ignatii defuncti opem imploraſſet, insignem de Agarenis victoriam retulit, mox subdit. *Omitto dicere, quot renum morbo absumptos, & ferventer ipsum invocantes, quot lepra, & elephantia laborantes ipsum deprecantes sanaverit, & cæcos illuminaverit &c.*

Quo prætextu Ignatii sepulchrum violari Photius jusserit.

8. Ac de his, quæ pertulit is, qui sancti viri sepulchrum, Photii jussu, violare ausus fuerat, subdit. *Quomodo silentio præteribimus miraculum illud Lydi Sacellarii, qui suggestione Photii impudentis, monasterium ingressus, ut omnes, qui in sancto ejus sepulchro preces effundebant, ut suis egestatibus opem ferret, verberibus, & jurgiis pelleret, & hoc cum fecisset, addit malum malo, & præcepit, ut prope sacrum sepulchrum effodiatur, & profunde terra evertatur, ea videlicet occasione, eo quod eo in loco a Patriarcha multum aurum alias fuerat occultatum, revera autem, ut hoc dedecus impingeret venerandis illis reliquiis: ita invidia illum omnino occupaverat, insanam videlicet ejus animam, ut ne post mortem quidem illum quiescere sineret. Sed una cum impio illo mandato, impium etiam ira a Deo immissa adorta est, non ferente in hoc loco Dei longanimitate, sed velociter merito inferente vindictam. Quamprimum igitur vehementer clamans superbus ille, ac si interficeretur, sursum,*

at

ac deorſum proprio ſanguine inſtar fluvii ex ore manante cruentatus, & elatus alienis humeris, quaſi voce carens, quatuor diebus ita tormentatus efflavit animam. Hucuſque de miraculis Nicetas, qui poſt alias pleraſque Photii res geſtas, poſt ſanctiſſimi viri obitum enarrandas ſtylum convertit addens. JESU CHR. AN. 878.

9. *Nondum enim tertius dies depoſitionis Sancti illius Ignatii erat, cum jam Patriarchalem occupat ſedem, et antiquam illam latronum inſtar, et tyrannicam aſſumit mentem, et rabiem adverſus Ignatium innovat, et omnes ejus familiares carceribus, exiliis, et plagis, et calamitatibus intolerabilibus affligit, et omnes, qui ejus aſſenſui refragabantur, tamquam non canonice, nec legitime factos, ſexcentis artibus opprimit, alios quidem muneribus, et dignitatibus, et ſedium translationibus, ut ſecum communicarent adducens, alios vero calumniando, et multis modis turpia opera aliis adſcribens, et acriter convicians primo, ſi quis ipſorum ſecum communicare nollet &c.* quotquot itaque communionem ejus refugiebant, quos innumeros quidem fuiſſe adnotat, non ſolum Epiſcopatu abdicabat, ſed injuriis, plagis, carceribus vexabat, opera præcipue utens Leonis cujuſdam, cognati ſui *Catacallos* dicti, Excubiarum Drungario, ſeu Præfecto: *Qui pro illa dignitate*, Photii interceſſione obtenta, *vices rependens, in omnes eos, qui ab illo mittebantur (ut unico verbo, iniquitatem ejus declarem), eadem immunitate utebantur, qua Licinius adverſus Sanctos illorum temporum, et multos quidem interemit, quouſque ad finem pro veritate pugnare nos fortiter invenit. Multos etiam, qui tormentorum gravitate vincebantur, tamquam munera ad Photium mittebat &c.* Photius CP. thronum iterum invadit. crudeliter in adverſarios ſe gerit.

10. Qua autem ratione tam ſolemni judicio, tantaque ſententia dejectus Photius, poſt decennale fere ab urbe exilium, CPolim redire, & CPolitanam ſedem iterum aſcendere permiſſus ſit, idem Nicetas in vita Ignatii enarrat, ac inſigni impoſtura, Baſilii Imperatoris gratiam ſibi conciliaſſe adnotat. Ex cerebro quippe ſuo imaginariam Baſilii Imp. genealogiam vir aſtutus contexerat, eamque in veteri pergamena caractere Alexandrino omnibus ignoto ſcriptam in Palatii bibliotheca, cui Theophanes quidam præerat, totius ſtrophæ conſcius collocavit, qui opportunitatem nactus, librum Imperatori obtulit, *tamquam librorum omnium mirabiliſſimum, & ſecretiſſimum, quem fingit ſe non ſolum non* Inſignis Photii impoſtura.

JESU CHR. AN. 878.

intelligere, ſed nec alium quempiam præter Photium. Quamprimum itaque mittitur ad Photium, fingit autem ille, ſe non poſſe alteri dicere arcanum, niſi illi, pro quo ſcriptus ſit liber, videlicet Imperatori. Quid igitur? hac fallacitate, vel levitate ſuperatur Imperator, deponit odium, & illi conciliatur. Potuit enim bonum aliquod prænuntiatum, licet falſum, ſic lenire, & demulcere, & totam ſibi devincire Imperatoris animam ſuperbam, & gloriæ cupidam. Hæc origo amicitiæ Photii cum Baſilio Imp., hæc Eccleſiaſticæ pacis perditio, & prioris confuſionis innovatio. Hinc frequenter in palatio erat fraudulentus ille, ſuffurando Principis benevolentiam, & totum ſibi illum devinciendo verborum lenociniis, & morum artibus. Acceſſit, & alia quamprimum amicitiæ occaſio. Theodorum illum, habitu tantum Abbatem, omnium aſtutorum aſtutiſſimum, & omnium malorum peſſimum, Santabarenum inquam noſtis omnes; hunc neſcio quomodo Photius nactus, virum quaſi ſanctum, & prudentiſſimum, & perſpicaciſſimum (licet nihil tale eſſet; unde enim hoc?) mantica vero, vel potius magica, in ſomniorum dæmoniaca ſcientia præditum, ad Imperatorem ducit, & torquem illi cum feciſſet, per eum Patriarchæ inſidias ſtruit, & machinatur, & illum a Patriarchali Sede ejicere molitur, & ſui reſtitutionem procurat &c. Hac itaque arte, ſeu impoſtura, cum ſibi Imperatoris gratiam promeruiſſet, nil mirum quod, Ignatio defuncto, Conſtantinopolitanam Sedem iterum Photius invaſerit.

Theodorum Photius legatum ad Joannem mittit.

11. De geſtis ab Photio, cum poſtliminio in CP. Sedem reverſus eſt, inter plura hæc narrat Nicetas. *Ante omnia nititur Patriarchæ Ignatii ordinationem evertere*, & quotquot ab eo depoſiti fuerant, ad Eccleſias ſuas revocavit, ab Ignatio autem ordinatos, iterum conſecrare præſumpſit, deinde *Theodorum illum, quem ipſe, dum in exilio ſederet, Pathmorum Metropolitanum conſtituerat, quem jam pridem ejus familiares Aphantopoleos Epiſcopum nuncupabant, id-eſt, civitatis inviſibilis, quæ nuſquam appareret; hunc inquam Theodorum ad Joannem Papam apocriſiarium mittit, ſcribens, quod invitus, & magna vi ab Eccleſia, & a Republica coactus Sedem Patriarchalem iterum ſuſcepit. Ut vero mendacium hoc magis confirmaret, per Petrum quemdam arcanorum ſcriptorem, qui deinde pro ſuarum fraudum mercede Sardenſium Eccleſiam accepit, omnium Metropolitarum ſigilla ſuſ-*

fu-

furatur, necnon ipſos ignaros adducit, ut libello ſubſcriberent, hac occaſione illos decipiens, quod hæc fierent pro ſcripta cujuſdam agri emptione. Ita fraude, & aſtutia ille præſtabat; atque alia his ſimilia ibidem addit Nicetas, quæ exſcribere longum eſſet. Quid in hac cauſa Joannes Papa egerit, dicemus anno ſequenti, nunc cetera hoc anno geſta proſequimur.

JESU CHR. AN. 878.

Dei vindicta in Imperium.

12. Nam ſubdit Nicetas: *Propter hæc, & alia longe abſurdiora ira Dei deſcendit ſuper filios perditionis, & ſtatim quidem Baſilio Imperatori mortuus eſt Conſtantinus optimus filius, & primogenitus, quem audax ille Photius, ut patri rem gratam faceret a ſeipſo ordinans, monaſteriis, & Eccleſiis præfecit, ut hominibus placeret. Statim etiam Syracuſana magna civitas penitus deleta eſt, & omnes inſulæ, & civitates deprædantur uſque hodie ab hoſtibus &c.* Conſtantinum autem Baſilii Imperatoris filium anno proximo 879. obiiſſe ſcimus ex epiſtola Joannis Papæ eodem anno ad Baſilium, & Conſtantinum Imp. data.

Syracuſæ a Saracenis vaſtantur.

13. Triſtem vero Syracuſanæ urbis deprædationem lugubri ſtylo Theodoſius monachus, qui ibidem erat, ac captivus Panormum cum Sophronio ejuſdem urbis Epiſcopo ductus eſt, enarrat longiori epiſtola ex carcere ſcripta, & ad Leonem quemdam Archidiaconum inſcripta, cujus ſumma tantum capita attingimus. Hanc primum Pyrrhus in Sicilia ſacra vulgaverat, tom. 2., eamdemque Muratorius inter Italiæ ſcriptores inſeruit; cum itaque longa obſidione, ac decem menſium ſpatio Syracuſarum urbs fatigata eſſet, tandem ea Saraceni potiti ſunt, ut his etiam verſibus idem Theodoſius monachus narrat.

Theodoſii epiſt. de Syracusar. expugnatione. *Murat. ſcrip. rer. Ital. to. mo 1. par. 2. pag. 257.*

Genus Iſmael aſcendit
Syracuſiorum in urbem,
Ambitu ambiens hanc
Aggreſſus devicit
Doloſe ſupervenit extemplo:
Per annum enim navigavit,
Poſt decem autem menſes excidit.
Obſidio urbem.

In epiſtola, autem: *Tandem in hoſtium manus incidimus, cum antea diu, & ſæpius terra, & mari pugnatum fuiſſet*, ut pluribus is auctor narrat. Tandem ſubdit, *die prima poſt vige-*

JESU CHR. AN. 878.

vigesimam, mensis Maii, quarta vero ab ea die, quo murus corruit, civitas in hostium potestatem redacta est, &c. eaque demum potiti sunt. Hinc vero in morem fluminis per totam urbem diffusi, in illorum conspectu volitabant, qui ad repugnandum adhuc congregabantur. Ac primum iis, qui ad Servatoris ædis vestibulum contra eos aciem instruebant, ad unum trucidatis, magno impulso valvas aperiunt, templumque subeunt strictis ensibus. Tum vero omnis ætas eodem temporis momento in acie gladii corruit.

Sophronius Epis. Syracusar., & Theodosius Monachus a Saracenis capti.

14. *Ego vero qui jam iterum, cum Episcopo in gratiam redieram, atque in Episcopii templo, una cum ipso statis precibus hora sexta operam dabam, turrim a Barbaris expugnatam auribus cepi, cum ad finem Cantici ventum esset. Quo nuncio non mediocris fuit audientium animis pavor injectus. Etenim quidni timendum nobis esset in cruentas hostium manus mox certissime incursuris? Animum tamen quoquo modo recipientes, dum adhuc hostes ante prospectum templi in prædando essent occupati, nudi ac verecundi, quippe detractis omnibus aliis indumentis præter illa, quæ ex corio confecta gestabamus, ad altare ædis maximæ, cum duobus aliis clericis perfugimus.*

Saraceni Ecclesiam prædantur.

15. Cum itaque ibidem Sophronius cum sociis esset, Angelo tutelari suam Ecclesiam commendans: *Adsunt*, subdit, *extemplo hostes districtis gladiis, sanguineque perfusis, qui per totam ædem vagantes, alius alio deflectebant, quorum unus a circumfusa multitudine digressus, sacrum altare adit, &c. Is Episcopum intuitus, ab illo, quam recte percunctatus quisnam esset, remque, ut erat, edoctus. Ubinam, inquit, sunt Ecclesiæ sacra vasa? Cum autem cognovisset, de loco educit a sacro templo Episcopum, nosque tamquam agnos suum pastorem sequentes, &c. Eodem die sacro deprædati, erant autem hæc omnia perfecti operis quinque millia librarum ponderis, captivos nos egredi ex urbe fecerunt; atque ad Amiram* (ideſt exercitus Præfectum), *qui in veteri majori Ecclesia confederat, traduxerunt, &c.*

Sophronius cum sociis Panormum ducti christianam fidem confitentur.

16. *Captæ vero prædæ spolia tot fuere, tantique pretii, ut cujus subducta ratio millies mille numerum reperta sint. Panormum deinde itinere sex dierum jumentis vecti, ac diurnis æstibus, nocturnisque frigoribus divexati. Post diem quintum* (ab adventu nempe Sophronii, & sociorum in

in urbem Panormitanam) *ad majorem Amiram introducimur, &c. Siſtunt Epiſcopum miniſtri. Tum ille per interpretem: Tenes, inquit, noſtratem Deum orandi modum! Minime, inquit, ſapientiſſimus Præſul: Is vero, cujus rei gratia? Reſpondit Epiſcopus, quod ſummus ego ſacerdos Chriſti ſum, Chriſtique ſervorum Myſtagogus, de quo Propheta, & juſſi olim vacinati ſunt. Non ſunt, inquit Amiras, apud vos revera Prophetæ; ſunt vero nomine, non enim ab illis abalienatus eſſes ob tuas doctrinas, neque a recta deflexiſſes, &c. His reſponſis attonitus, extemplo nos in carcerem retrudi jubet ducti incedebamus media urbis platea in popularium conſpectu Chriſtianorum permulti ſubſequebantur* (erant Panormi multi Chriſtiani, fueruntque uſque ad Roberti, & Rogerii tempora &c.) *Tandem in carcerem conjicimur; id autem foſſa eſt quatuor deſuper, & gradibus depreſſum habens pavimentum, adeo ut illi oſtiolum pro feneſtra eſſet.*

Jesu Chr. an. 878.

17. *Sunt & eodem carcere concluſi, promiſcueque nobiscum miſeriarum mercaturam facientes Æthyopes, Tharrenſes* (legendum forte Thraces, aut Thraceſienſes) *Hæbrei, Longobardi, tum Chriſtiani noſtrates* (sc. Siculi) *e diverſis locis profecti, in queis quoque erat ſanctiſſimus Melitenſis Epiſcopus duobus compedibus pedes adſtrictus, &c. Dum in his verſamur, execrabilis ille dies ſtati apud hoſce ſacrificii recurrit: quo die memoriam ſe facere jactant ſacri illius, quod olim Abram fecerat, quando datum arietem pro nationis participe* (ideſt, loco hominis) *victimam Deo immolant* (magnam illam ſolemnitatem Turcæ Beyram appellant, & quando celebratur, peregrini Meccam adeunt &c.). *In hac dicti celebritate Archiepiſcopi comburendi cœpere conſilium, maliſque dæmonibus offerendi ſanctiſſimum Chriſti Pontificem &c. Verum hæc audientes ſenes quidam canitie juxta, & priores, togaque honeſtiſſimi ad populum habiti conſilio, factum improbarunt, &c. Itaque mali Conſiliarii in Archiepiſcopum et nos conſilium Deo nolente, jam ex illo in hunc uſque diem perſiſtimus ærumnis multis detenti, &c.* Quare hæc Epiſtola a Theodoſio Monacho in carcere ſcripta. Quid dein Sophronio Epiſcopo, ac Theodoſio factum ſit, incompertum eſt.

Sophronius, & ſocii in carcerem conjiciuntur.

18. Sa-

JESU CHR. AN. 878.

18. Saraceni interea captis, incenſiſque Syracuſis, jam tota Sicilia, præter Tauromínium, potiti ſunt, libereque per Inſulam diſcurſantes, quidquid Urbium, Oppidorum locorumque in Sicilia invaſerant, incendiis præter Panormum fœdarunt. Inde poſtmodum, & terra, & mari excurrentes, non modo Siciliam omnem, ſed etiam Calabriam, Apuliamque ad Peloponneſum uſque deprædantes populabantur, inquit Faſellus lib. 6. pag. 380. Syracuſani excidii auctores etiam Greci Curopalates, aliique mentionem faciunt, adnotatque citatus auctor, a Baſilio Imp. Hadrianum claſſis Ducem exilio relegatum fuiſſe, eo quod moras trahens, Urbem ab Saracenis oppugnari permiſiſſet.

Joannes Papa in Gallias tranſit.

19. Joannes interea Papa cum Saracenos, Syracuſis potitis, mediterraneum æque, ac Jonicum mare, nullo prohibente, excurrere cerneret, eoſdemque ex Apuliæ, Brutiorum, & Campaniæ finibus egreſsos, Romauo quoque Ducatui non ſemel infeſtos fuiſſe probaſſet, atque ab Lamberto etiam Spoletino Duce undique urbs obſeſſa, & quaſi poſſeſsa teneretur, in Gallias auxilium ab Carolo Rege poſtulaturus profectus eſt, de quibus hæc Aimonii continuator narrat. *Lambertus Vitonis filius, & Albertus Bonifacii filius, Romam cum manu valida ingreſſi ſunt, & Joanne Pontifice ſub cuſtodia retento, optimates Romanorum fidelitatem Carolomanno ſacramento firmare coegerunt. Quibus inde diſcedentibus, idem Pontifex domum Sancti Petri ingreſſus, omnes theſauros, quos ibi reperit ad Lateranos tranſtulit, & Altare Sancti Petri cilicio cooperuit, & cuncta oſtia ejuſdem Eccleſiæ clauſit, nullumque ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum eſt, & quod nefas eſt, omnibus undique illuc cauſa orationis venientibus negabatur introitus, erantque omnia ibi confuſa. Memoratus autem Pontifex conſcenſis navibus, per mare Tyrrhenum regnum Caroli intravit, ibique per totum fere moratus eſt annum.*

Joannes Papa Lambertum, Formoſum, alioſque complices excommunicat.

20. In ſignum autem vehementioris doloris, aut iræ, ac exemplo ex Machabæorum libro ducto, ob excommunicationem ab eo adverſus Lambertum Ducem, & Formoſum Epiſcopos, alioſque latam, Altare S. Petri cilicio cooperuit, ac Eccleſiam clauſit. Unde Annaliſta Bertinianus de Joannis profectione in Gallias hæc adnotat. *Joannes Papa iraſcens contra Lambertum, & Adalbertum Comites, quia vil-*

villas ; & civitatem ejus prædati sunt , eis horribiliter excommunicatis Roma exiit , & navigio Arelatem in die Sancto Pentecostes appulit , die undecima Maii , quem ineunte Martio Genuæ fuisse , anno proximo adnotavimus , unde epistola de itinere ad eum susceptо Carolomannum certiorem reddidit. Jesu Chr. an. 878. *epist. 89.*

21. De gestis vero ab Joanne Papa in Galliis , mox subdit. Arelatem ingressus , *Missos suos ad Bosonem Comitem misit , & per ejus auxilium usque Lugdunum venit , & inde missos suos ad Regem Ludovicum Turonis misit : mandans , ut ei obviam veniret , quo sibi commodum foret . Ludovicus autem mittens ei obviam quosdam Episcopos , petiit , ut usque Trecas veniret , ipsique ab Episcopis istius regni stipendia dari fecit . Et quia propter suam infirmitatem ante non potuit , Kalendis Septembris apud Trecas ad eum venit . Interea Papa Joannes generalem Synodum cum Episcopis Galliarum , & Belgicarum Provinciarum agens , qualiter Lambertum , & Adalbertum , Formosum quoque , & Georgium Nomenclatorem , ac complices illorum Romæ excommunicaverit , relegi fecit in Synodo , & consensum Episcoporum in eadem excommunicatione quæsivit .* Refert postea idem Annalista promulgatam fuisse excommunicationem ab Joanne Papa , & ab cæteris Episcopis adversus pervasores rerum Ecclesiasticarum Romæ latam . Joannis Papæ gesta in Galliis.

22. Quamplurimas de hoc itinere suo litteras ab eodem Pontifice tunc scriptas fuisse scimus , quibus , itineris susceptі causas , & præcipue quantas ab Lamberto Spoletino Duce injurias sustinuisset , dum urbem invaserat , lugubri stilo exponit ; ex his unicam referimus , qua rei gestæ seriem Joanni Ravennatensi Episcopo narrat : *Unanimitatis vestræ fraternitatem ignorare non patimur , quæ , & qualia his retro diebus a Lamberto Spoletano Comite mala , & multiplices passi sumus injurias , quales nullus antecessorum nostrorum Pontificum a quoquam Deum colente sustinuisse recolitur . Igitur omne pene territorium Sancti Petri , suis tyrannice devastantibus hominibus , cum immensa populi multitudine Romam venit . Nos autem illum quasi dilectum amicum apud Beatum Petrum Apostolorum Principem honorifice recepimus . Sed ipse quasi ovili pelle indutus , solita repletus nequitia , munereque corruptus ingenti , contra nos insurgere non* Joannis Papæ epistolæ ad diversos scriptæ. *epist. 84.* Quæ , & quanta in urbe Lambertus Dux patraverit.

JESU CHR. AN. 878.

dubitavit. Nam portas civitatis Romanæ violenter, imo fraudulenter cœpit, totamque urbem Romam, ac per dies plurimos per homines ſuos ita arctius retinere fecit, ut nec proceres Romanorum, nec Epiſcopi, nec Sacerdotes, neque etiam Familiares noſtri ad nos niſi magna ſupplicatione exeundi facultatem haberent. Cibaria etiam noſtra nobis venire inſtantiſſime prohibebant. Venerabiles item Epiſcopos, Presbyteros, atque Diaconos, & Religioſos monachos, cum hymnis, & canticis ſpiritualibus, ſacriſque litaniis ad Eccleſiam Principis Apoſtolorum venientes, heu, proh dolor! more paganorum conturbaverunt, & fuſtibus cædentes, nequiter diſperſerunt, non ſinentes illos exire, debitumque Deo ſacrificium offerre. Inimicos quoque atque infideles Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & noſtros, quos una cum veſtro conſenſu, & ſubſcriptione bis aut tertio excommunicatos, damnatoſque habemus, ſuper nos temere conduxit, eoſque in urbem Romam, ſine noſtra voluntate immiſit. His itaque nos præjudiciis, & injuriis multiplicibus gravati, cum tota Sede Apoſtolica triſtes adeo per multos dies extitimus, ut nequaquam nobis aliud agere, niſi flere liceret. Nam ipſis diebus, nec veſtis fuit ſuper Altare Sancti Petri, nec aliquod ibi nocturnum, aut diurnum officium ex more celebratum. Nunc etiam minatur nobis pejora inferre, niſi ejus obtemperemus humiliter voluntati. Unde Sanctitatem veſtram pio paternæ dilectionis affectu conjunctam hortamur, ut pro tantis afflictionibus, & miſeriis capiti noſtro illatis, ex totis præcordiis veſtris nobiſcum pariter condoleatis, & contra evidentiſſimum, & immanem inimicum noſtrum conſurgere toto anniſu ſtudeatis. Nos namque illius non valentes ſuſtinere tantas inſidias, quia per terram ire nequimus, per marinum iter, Deo propitio, in Franciam proficiſci debemus, glorioſos ſcilicet Reges deprecaturi, ut Eccleſiam Sancti Petri, & civitatem Romanam totius mundi caput, & dominam a tantis oppreſſionibus, & calamitatibus liberent, ſalvam, & quietam ſinant manere, potentique manu ab hoſtium, quos patimur, inſidiis tueantur. Nec nos illuc ituros, niſi pro communi ſalute, proculdubio credite. Sed ſicut veridico multorum relatu didicimus, cum nos de urbe Roma fuerimus egreſſi, cœptumque iter egerimus, audivimus eumdem Lambertum ſatellites ſuos velle colligere, Romamque rurſus expugnaturum adire. Nos vero hoc ſcientes, anathematis ſen-

ten-

JESU CHR. AN. 878.

tentiam in eum, & in omnes ſequaces ejus, ſi contra urbem Romam, & Eccleſiam Romanam aliquam rurſus venientes contrarietatem, vel moleſtiam, aut perturbationem inferre quolibet modo præſumpſerit, in Eccleſia Beati Pauli Doctoris Gentium protulimus. Et idcirco nullus veſtrum ejus iniquis operibus faveat, quin potius libere arguat, ſi Apoſtolicæ Sedis vultis ſemper fulciri auxilio. Quapropter hæc omnia, ut veſtris ſuffraganeis cognita faciatis, incunctanter hortamur ſanctimoniam veſtram, quatenus ipſi qui membra Corporis Chriſti exiſtunt, vobiſcum pariter pro Apoſtolicæ Sedis exaltatione ſtudeant deſudare. Data ut ſupra quarto Kal. Maii, Indictione undecima. In eamdemque rem plurimas alias litteras, cum Romæ adhuc eſſet, vel in itinere cum in Gallias perveniſſet, ſcripſit, ad Berengarium Comitem, ad Angelbergam Auguſtam, ad Ludovicum Balbum, ad Ludovicum Bojariæ Regem, & ad fratrem ejus Carolum, quas referre longum eſset.

Joannis Papæ geſta Arelate.

23. Arelatem die Pentecoſtes perveniſſe Joannem Pontificem narrat Annaliſta Bertinianus, inventoque ibidem Boſone Comite Arelatenſi, genero Angelbergæ Imperatricis una cum ejus filia Hermenegilda, cum eo de ſublevanda Romana Eccleſia conſilium iniit, deque his ſcripſit Pontifex ad eamdem Angelbergam Auguſtam. Ibi vero cum eſſet, conceſſit pallium Roſtagno Archiepiſcopo Arelatenſi, redarguit vero errorem, quem reperiit, quod ſcilicet ante pallii ſuſceptionem Archiepiſcopi Galliarum Epiſcoporum ordinationem peragerent, quem & emendandum curavit, eumdemque Arelatenſem Archiepiſcopum, cui pallium tribuit, Legatum ſuum in Galliis eſſe voluit, deque his litteras dedit ad omnes Galliarum Epiſcopos, ſignificans ſimoniacam hæreſim, quæ in Gallis vigebat, ſe per eumdem extirpari mandaſſe. Solebat in eo itinere Pontifex ante monere Epiſcopos, ut hoſpitium pararent, per quorum diœceſim eſſet tranſiturus, ut ex litteris datis ad Lingonienſem Epiſcopum patet. Cabillone autem, cum hoſpitaretur, a latrunculis quibuſdam male habitus eſt, dum ab eis nocturno ſilentio jumenta abacta ſunt, quos, niſi intra tres dies ablata reſtituerent, excommunicatos eſſe voluit idem Pontifex; ſimiliter, & quemdam alium tunc excommunicavit, qui ſcutellam argenteam Sancti Petri furatus fuerat. Quo pariter tempore

JESU CHR. AN. 878. dum adhuc eſset in via, ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ litteras dedit, quibus, ut ad generalem Synodum Trecis celebrandam adeſsent, juſſit. Metropolitanos præcipue Roſtagnum Arelatenſem, Hincmarum Remenſem litteris ſuis admonuit, ut comprovinciales Epiſcopos ſibi ſubjectos ad Trecenſem ſynodum convocarent.

epiſt. 95. 96. 98. 99. 100. 101. & 102.

Trecenſis ſynodus. *conc. to. 9. pag. 306. & ſeqq.*

24. Condicta igitur die, *tertio idus Auguſti, Indictione undecima, Regnante D. N. J. Chriſto Incarnationis anno* 878., ut in ſynodi inſcriptione legitur, cum convenisſent Epiſcopi, Joannes Papa, ſe in Synodo Romana Lambertum, Formoſum quoque, & Gregorium Nomenclatorem, & complices illorum excommunicaſſe narravit, & ut ſententiam ſuam confirmarent, petiit, cui cum conſenſiſſent adſtantes Epiſcopi, die craſtina libellum Pontifici obtulerunt, quo ſe ejuſdem ſententiam contra raptores rerum Romanæ Eccleſiæ latam confirmare teſtantur, eorumque decretum ſuæ ſententiæ additum Joannes Papa ab Epiſcopis ſubſcribi juſſit; atque his geſtis Epiſcopi ab Pontifice petierunt, ut auctoritate ſua eamdem cum ipſis excommunicationis ſententiam ferret, adverſus pervaſores, raptoreſque bonorum Eccleſiarum Galliæ, & contemptores Epiſcoporum omnisque Eccleſiaſtici Ordinis. Deinde, ipſo Pontifice jubente, lecti ſunt in Synodo Canones Sardicenſis concilii, & decretum Joannis Papæ de Epiſcopis Sedes ſuas mutantibus, ſicuti & Canones Conciliorum Africæ, quibus Epiſcoporum translationes prohibentur; Huic decreto occaſionem dedit Frotarius, qui a Burdigalenſi ad Pictavienſem, ac inde ad Bituricenſem Archiepiſcopatum tranſierat, quem ea de cauſa, datis ad eum litteris, ad Synodum vocaverat Pontifex, rationem in ea de translatione ſua redditurus, cumque venire hactenus diſtuliſset, epiſtola altera, ut adeſſet, & ut privilegium de mutatione Sedis afferret, eumdem admonuit.

Excommunicatio contra raptores bonorum Eccleſiæ confirmatur.

Translationes Epiſcoporum prohibentur. Frotarii cauſa agitur.

epiſt. 104. & acta conc. pag. 316.

Ludovicus Balbus Rex a Joanne coronatur.

25. *Poſt hæc*, ait Aimonius in compendio hujus Synodi lib. 5. cap. 37. *Coronatus Ludovicus a Joanne Papa, ſeptimo idus Septembris, invitavit eumdem Papam ad domum ſuam, & oppipare paſcens honoravit, cum multis donis ipſe, & uxor ſua remiſit eum ad Trecas civitatem, poſtea vero per miſſos ſuos petiit eumdem Papam, ut uxorem illius in Reginam coronaret, ſed obtinere non potuit*; Cur id renue-

rit

rit Joannes Papa non conſtat, hoc unum ſcimus, eos falli, qui cum Baronio cenſent, Ludovicum Balbum tunc Imperatorem ab Joanne Papa coronatum fuiſſe, nam Rex tantum Francorum coronatus fuit, hinc uxorem ſuam Reginam quidem, non vero Auguſtam, ut coronaret, petierat, ac in diplomatibus aliquot, quæ ſuperſunt, Rex Ludovicus legitur, ut pluribus Pagius perſequitur, nota 4. hujus anni. Jesu Chr. an. 878.

26. Tandem quarto idus Septembris: *Ludovicus Rex quorumdam primorum compulſus petitionibus venit ad Apoſtolici manſionem, & cum eo familiariter locutus, una cum illo reverſus eſt ad Conventum Epiſcoporum, & poſt excommunicationem Hugonis Lotharii filii, & Immonis, ac complicum eorum, vim facientibus quibuſdam Epiſcopis, & conſentiente Rege, dixit Papa Joannes, ut Hedenulphus ſua auctoritate ordinatus Epiſcopus* (Laudunenſis ſcilicet) *ſedem ſuam teneret, & partem de rebus Epiſcopii Laudunenſis haberet. Et cum Hedenulphus apud eumdem Papam peteret, ut illum ab ea ſede abſolveret, dicens ſe eſſe infirmum, & velle intrare Monaſterium, hoc obtinere non potuit. Sed præceptum eſt illi ab eo, conſentiente Rege, atque Epiſcopis Hincmari fautoribus, ut ſedem ſuam teneret, & Epiſcopale miniſterium ageret. Qui fautores Hincmari audientes, quod Papa Joannes dixerit, ut, ſi vellet, Hincmarus cæcus miſſam cantaret, & Rex conſentiret, ut partem de Epiſcopio Laudunenſi haberet, inſperate aliarum provinciarum Epiſcopi, ſed & aliarum regionum Metropolitani, ſine præceptione Papæ Hincmarum veſtimentis ſacerdotalibus indutum in præſentiam ipſius Papæ adduxerunt, & ſignum benedictionis ſuper populum dare fecerunt. Sicque ſynodus illa finita eſt*, ait Annaliſta Bertinianus. Ludovicus Rex ſynodo ſe offert. conc. p. 315.

27. Synodo libellum, ſeu proclamationem obtulerat infelix Hincmarus, quo exilia, & vincula tolerata narrabat; deinde, *duobus annis fere peractis inſuper cæcatus ſum, & uſque modo retentus ad vos, & ad veſtræ piiſſimæ ſerenitatis præſentiam, mox ut venire dimiſſus ſum, acceſſi &c.*, ac clementiam, *tum pro multitudine miſeriæ meæ*, ait, *tum pro magnitudine pietatis veſtræ efflagitavi*: Unde nil mirum quod luctuoſum caſum ejus commiſerata ſynodus, cum Epiſcopatum ei reddi non poſſet, cui, jubente ipſo Joanne Pontifice, ut ſupra diximus, ſucceſſor Hedenulphus datus fuerat, Reclamatio Hincmari Laudunenſis Epiſcopi, ejusque obitus.

JESU CHR. AN. 878.

rat, eidem saltem Episcopatus insignia, & redditum pars; unde commodius vivere posset, largita fuerit. An his Hincmarus Remensis, nepoti suo infensus, restiterit, ignoratur; at eum miseriis ejus quoque commotum, suffragio suo comprobasse verosimilius est, quem sane paulo post defunctum luxit, ac Hugoni Abbati commendavit, ut pro eo misericordiam a Deo cum monachis suis imploraret.

Canones synodi Tricassinæ.

pag. 312.

lib. 3. 24.

28. Canones in ea septem vulgati sunt, quorum tertio capitula in Synodo Ravennatensi promulgata confirmantur primo de honore Episcopis debito agitur, 2. de bonis Ecclesiæ servandis, 4. ut Episcopi invicem se adjuvent, 5. ut excommunicatus ab Episcopo nullibi recipiatur, 6. ut liberum hominem nemo recolligat, ac occultæ accusationes canone septimo prohibentur, ab hac etiam Synodo prohibitum est cuilibet, vivente uxore, alteram superducere, ac ut debita pœna sacrilegi subjicerentur, decreto altero cautum est, ut scilicet triginta librarum argenti plecterentur; alioquin excommunicationi subjaceant, & ecclesiastica sepultura indigni habeantur; extat etiam privilegium Joannis Papæ pro Pictaviensi Ecclesia, ut nemo ejusdem bona invadere præsumat, ac privilegia etiam Turonensis Ecclesiæ, datis ad Adelardum Archiepiscopum litteris, confirmavit.

Joannes Papa a Ludovico Rege, & Episcopis auxilium petit.

29. Tandem cum reditum maturaret Joannes Papa, auxilium, & ab Episcopis Galliarum, & Germaniæ, & Ludovico postulavit: *Vos confratres, & Coepiscopos meos volo*, ait, *unanimiter mecum in defensione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam constat esse caput omnium Ecclesiarum convenire, donec Deo auxiliante Sedem Beati Petri Apostolorum Principis revertamur, cum omnium hominum vestrorum armata bellico apparatu manu, & de hoc non differendo, sed sub omni celeritate, & certitudine sponsionis, hic mihi quæso absque ulla dilatione continuo date responsum*. Deinde ad Regem Ludovicum sermonem suum convertens. *Vos carissime fili Ludovice glorioso Rex, precor, in defensionem, liberationem, atque exaltationem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut prædecessores vestri fecerunt, & vobis sub obtestatione facere mandaverunt, sine procrastinatione, & ulla dilatione succurrite: quia ministri Dei estis, vindices in ira in his, qui male agunt, & non sine causa gladium portatis, ne forte (quod absit) illa vos, & regnum vestrum culpa contingat, quæ quosdam veteres*

teres Reges, inimicis, & infidelibus Dei parcentes quondam, damnabiliter ſtrinxit. Vel ſi aliud placet: præſentialiter in iſto loco date (per Deum, & per Beatum Petrum vos conjuro) ſine mora reſponſum: hæc ibi. Quid ad hæc omnia Epiſcopi, quid Ludovicus reſponderit, non conſtat. Certum tamen eſt votis Pontificis Regem annuiſſe. Nam cum ipſe Ludovicus ob corporis imbecillitatem ex recenti morbo contractam ducere in urbem ipſum Pontificem non valeret, Boſonem Comitem cum ipſo voluit proficiſci, hinc ſub finem menſis Septembris, *Papa Joannes Trecis movens Cavillonem petiit, indeque per Moriennam iter agens, per Cluſas montis Cinitii Italiam a Boſone, & uxore illius perductus introivit*, ait Bertinianus Annaliſta, hiſque Fuldenſis Annaliſta addit. *Aſſumpto Boſone Comite, qui propria uxore veneno extincta, filium Ludovici Imperatoris de Italia per vim rapuerat, cum magna ambitione in Italiam rediit, & cum eo machinari ſtuduit, quomodo Regnum Italicum de poteſtate Carolomanni auferre, & ei tuendum committere potuiſſet.*

JESU CHR. AN. 878.

30. Et ſane Boſoni Comiti Joannem Pontificem impenſe faviſſe, indicat ejus epiſtola ad Carolum Regem, qua etiam cum eo conqueritur, quod ad Synodum vocatus adeſſe recuſaverit. *Servans fidem Francorum Regibus, ſecundum prædeceſſorum meorum Pontificum, multos, & duros labores in mari, & in terra pertuli, ab urbe, & Romana Sede in Franciam veni, omnes vos legatorum tam viva voce, quam epiſtolis ſtudui convocare, ut pactum quod avi, & patres veſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ jurejurando promiſerunt, adimplere contenderetis. Sed heu pro dolor! cuncti venire per inobedientiam neglexiſtis, præter Ludovicum regem divæ memoriæ Caroli Imperatoris filium, cujus conſilio, atque hortatu Boſonem glorioſum Principem, per adoptionis gratiam filium meum effeci, ut ille in mundanis diſcurſibus, nos libere in his, quæ ad Deum pertinent, vacare valeamus. Quapropter contenti termino regni veſtri pacem, & quietem habere ſtudete: quia modo, & deinceps excommunicamus omnes, qui contra prædictum filium noſtrum inſurgere tentaverint.* Hactenus de his Joannes Papa, quibus indicat, ei in votis fuiſſe, eumdem Boſonem, Italiæ Regem, ſi licuiſſet dicere, ac etiam Imperatorem creare, ait Muratorius, ad hunc annum; ceteras eo de argumento, ac de Synodo celebranda litteras, tum

Joannis Papæ ep. 119. pro Boſone Comite. conc. p. 89.

epiſt. 105. 106. 107. 115. 117 118.

JESU CHR. AN. 878.

tum ad Ludovicum, ad Carolum, ad Episcopos Galliæ, vel Germaniæ præterimus, cum hactenus dicta sufficiant.

Alfredus Rex Angliæ Danos vincit, Regnum recuperat.

31. Hoc etiam tempore Alfredus Rex Angliæ, per plures annos Danorum incursionibus vexatus, ut latebras sæpe quærere, ac in silvis, vel palustribus locis per annos aliquot latere coactus, tandem collectis viribus, Gittonem Danorum Regem, qui Angliam fere universam suo subjugaverat Imperio, vicit, datisque obsidibus, Anglia excedere coegit, paceque inter eos firmata, barbarum Regem ad Christi fidem perduxit, ut veteres Anglorum historici narrant. Insignem Alfredi victoriam Asserus hujus temporis auctor pluribus narrat, ac addit: *Pagani fame, frigore, timore, & ad extremum desperatione perterriti, pacem ea conditione petierunt, ut Rex nominatos obsides, quantos vellet, ab eis acciperet, & ille nullum eis daret: ita tamen qualiter nunquam cum aliquo pacem pegigerat. Quorum legatione audita Rex, sua ipsius misericordia motus, nominatos quantos voluit obsides ab eis accepit. Quibus acceptis, Pagani insuper juraverunt, se citissime de suo regno exituros, necnon, & Godrum Rex eorum, Christianitatem subire, & baptismum sub nomine Alfredi Regis, accipere promisit. Quæ omnia ille, & sui, ut promiserant impleverunt. Nam post hebdomadas, Godrum Rex Paganorum, cum triginta electissimis de exercitu suo viris, ad Alfredum Regem, prope Ethelingam, in loco, qui dicitur Alre pervenit, quem Alfredus Rex in filium adoptionis sibi suscipiens, de fonte sacro baptismati elevavit.* Mutavit & nomen in baptismo neophytus Rex, & qui prius *Godrum*, sive *Gytro*, vel *Gasmundus* vocabatur, *Athelstanus* appellatus est: *Datæ ei provinciæ Orientalium Anglorum, & Northanymbrorum, ut eas sub fidelitate Regis, foveret jure hæreditario, quas pervaserat latrocinio*, inquit Malesburiensis lib. 2. de Regibus, capite quarto.

Vilelmus hist. Angl. lib. 2. 4. Ingulphus aliique.

Alfredus Rex Angliæ litteras, & Monasticam disciplinam restaurare conatur.

32. Regno pulsis, vel repressis Danis, Alfredus Angliæ Rex, ut Deo bonorum omnium datori, cui tam insignem insperatamque de barbaris victoriam acceptam ferebat, rem gratam faceret, non solum in Regni administratione omnem imposterum diligentiam adhibuit, sed etiam ut litteras in Anglia hactenus neglectas revocaret, eruditos viros ex Scotia, & Gallia vocavit, nonnullos etiam monasticæ vitæ asse-

clas,

clas, ut monasticam quoque in Anglia vitam; cujus vix memoria supererat, restaurarent, ac Adelingianam arcem in monasterium, *ob suæ moræ memoriam ad exaltationem Sanctæ Ecclesiæ commutavit*, ait Ingulphus pagina 26. quod fusiori stilo narrat Asserus pag. 18. additque. *Quia per multa retroacta annorum curricula, monasticæ vitæ desiderium ab illa tota gente, nec non, & a multis aliis gentibus, funditus desierunt, quamvis perplurima adhuc monasteria, in illa regione constructa permaneant, nullo tamen regulam illius vitæ ordinabiliter tenente (nescio quare), aut pro alienigenarum infestationibus, quæ sæpissime terra, marique hostiliter irrumpunt, aut etiam pro nimia illius gentis in omni genere divitiarum abundantia, propter quam multo magis id genus despectæ monasticæ vitæ fieri existimo: ideo diversi generis Monachos in eodem monasterio congregare studuit. Primitus Joannem Presbyterum monachum, scilicet Eald-Saxonum genere, Abbatem constituit, deinde ultramarinos Presbyteros quosdam, & Diaconos, ex quibus, cum nec adhuc tantum numerum, quantum vellet, haberet, comparavit etiam quamplarimos ejusdem gentis Gallicæ, ex quibus quosdam infantes in eodem Monasterio edoceri imperavit, & subsequenti tempore ad Monachicum habitum sublevari*, ex his Grimbaldum, ait Asserus, *Sacerdotem, & Monachum, venerabilem videlicet virum, cantorem optimum, & omnino Ecclesiasticis disciplinis, & in divina scriptura eruditissimum, & in omnibus bonis moribus ornatum*. His etiam addendus est Asserus Annalium Brittanniæ scriptor. Jesu Chr. an. 878.

32. Inter ceteros ex Gallia in Angliam ab Alfredo Rege vocatos, Joannem Presbyterum Monachum, Eald-Saxonum genere recenset Asserus, quem etsi Baronius, aliique cum Joanne Scoto Erigena, seu Scotigena, Carolo Calvo Francorum Regi familiari, cujus de Prædestinatione extat opusculum adversus Gothescalchum, aliaque, sophistico stilo magis, quam theologico scripta, nec levibus, vel paucis erroribus referta, de divisione scilicet naturarum, & de Christi corpore in Eucharistia, uti supra adnotavimus, at hunc ab Joanne Ethelingensi Abbate distinguendum esse, post Mabillonium eruditi passim tradunt, nam nec Presbyter, aut Abbas Joannes Scotus fuit, alter vero Joannes non Scotico, sed Eald Saxonico genere ab Assero coevo scriptore, An Joannes Ethelingiæ Abbas idem fuerit, ac Joannes Scotus.

JESU CHR. AN. 879.

& Joannis Ethelingenſis familiaris dicitur, de quibus plura apud Pagium not. 28. 29. an. 878. Dupiuium ſæculo nono tom. 9. pag. 260., & auctores hiſtoriæ litterariæ Francorum tom. 5. pag. 416., ut ceteros prætereamus.

Alphonſi Regis pietas, et geſta.

32. Antequam labentis anni periodum claudamus, de Alphonſi Galliciæ, & Aſturiarum Regis geſtis nonnulla ſunt adnotanda, de quo cum plura Hiſpaniarum hiſtorici, Sampyrus, ſcilicet, Aſturicenſis, Morales, Tudenſis, Mariana &c. narrent, nos tamen pauca pietatis ejus monumenta referimus. Inter cetera Compoſtellanum Templum lateritio opere conſtructum, ex lapide quadrato ædificavit, ac columnis exornavit. Oveti vero, ubi Regni Sedem fixerat, in Eccleſia Salvatoris reliquias Sanctorum Toleto, aliiſque ex locis translatas collocavit, ut inſcriptio ibidem poſita, ac a Baronio ad hunc annum allata teſtatur, in qua etiam Eccleſia idem Alphonſus Crucem auream gemmis ornatam obtulit, in cujus lateribus inſcriptio legebatur, quam Baronius, aliique exhibent.

Bar. 878. 60. Apud Marian. pagina 291.

JESU CHRISTI AN. 879. JOANNIS OCTAVI PAPÆ AN. 8. BASILII IMP. AN. 13.

Ludovici Francorum Regis obitus.

1. Hoc Chriſti anno, quarto idus Aprilis Ludovicus Francorum Rex, a Baronio, Sigonio, aliiſque Imperator perperam dictus, vivere deſiit, de quo hæc narrat Bertinianus Annaliſta. *Circa purificationem S. Mariæ ad Pontigonem venit*, Ludovicus, *unde volens ire in partes Auguſtoduni ad comprimendam rebellionem Bernardi Marchionis, uſque ad Treeas perrexit. Sed quia ingraveſcente infirmitate ſua (dicebatur enim veneno infectus) longius ire non potuit, filium, & equivocum ſuum Ludovicum bajulationi Bernardi comitis Arvernici ſpecialiter committens, Hugonem Abbatem, & Boſonem, & præfatum Bernardum cum filio ſuo, ſed & Theodericum cum ſociis ſuis, Auguſtodunum miſit, quatenus ipſum Comitatum ad opus Theoderici, cui antea illud dederat, vindicarent. Ipſe autem cum magna difficultate per Lodrum monaſterium Compendium venit. Et ſentiens ſe mortem evadere non poſſe, per Odonem Belgivacenſem Epiſcopum, & Albuinum Comitem coronam, & ſpatam, ac reliquum regium apparatum, filio ſuo Ludovico miſit: mandans illis, qui cum*

eo

ee erant, ut eum in Regem ſacrari, ac coronari facerent. Ipſe autem IV. Idus Aprilis, in die paraſceves in veſpere obiit: & in craſtina, ſcilicet in vigilia S. Paſchæ, in eccleſia S. Mariæ ſepultus fuit.

JESU CHR. AN. 879.

2. Tres poſt ſe filios Ludovicus reliquit, Ludovicum ſcilicet, qui inter Franciæ Reges Ludovicus tertius dictus eſt, & Carlomannum ex Anſgarda, quam inſcio patre olim duxerat, ac poſtea juſſu patris dimiſerat, cui pater Adelaidem ſociaverat, quæ poſt patris obitum Carolum peperit, Carolus ſimplex dictus, qui ſuo tempore in Gallia regnavit. Ludovicus igitur natu major Franciæ Regnum obtinuit, Carlomanno Fratri Burgundiæ, & Aquitaniæ Regnum dimiſit, quibus Hincmarus Remenſis Epiſcopus, de Regno optime adminiſtrando epiſtolas, ſeu potius tractatus ſcripſit, de quibus hæc Frodoardus. *Scripſit ad hunc Ludovicum ſolum de conſilio a ſe petito, quale ſit utile Regi conſilium, & qualiter debeat agere judicium & juſtitiam, & quid hæc boni conferant obſervata, quidve mali neglecta irrogare ſoleant, item ad Regem Carlomannum adoleſcentem, & ad Epiſcopos admonitionem de diſponendo regali miniſterio per capitula, et aliam admonitionem ad eumdem Regem ſimiliter per capitula ſcripſit &c.* Quæ inter Hincmari opuſcula, & epiſtolas tomo ſecundo edita ſunt, ſicuti & Epiſtola, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, aliiſque clericis in Palatio Regi, vel Reginæ inſervientibus ut ibidem videre eſt pag. 146.

Ludovicus 3. patri ſuccedit, ejus fratres.

Frodoard. hiſt. Remen. lib. 3. 18.

3. Poſtquam paternum Regnum Ludovicus, & Carlomannus inter ſe partiti eſſent, inopinato tertius adfuit, qui partem maximam Regni utriuſque invaſit, Boſo, ſcilicet, Comes, qui, *Perſuadente uxore ſua*, ait Annaliſta Bertinianus, Hermengarda, *quæ nolle vivere ſe dicebat, ſi filia Imperatoris Italiæ* (ſcilicet Ludovici II.) *& deſponſata Imperatori Græciæ* (Conſtantino nempe Baſilii Imp. filio) *maritum ſuum Regem non faceret, partim comminatione conſtrictis, partim cupiditate illectis pro Abbatiis, & villis eis promiſſis, & poſtea datis, Epiſcopis illorum partium perſuaſit, ut eum in Regem ungerent, & coronarent.* Quod re ipſa perfecerunt Epiſcopi in concilio Mantulenſi congregati, ubi Eccleſiæ, & Regni neceſſitatibus providere cupientes, Boſonem ſibi Regem elegerunt, cum poſt Ludovici obitum nullus, qui iis ſuccurreret, adeſſet, ut in ſui excuſationem adnotant

Boso Burgundiæ, & Provinciæ Rex declaratur.

JESU CHR. AN. 879. *Concil. tom. 9. pag. 332.*

Episcopi; de Bosone vero, *Ipse non tantum in Galliis, sed & in Italia cunctis enituit, ut domnus Apostolicus Joannes Romensis, instar filii complexus, ejusdem sinceritatem multis præconiis extulerit, & ad suam tutelam, revertens ad sedem propriam, delegerit. Ergo nutu Dei, per suffragia Sanctorum, ob instantem necessitatem, & eam, quam in eo comperierunt, expetibilem utilitatem, & prudentissimam, atque providentissimam sagacitatem, communi animo, parique voto, & uno consensu, clarissimum principem dominum Bosonem, Christo præduce, ad hoc regale negotium petierunt, & unanimiter elegerunt &c. Actum idibus Octobris.* Ut in inscriptione, & subscriptione legitur, *apud Mantulam* Diœcesis Viennensis in Sabaudia. *Anno Incarn. Christi* 878. *Joannis Papæ octavi anno septimo, Ludovici, & Carlomanni Regum primo.* Hisque gestis subscripti leguntur Episcopi 23., quorum primi Otramnus Viennensis, & Aurelianus Lugdunensis, deinde ceteri.

Episcoporum legatio ad Bosonem electum in Regem, & responsio ad Episcopos. *pag. 334.*

4. His nequaquam præsens fuit Boso, quamobrem ad eum Episcoporum extat legatio, qua de ejusdem electione a se facta in Regem certiorem reddunt, & ut illud sancte, rectequeque administraret, admonent, quibus in sua responsione satisfaciens Boso, & pro Regno delato gratias agit, ac quælibet a se petita promittit. Atque post nonnulla submissi animi indicia ad Synodum rescribens, hæc addit. *Ego autem conscius meæ conditionis, & figmenti fragilis imparem me judicans tanto negotio, omnimodis abnuissem, nisi per Dei nutum vobis cor unum datum, & animam unam in unum consensum advertissem. Obediendum itaque pro certo cognoscens inspiratis a Deo tam sacerdotibus, quam nostris amicis, & fidelibus, non reluctor. Quod vero non requisistis, qualem me præbere vellem in committendo per Dei misericordiam in regimine futuro, & simul ostendistis normam, & instruxistis dogmate sacro, libentissime suscipio. Amplector catholicam fidem, in qua et nutritus sum, quam purissimo corde teneo, ore veracissimo pronuntio, pro qua paratus sum impendi & superimpendi, si sic placuerit domino Deo nostro, ecclesiarum privilegia, juvante Domino nostro Jesu Christo, restaurare, et conservare, & justitiam per vestrum commune consilium curabo. Omnibus, ut monuistis, legem, justitiam, & rectum mamburgium, auxiliante Deo, conservabo, & impendere curabo:*

quo

quo ſequens præcedentium bonorum principum veſtigia, tam ſacris ordinibus, quam vobis noſtris fidelibus conſulere certam æquitatem ſervando &c. Ac ut libere admoneret, ac corrigeret, ſi quid pro fragilitate peccaſſet, hortatur, eorumque ſe orationibus commendat, ut ibidem videre eſt, ejusque Regnum Arelatenſe paſſim, vel Burgundiæ dictum fuit, cujus non ſemel infra mentio occurrit. JESU CHR. AN. 879.

5. Boſoni autem faviſſe Joannem Pontificem dubitari vix poteſt, quem in filium, anno proximo cum in Galliis eſſet, adoptaverat, et Epiſcopi in Synodo Mantulenſi congregati teſtati ſunt, atque idipſum Joannes Papa in epiſtola ad Carolum Regem, ei Boſonem commendans, confirmat his verbis. *Cujus conſilio, & hortatu*, (Ludovici ſcilicet Regis) *Boſonem glorioſum Principem, per adoptionis gratiam filium meum effeci, ut ille in mundanis diſcurſibus, nos libere in his, quæ ad Deum pertinent, vacare valeamus. Quapropter contenti termino Regni veſtri, pacem & quietem habere ſtudeatis; quia modo, & deinceps excommunicamus omnes, qui contra prædictum filium noſtrum inſurgere tentaverint.* Data anno proximo 878. Ejuſdemque benevolentiæ in Boſonem teſtes ſunt aliæ Joannis Papæ litteræ ad eum datæ, quarum altera, ſecretum eidem Trecis commiſſum, ut ſervaret, committi, quæ quidem etſi titulum non præferant, Boſoni tamen inſcriptas fuiſſe conjicit Muratorius, altera vero Boſoni inſcripta, mutuæ amicitiæ, & benevolentiæ indicia continet, eique Adalbertum comitem, & Rothildem conjugem ejus commendat, & ut comitatus in provincia poſita, *ſicut jam tempore longo tenuerunt, ita deinceps, pro noſtro amore ſecuriter habeant*, ait Joannes Papa. Joannes Papa Boſoni favet. *epiſt.* 180. 164.

6. Hoc eodem anno, quo Ludovicus Caroli Imper. filius, & Rex Francorum vivere deſiit, Carolomannus Ludovici Germaniæ Regis filius, Italiæ Rex, longa infirmitate vexatus obiit, ſucceſſoremque in Regno Italiæ habuit Carolum Craſſum Ludovici fratris Caroli Craſſi filium, ad quem duæ extant Joannis Papæ litteræ, quibus eum hortatur, ut legatos ſuos Romam mitteret, ac etiam ipſe quantocius adeſſet. *Cum quibus ſane*, ait Pontifex, *& exaltationem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & iſtius terræ ſalutem, & veſtrum honorem inveſtigare, conſiderareque firmiſſime valeamus &c.* & epiſtola Joannes Papa Carolo Craſſo Italiæ Regnum offert. *epiſt.* 160. 172.

JESU CHR. AN. 879.

ſtola altera ob tamdiu dilatum ad urbem adventum, *Miramur*, ait Papa, *quia vos ſæpius exhortantes, ut ad exaltationem ſanctæ Dei eccleſiæ, veſtrumque honorem, & totius terræ noſtræ defenſionem venires, vocavimus, & hactenus diſtuliſti &c.* Atque hæc dum adhuc Carlomannus frater ejus Italiæ Rex viveret, ſcribebat Joannes, addens eadem epiſtola ſe Carolomanno ſcripſiſſe, ne ei ad iter Italicum impedimentum afferret.

Joannis Papæ epiſtolæ ad Carlomannum. *epiſt.* 186. & 187.

7. Ad Carolomannum vero, die ſeptima Junii hujus anni, ſcribens Joannes Papa, ut Romanæ Eccleſiæ ab Saracenis, perverſisque Chriſtianis undique afflictæ opem ferat enixe hortatur, in eamdemque rem legatos ſuos Joannem, & Paſchalem venerabiles Epiſcopos miſit, quorum verbis, ut fidem haberet, dignoque eos honore reciperet, hortatur, epiſtola altera Conſpertum Diaconum Carlomanno, ſibique familiarem, ut in Epiſcopum Vercellenſem ordinari jubereret, eumdem rogat, ut ibidem videre eſt.

Carlomanni Italiæ Regis obitus, cui Carolus Crassus ſuccedit.

8. Quousque poſt diem ſeptimam Junii hujus anni vitam tenuerit Carlomannus non conſtat, hoc unum ſcimus initia Regni Italici Caroli Craſſi circa octobrem hujus anni alliganda eſſe, uti ex ejuſdem diplomatibus probant eruditi viri Muratorius, Saxius, aliique. Hic autem Carolus Italiæ Rex hoc anno inauguratus, biennio poſt cum Romæ adeſſet, Imperator dictus eſt, ut ibidem dicturi ſumus. Anno tamen ſequenti Carlomannum obiiſſe, eique Carolum Craſſum in Regno Italiæ ſucceſſiſſe ſcimus.

Pagius not. 3. *an.* 880.

Joannes Papa Carolum Italiæ Regem in concilio Rom. creat. *epiſt.* 155.

9. Italiæ autem Regnum, vivente adhuc Carolomanno, cum jam hydrope laborans, ad vitæ exitum properaret, ab Joanne Pontifice Carolo Craſſo collatum fuiſſe indicat ejuſdem Pontificis epiſtola ad Anſpertum Mediolanenſem Archiepiſcopum, qua jubet, ut cum ſuffraganeis ſuis Romæ *ad Kal. Majas hujus* 18. *indictionis adeſſet*, ut inter cetera ibidem communi conſilio tractanda, de electione quoque Regis Italiæ ageretur, *Quia*, ut ait Pontifex, *Carlomannus, corporis, ſicut audivimus, incommoditate gravatus Regnum retinere jam nequit, ut de novi Regis* (electione intellige) *omnes pariter conſideremus, vos prædicto adeſſe tempore valde oportet: & ideo antea nullum abſque noſtro conſenſu regem debetis recipere. Nam ipſe, qui a nobis eſt ordinatus in imperium, a nobis primum, atque potiſſimum debet*

eſſe

JESU CHR. AN. 879.

esse vocatus, atque electus, quoniam & nos una cum vestra fraternitate cupimus pertractare, et de hoc, et quo tenore, vel ordine communes causas, et utilitates ecclesiarum Dei nobis commissarum ordinemus, et jure canonico statuamus, quatenus tantorum malorum onera, quæ sustinemus, procul abjicere, et leve jugum Christi, lætis, ut condecet, possimus cervicibus ferre etc. Quare ut, remota quacumque excusatione, vel mora, adesset, hortatur, excommunicatione alioquin, si renuerit, plectendus, nam his verbis epistolam claudit. *Si ad eamdem synodum venire contempseritis, scitote canonicam a nobis in vos velut inobedientes promulgari sententiam.*

Anspertus a Joanne Papa excommunicatus absolvitur. *epist.* 256.

10. At Anspertus Mediolanensis Archiepiscopus, sive quod ab Carlomanno Italiæ Rege Romam pergere prohibitus fuisset, sive quod sibi, suisque suffraganeis in electione Regis Italiæ jus esse magis, quam Romano Pontifici crederet, Joanni Pontifici parere recusavit, nec ad dictum diem Romæ adfuit, quamobrem excommunicationis sententiam, quam minatus fuerat Pontifex in eum protulit, quam paulo post retractavit, suam deinde illi gratiam reddens, ut in epistola ad eum biennio post data idem Pontifex testatur, de eodem his verbis conquerens. *Decuerat te, frater carissime, pura animi sinceritate cum reverentiam, cumque honorem sanctæ sedi Apostolicæ, cui Deo auctore præsidemus, quotidie impendere*, ut ab ejusdem prædecessoribus factitatum hactenus fuerat. *Sed ecce*, ait Pontifex, *quod sine dolore dici non potest, nescio qua antiqui hostis fraude, a die ordinationis tuæ, & tempore senectutis, contra sanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam non destitisti nunc inobedient, nunc dolosus te patefacere: qua necessitate compulsi, te corripere apostolico flagello operæ pretium duximus, sed iterum paterna miseratione te ad nos perducere non prætermisimus, sperantes in te de reliquo nullum vestigium circa nos culpæ aliquo modo reperire, quia & professio tua hoc coram nobis jurejurando spoponderas &c.* Ac iterum in Romanam Ecclesiam eum peccasse arguit, dum Romanos monachos Romam pergentes Rodoaldum, & Varlenum custodiæ vinculis mancipaverat, quos ideo ut statim illæsos, & liberos dimitteret, jubet.

Italiæ status a Saracenis

11. Tantam porro pro Italiæ Regis electione, vivente adhuc Carolomanno, sollicitudinem gerebat Joannes Papa, quia

JESU CHR. AN. 879. vexatus, multisque modis turbatus.

quia instantibus undique Saracenis, nullam hactenus pro urbe, Romanæque ecclesiæ provinciis tuendis, vindicandisque curam Carlomannus susceperat. Unde eum in Italiæ Regem eligi cupiebat, qui ad Imperii dignitatem elatus, Romanam ecclesiam, totamque Italiam tum a Saracenorum infestationibus, cum a ceteris barbaris, vel tyrannis tutaretur. Extincto quippe jamdiu Longobardorum in Italia Regno, imminutaque Græcorum Imperatorum potestate, quam aliquandiu in Calabria, Apulia, in Brutis retinuerant, unus fere supererat Beneventanus Ducatus, qui hoc tempore in frusta divisus, subsistere vix poterat, cum tot iis in provinciis Duces essent, quot fere urbes, nam Athanasius Neapolis Episcopus, & dux erat. Eamdemque dignitatem Capuanus Episcopus obtinuerat, suos quoque Duces habebant Salernum, & Beneventum, qui etiam continuis inter se dissentionibus certabant. Hinc fiebat, ut Saraceni, vel sponte irruentes, vel in auxilium vocati impune grassarentur. Landulphus, perversi ingenii vir, Episcopus, & Dux Capuæ fuerat, eoque mortuo, Landulphum nepotem vix eo meliorem successorem habuit, Athanasius junior Neapoli, Aldegisus Beneventi, Guaiferius Salerni, Pulcherius Amalphitanorum. Quantam porro sollicitudinem Joannes Papa hoc tempore, pro reintegranda iis in provinciis pace, propulsandisque Saracenis gesserit, frequentes in eam rem scriptæ epistolæ testantur.

Leo Ostiensis lib. 1. 41. Chron. Capuan. apud Peregrinum hist. Longob.

Joannis Papæ sollicitudo pro pace servanda. *epist.* 105. & 106.

12. Hinc epistola Landulpho, & Landoni data, ad servandam unitatem, & concordiam Capuanos hortatur, seque ob eam rem Trajectum transiturum fore indicat, ut cum Guaiferio Salerni Principe, deque Pandulpho in Episcopum ab iis electo ageret; epistola altera Guaiferium Salerni Principem admonet ne Capuanis molestiam afferat. Pecuniam vero Amalphitanis traditam ea conditione, ut a Saracenorum societate recederent, ut eamdem Amalphitani restituerent, quin *usque ad portam urbis Romanæ* deferrent, jubet, cum nequaquam pactis Amalphitani stetissent; epistola altera Landulphum Presbyterum laudat, eo quod Capua egressus esset, ne dissidia ibidem excitata foveret, & de itinere suo ad Trajectum admonet. Pulcherium vero Amalphitanum Ducem, sive Præfectum arguit, eo quod fœdera cum Saracenis inita non rupisset, quod etiam jurejurando pro-

epist. 108. 109.

promiserat, acceptis etiam ab Joanne Papa decem millibus Mancosiorum. Unde subdit. *Volumus, ut eosdem mancosos per tuos fideles Amalphitanos usque in portam urbis Romanæ nobis navigio venientes, remandes &c.* Et epistola altera Petro Episcopo, & Pulcherio Amalphitanorum Duci anno sequenti 880. data, se Amalphitanos excommunicasse narrat, donec ab inito cum Saracenis fœdere recessissent. Eamdemque excommunicationis sententiam Athanasio juniori Neapolis Episcopo, & Duci comminatur, nisi cito Saracenorum societati renunciaret. *Pudet, ut ita dixerim,* ait Pontifex, *Pontificium nostrum vos jam commonere super hoc, quod tam multoties a nobis commoniti resipiscere noluistis, & cum Deo odibilibus Saracenis habitum pactum dissolvere hactenus comtempsistis .... Adhuc obsecramus, adhuc sicut spirituales filios exhortamur, & paternis visceribus vos ampletti conantes, Dei, ac principum Apostolorum Petri, ac Pauli auctoritate præcipimus, ut jamjamque disciplinam percipientes, ab eisdem iniquis, & ancillæ filiis Saracenis vos separetis, & pactum cum eis habitum modis omnibus dissolvatis, si vel nostræ communionis, vel ipsius Christianitatis vultis esse participes, in quos jam daremus ecclesiastici mucronis sententiam, nisi nos apostolica patientia retineret. Idcirco vobis induciat usque Kelendas Decembris istius tertiæ decimæ indictionis ad idem pactum cum Saracenis frangendum largimur, & tam vos, quam Cajetanos, atque Amalphitanos lucrari volentes, si usque ad idem tempus omnem Saracenorum amicitiam, nec non & omne fœdus dissolvere solito contempseritis, utrosque sententiæ ecclesiasticæ jaculis feriemus, & perpetuo anathemati submittemus, ut qui socii disciplinæ esse non vultis, communionis quoque nostræ non sitis participes &c.* Hæc, & alia passim in eam rem Joannes Papa, quæ exscribere jam piget, ac totius Ecclesiæ historiam persequentes, in Italiæ angulo immorari diutius non possumus, ac ad historicos Regni Neapolitani, ad auctores historiæ Longobardicæ, ad collectores chronicorum, lectores de his curiosos delegamus, Peregrinum scilicet, Muratorium, & Salvatorem Blasium Cassinensem monachum in historia Principum Salerni ex tabulario monasterii Cavæ edita Neapoli anno 1785., ut ceteros recentiores prætereamus Italicarum rerum illustratores, præ ceteris vero eruditissimum Præsulem Borgiam, qui Bene-

JESU CHR. AN. 879.

epist. 125. & 127.

Joannes Papa Athanasium Neapolis Episc. excommunicat ob fœdus cum Saracenis initum.

JESU CHR. AN. 879.

ventani Ducatus historiam, multa cum eruditione, & diligentia digessit, ac nuper opusculo altero Romanæ sedis jura in Regna Siciliæ egregie vindicavit.

Basilii Imp., & Photii legatio ad Joannem Papam.

13. Interea cum anno proximo, post Ignatii obitum, Constantinopolitanam Sedem iterum Photius obtinuisset, ut securius in ea insideret, legationem tum Basilius Imp., cum idem Photius ad Joannem Pontificem miserunt, qua Photium in Apostolicæ Sedis communionem suscipi, & in Patriarchali Sede restitutum confirmari petebant, iisque legati quoque Patriarchæ Jerosolymitani adfuerunt. Photii autem legatus Theodorus quidam Episcopus fuit, Santabarenus etiam dictus, vir versipellis, ac ad fallendum aptissimus, cujus gratia, ut in vita Ignatii narrat Nicetas, Photius Euphemianum Euchaitarum Episcopum sua Sede dejecit, eumque eidem Ecclesiæ præfecit: *Nec non Episcopatus, qui propinquis Metropolitis subditi, & suffraganei erant, quoscumque Santabarenus volebat, omnes Photius Metropolitis aufert, & Santabareno concedit, neque ista tantum faciebat, sed apud se illum collocans, Protothronum, & Primatem appellabat*, ait idem auctor. Is porro tantæ apud Basilium Imperatorem, auctoritatis fuit, ut malis artibus Basilio persuaserit filium suum Leonem Imperio etiam sociatum in ordinem redigere, carcerique mancipare, ut infra dicturi sumus.

De Santabareno Episcopo, & Photii legato.

Joannes Papa Basilii legatos honorifice excipit, ac Photii restitutionem admittit. *epist.* 168. 169.

14. Ut vero Basilii legatos Italiæ littora attigisse cognovit Joannes Papa, cum honore eosdem excipi, Romamque deduci jussit, ut ex epistola ad Pandenulphum Comitem patet, in altera vero ad Georgium Primicerium se votis Basilii pro pace in CP. Ecclesia restituenda satisfacturum promittit, his verbis; *et quia magna Imperatori tuo Ecclesiam Dei pacificari volenti, nos ut favere debeamus hortaris, id juxta nostri officii magisterium prompta dumtaxat agere voluntate divinitus adjuti curavimus, quoniam dicente Apostolo, Ecclesiarum Dei omnium nobis sollicitudo incumbit. Quapropter more prædecessorum nostrorum Pontificum, Constantinopolitanam Ecclesiam multiplicibus scandalis nunc perturbatam, prout justum est, atque possibile, sedare volumus, & pacem perpetuam stabilire. Præterea Legati Imperiales, quos ad nostra apostolica fastigia dicis esse directos, si venerint, competenti a nobis recipientur honore, & Augu-*

guſtalem per eos nobis delatam legationem clementer recipiemus, atque ipſius legationis textum, & ordinem cognoſcentes, una cum Sedis Apoſtolicæ nobis commiſſæ aſſenſu, quantum fas eſt, pro Eccleſiæ Dei pace imperiali voluntati favere omnino ſtudebimus. Pro quibus etiam miſſis, Pandenulpho Capuano comiti ſcripſimus, ut eos venientes recipiat, & pro noſtro amore, proſpero nobis itinere, Deo annuente, dirigere ſtudeat, &c.

JESU CHR. AN. 879.

15. Cur autem tam faciles in Photii reſtitutione aures præbuerit Joannes Papa, cauſæ plures interceſſerunt, & ut prætereamus, quod Baſilius ſpem dederat, ut claſſe ſua ab Saracenorum infeſtationibus Campania, ceteræque Italiæ littora liberarentur, multa quoque alia Joanni Papæ, ſi votis ſuis ſatisfeciſſet, promiſerat, maxime vero Bulgarorum Eccleſiam ſub Romana Diœceſi, ſive Patriarchatu revocandam. His omnibus accedebat, quod prætexebatur bonum pacis, & ſciſſarum unio Eccleſiarum, quæ ob rejectum Photium, velut jugi terræmotu, tot annis, & cum eis totus Oriens quaſsaretur, ceſſaturum ipſum omnino, ſi Sedis Apoſtolicæ auctoritate Photius ſedere concederetur, ſin minus, graviora prioribus inſtare pericula, impendere mala, nullo penitus curanda remedio. His jungebatur, quod mendaci relatione decepit Baſilius Imp. eumdem Joannem Pontificem, dum litteris teſtatus eſt, reſtitutionem Photii exoptare, & petere magna inſtantia eos, qui eſsent adverſæ partis, ordinatos ſcilicet ab Ignatio, atque ejus prædeceſſore Methodio, quod tamen falſum erat: hæc ſunt, quæ permovere Pontificem potuerunt, ut quod nullus fecerat prædeceſſorum, ipſe omnium maxima admiratione tentare auſus fuerit, atque perficere, ſuadente iſtud prudentia carnis inimica Deo, & Eccleſiæ adverſa, ait Baronius, ac ſtatim immodico abreptus zelo, Joannem octavum, tamquam prævaricatorem arguit, quaſi Imperatoris gratiam Eccleſiæ dignitati, ſacriſque regulis prætulerit, dum Photium in ſuam communionem admiſit, adeptamque ab eo Patriarchalem Sedem confirmavit; Hinc fabulæ de Joanna Papiſſa locum dediſſe conjicit, cum is, *abjecta*, ut addit, *penitus omni virilitate, fractus animo, Sacerdotalis conſtantiæ expers, atque robore enervatus, non Papa, ut Nicolaus, & Hadrianus, ſed Papiſſa fuerit contumeliæ loco dictus, utpote*

Qua ratione Joannes Papa excusari poſſit.

Bar. num. 4. 5. 6.

JESU CHR. AN. 879.

quod, qui nec reſiſtere ſciret eunucho, quique vinceretur a ſemiviro non vir, ſed eſſet fœmina potius nuncupandus &c., hæc & alia ibidem Baronius in Joannem Papam: verum etſi ab omni forte culpa excuſari non poſſit, tanta fortaſſe non fuit, ut tam gravi cenſura argui meruerit, cum plurima etiam in ejuſdem facti excuſationem afferri poſſint; nam Photius poſt Ignatii obitum, non tam Joannis Papæ auctoritate, quam Orientalium Epiſcoporum ſuffragio Conſtantinopolitanam Sedem receperat, quibus conſenſum quidem ſuum Joannes Papa præbuit, cum id ab eo pro reſtituenda Eccleſiæ pace exegiſſet, ſicque neceſſitate quadam cogente, cum id Eccleſiæ utilitas perſuaderet, prædeceſſorum ſuorum exempla ſecutus, qui non ſemel, ut Eccleſiarum tranquillitati, utilitatique conſulerent, Eccleſiæ canones temperare coacti fuerant, cum præſertim iis eum conditionibus admiſerit, quas ſi Photius obſervaſſet, non modicum Orientalis Eccleſia fructum percepiſſet; conditiones vero in Photii receptione appoſitas litteræ Joannis ad Imperatorem, & ad Photium datæ continebant, ut ſcilicet, quæ pro Eccleſiarum pace in Photii gratiam facta fuerant, in exemplum non tranſirent, nec quiſquam impoſterum in Patriarchalem Sedem, niſi per gradus aſcenderent. Secunda conditio ea erat, ut Photius ſynodo ſe ſiſtens veniam peteret, ac ut Bulgarorum Eccleſiam Romanæ Diœceſi reſtitueret, tandem ut eos, qui ab Methodio, vel Ignatio ordinati fuerant, in ſuam Photius communionem reciperet, ſicque perfecta Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ pax, & tranquillitas reſtitueretur, quæ quidem etſi ſubſecuta non ſint, id non Joannis culpæ, ſed Photii perfidiæ tribuendum eſt.

epiſt. 199. 200. 201.

Joannis Papæ epiſt. ad Baſilium, & filios Imp.

16. Litteræ autem ea de causa ab Joanne Papa, tunc ſcriptæ ad Imperatorem, ad Photium, ad Patriarchas Orientis, & Clerum Conſtantinopolitanum ſingulari Dei beneficio, integræ adhuc ſuperſunt, etſi eas Photius in Concilio Conſtantinopoli hoc eodem anno celebrato, & in ſequentem etiam prorogato, dum eas ex Latino in Græcum tranſtulit, ſumma temeritate, ac pro arbitrio addens, vel demens corruperit, vel decurtaverit; At integras tum conciliorum collectio, cum Baronius, appoſitis in margine iis, quæ falſarius impoſtor in translatione abſtulit, vel mutavit, recitant, quarum ſumma hæc eſt; In epiſtola ad Baſilium Imp., & fi-

& filios ejus Leonem, & Alexandrum, eorumdem in Romanam Ecclesiam, omnium primam, & caput reverentiam collaudat, ac petitioni eorum pro Photii restitutione, & reditu in Constantinopolitanam Sedem consensum suum, prædecessorum suorum exempla secutus promittit, *a quibus plura per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus, adversus Ecclesiasticam facta sunt regulam*, quod etiam exemplis Gelasii, Leonis, Felicis, Innocentii Primi Rom. Pontificum confirmat. *Nunc itaque*, subdit, *aliis Patriarchis, Alexandrino videlicet, & Antiocheno, & Hierosolymitano, atque omnibus Archiepiscopis, Metropolitis, Episcopis, & Sacerdotibus, cunctoque Clero Constantinopolitanæ Sedis, qui de ordinatione Beati Methodii, & Ignatii Reverendissimorum Patriarcharum exiſtunt, una voluntate, parique voto consentientibus, eumdem Photium satisfaciendo, misericordiam coram Synodo secundum consuetudinem postulantem, in vera dilectione fratrem, in Pontificali officio comministrum, atque coram Synodo misericordiam quærendo, in pastorali magisterio consacerdotem pro Ecclesiæ Dei pace, & utilitate, amodo, Christo favente, recipimus, & habemus.*

Jesu Chr. an. 879.

conc. to. 9. p. 130. seqq.

17. Eumdemque Photium, *cum ceteris Episcopis, vel Presbyteris, ceterisque ex Clero, & Populo, in quos divini judicii censura fuerat prolata*, se absolvere, in integrumque restituere addit, sicuti alias Apostolica Sedes Patriarchalium sedium Episcopos dejectos restituerat, Cyrillum scilicet Alexandrinum, Flavianum, & Joannem CPolitanum, Polycronium Hierosolymorum, ac ne imposterum laicus quisquam ad Patriarchatus honorem promoveatur Photii exemplo prohibet, & ut Bulgarorum Ecclesia, in Romanæ Ecclesiæ jurisdictionem rediret, jubet, ac Photium Imperatori commendat, & ut eidem obedientiam, obsequiumque exhiberet, rogat, excommunicationis etiam in eos prolata sententia, qui Photio imposterum contraire præsumpsissent, vel ab ejus communione recessissent, quotquot vero ab Ignatio prædecessore Episcopi, Presbyteri, ceterique ex clero ordinati fuerant, eosdem quoque recipiendos esse ab Photio jubet, ut ibidem videre est. Alteram ad Photium dedit, qua se in ejusdem restitutione, ac in CP. Sedem reditu consentire declarat, dummodo coram Synodo Constantinnpoli celebranda veniam pro admissis postulet, Bulgarorum Ecclesiam

Joannes Papa restitutioni Photii consensum præbet.

Joannis epist. ad Photium.

pag. 201.

JESU CHR. AN. 879.

siam Romanæ Diœceſi reſtituat, ac canone edito caveat, ne impoſterum laicus quilibet in Patriarchalem Sedem promoveatur, eademque retractat, quæ in epiſtola ad Imperatores inſeruerat, ac in epiſtola ad Patriarchas Orientis, & Clerum CP., ſe votis eorum in Photii revocatione conſenſum ſuum præbere, ait, quibus tamen conditionibus, hanc gratiam ſibi Photius promereri deberet, exponit, ac epiſtola altera: *Eximiis viris Leoni, Joanni, & Paulo Patritiis, atque Stiliano, Joanni, & Metropolitanis Reverendiſſimis Meuropolis, & ceteris Sacerdotibus, ſeu cujuſcumque ordinis clericis, vel laicis*; ut tandem ſchiſmate ſedato, ad Eccleſiæ unitatem redirent, & ut Photio communicarent, eosdem admonet: atque hæc de litteris ab Joanne Papa in hanc rem ſcriptis dicta ſint, quas ut diximus, cum latine ſcriptas accepiſſet Photius, dum eas in Græcum tranſtulit, ut in concilio legendas proferret, eaſdem tanta temeritate corrupit, ut quæ Græcæ extant, ac in concilio CPolitano lectæ ſunt, vix cum latinis conveniant, nam quæcumque in Romanæ Eccleſiæ dignitatem in iis Pontifex inſeruerat, eadem Photius, vel delevit, vel mutavit, quæcumque vero de Photii malegeſtis hactenus narraverat, de palinodia facienda, deque venia in Synodo poſtulanda abraſerat, multa præterea in ſui laudem interſerens; utrarumque exemplar adhuc extat in conciliorum collectione, & in Baronii Annalibus, unde ex earum collatione, quanta fuerit Photii, non dicam in vertendis ex Latino in Græcum libertas, ſed impoſtura, & temeritas cognoſcere quiſque poteſt.

epiſt. 200.

epiſt. 202.

Rom. synodus Petrum, aliosque legatos CPolim deſignat.

18. Litterarum ſuarum latores, ac ad Synodum CPoli celebrandam legatos Joannes Papa in Synodo Romana delegit, Petrum ſcilicet Presbyterum tituli Sancti Chryſogoni Cardinalem, quibus Paulum, & Eugenium Epiſcopos CPoli commorantes adjunxit, iiſque commonitorium dedit, quo eoſdem legatos ſuos, quid in Photii receptione agere deberent, admonuit his verbis. *Joannes Epiſcopus &c. commonitorium fratribus Paulo, & Eugenio Epiſcopis ſimiliter, & Petro Presbytero Cardinali, noſtris CPoli legatis. Cum primum divina favente gratia, & interceſſionibus Sanctorum Apoſtolorum CPolim ingreſſi fueritis, illuc divertite, quo præcipiet Imperator. Et antequam Imperatorem viſitaveritis, nulli alii Apoſtolicas litteras tradere velitis. Cum coram Imperatore fue-*

conc. tom. 9. pag. 322.

JESU CHR. AN. 879.

fueritis, litteras illi tradetis, hujusmodi verbis illum alloquentes: Salutat vestrum ex Deo Regnum spirituale vester pater Dominus Joannes Apostolicus Papa, tuam ex Deo potentiam suis orationibus, singulis diebus sancto Deo commenduns, ut ille, qui vobis hoc dedit desiderium propter Ecclesiasticam pacem, tribuat vobis gratiam suam, & consoletur vos sua felici protectione, & perficiat in bonis desideria vestra. Si rogaverit Imperator, antequam litteras legat, sive capitula responsionis nostræ, hujusmodi verbis illi respondete, si jubet Imperium vestrum, videat epistolas. Et si dixerit: Quid continent epistolæ? illi respondete, Salutationes continent, & omnino recte perficiunt. Postridie salutaturi Photium sanctissimum accedite, & epistolam illi tradite, salutantes illum decenter, talibus verbis. Salutat te Dominus noster Joannes Apostolicus Papa, & vult habere te fratrem, & comministrum sicut scripsit Imperator, ut propter pacem Ecclesiæ reciperemus Sanctissimum Patriarcham Photium fratrem, & comministrum nostrum, exaudiremus preces vestras, & præciperemus, ut coram nobis veniat ad Synodum, & ut recipiat ipsum universa Ecclesia: juxta tenorem litterarum nostrarum, illum recipite, ut comministrum nostrum, atque ut Ecclesiæ Romanæ gratiam habeat. Surgentes, illi dicite: Mandat Dominus noster Sanctissimus Papa, ut omnes qui in diversis locis extra terminos extiterint, sive Episcopi, sive Presbyteri, sive quivis alii fuerint, & noluerint hucusque vobis communicare, vestro opere, & labore uniantur Ecclesiæ Dei, & fiant unum vobiscum. Qui si venerint, recipite illos, ut pater recipit filios, eosque monebit sæpius, ut propter pacem Dei Ecclesiæ idem sentiant cum Apostolico, ut unius sint cum ipso voluntatis: recipientes videlicet Photium Sanctissimum Patriarcham, & cum illo una communicantes. Si autem venerint quicumque antea fuerant ordinati, recipiant Sedes suas, qui vero deinde fuerant ordinati, accipiant ab Episcopis ipsis victum, & vestitum necessarium. Præsidentibus vobis in Synodo, una cum prædicto Sanctissimo Patriarcha, & Legatis Orientalibus, una cum reliquis Archiepiscopis, & Metropolitis, & omnibus Sacerdotibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ, primum legantur litteræ ad Imperatorem missæ, & interrogetur Synodus, si illas recipit, & si observat testimonia, quæ continent litteræ ipsæ. Quibus annuentibus, hæc

JESU CHR. AN. 879. *hæc dicite: Dominus noſter Sanctiſſimus Papa omnium Eccleſiarum curam gerens, ſalutem etiam veſtram, & unionem, & pacem procurans, miſit nos ſervos ſuos, ut diſperſos congregemus, & diſſidentes conciliemus, & in Eccleſia miſericordiæ manum porrigamus, lapſos erigamus, ut omnes uno ore glorificemus Patrem, cum Filio, & Spiritu Sancto. Sequentes Canones noſtrorum Patrum dicimus, ut poſt obitum Photii Sanctiſſimi Patriarchæ nullus a civili dignitate Conſtantinopolitanam Sedem aſcendat, quemadmodum etiam litteræ noſtræ teſtantur. Volumus etiam, ut coram Synodo prædictum Photium Sanctiſſimum Patriarcham oretis, ut neque pallium in Bulgariam mittat, neque ordinet quemquam in ipſa provincia. Si enim hoc fecerit, juxta ſacros Canones illum arguemus. Volumus præterea, ut coram univerſa Synodo promulgetur, quod Synodus habita adverſus prædictum Patriarcham Photium tempore Hadriani Sanctiſſimi Papæ, tum Romæ, tum Conſtantinopoli, ex nunc habeatur nulla, & irrita, & non numeretur cum alia Sancta Synodo. Advertite, ut juxta mandatum noſtrum, ita ambuletis, neque muneribus vos corrumpi ſinatis, neque adulationibus, neque minus & terroribus declinetis, ſive ad dexteram, ſive ad ſiniſtram, ſed regiam viam incedite, tamquam habentes locum, & poteſtatem noſtram, quam vobis propter Eccleſiæ pacem ſumus impertiti, ut veſtro labore, & diligentia digne gratiam noſtram, & Apoſtolicæ Sedis obtineatis, & noſtræ communionis ſitis hæredes. Subſcriptiones Epiſcoporum, qui interfuerunt Romanæ Synodo, ex qua prodiit commonitorium, & litteræ Petro Legato datæ*; ſubſcripſerunt itaque Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, qui Synodo Romanæ adfuerunt, in qua ſolemnis hæc legatio Conſtantinopolim, pro Photii reſtitutione miſſa fuit, ex Epiſcopis Zacharias Anagniæ Epiſcopus, & Romanæ Eccleſiæ bibliothecarius legitur, deinde ceteri numero 18. ex Eccleſiis urbi ſuburbicariis, vel vicinis, cum Presbyteris quinque, Diaconibus duobus.

epiſt. 203.

Joannis Papæ epiſt. ad Eugenium, & Paulum epiſc.

19. Ejuſdemque commonitorii Petro Legato traditi, idem Joannes Papa meminit in epiſtola Eugenio Oſtienſi, & Paulo Anconitano Epiſcopis, qui antea Conſtantinopolim miſſi, ut legatione fungerentur, ibidem adhuc erant, qui cum hactenus in legatione ſuſcepta muneri delegato vix ſatisfeciſſent, ut in hoc altero iis commiſſo cautius agerent, his ver-

verbis Joannes admonuit : *Quamvis contra noſtram egeritis voluntatem, & Conſtantinopolim pervenientes, inquiſita cauſa pacis Eccleſiæ, & unitatis Romam reverti, nobiſque omnia ſub certa relatione debebatis referre, & quia primam legationem vobis commiſſam idonee non peregiſtis, ſecundam vobis ideo committere non debebamus : tamen Apoſtolicæ miſerationis benignitate utentes, & in hac ſecunda legatione fideliter perficienda, vos huic Petro Religioſo Presbytero Cardinis noſtri, familiarique noſtro ſociamus. Quatenus ea, quæ pro pace, & unitate Eccleſiæ Dei agenda ſunt, ſecundum Apoſtolicos noſtræ auctoritatis apices, & ſecundum commonitorii noſtri tenorem capitulatim deſcriptum, ſagaci valde intuitu ſimul agatis, & ita definiatis, ut gratiam noſtram, quam prius inobedienter agendo exaſperaſtis, nunc fideliori devotione operando, placabilem habere poſſitis. Data menſe Auguſti, Indictione XII.* Jesu Chr. an. 879.

20. Cum Conſtantinopolim, ineunte hoc anno, Petrus Presbyter, Joannis Papæ Legatus perveniſſet, Paulo, & Eugenio Conſtantinopoli commorantibus Romanæ Sedis Legatis conjunctus Pontificias litteras tradidit, iiſque acceptis Photius initio menſis Novembris Synodum, quam falso octavam Oecumenicam Græci dixerunt, CPli celebravit, quæ ſane ob Epiſcoporum numerum, Nicænæ, ceteriſque Oecumenicis Conciliis æquari poteſt, nam tercentum octoginta ibidem conſediſſe, acta referunt; at ſi res ibidem geſtæ ſpectentur, non ſolum Oecumenicæ Synodi nomen obtinere non poteſt, ſed nec Eccleſiaſtica Synodus dici, quin potius malignantium conventus, & Synagoga Satanæ, nam ibidem Photius, non tam Eccleſiæ, quam ſuam cauſam egit, ac ſchiſmatis, quod jamdiu inter Orientalem, & Occidentalem Eccleſiam viget, fundamenta jecit; Hinc factum, ut etſi Græci, ut apud Balſamonem, ceteroſque Canonum Eccleſiæ Græcæ collectores, eamdem celebrent, ac inter Oecumenicas Synodos recipiant, apud Latinos tamen nullius momenti ſit, cujus ſummam tantum conciliorum collectores referant, uti a Baronio factum fuerat. Et ſane quis hunc Epiſcoporum conventum, Eccleſiaſticum Synodum dixerit, in quo Photius, non ſolum Joannis Papæ litteras Conſtantinopolim ad Imperatorem, alioſque ſcriptas, eouſque mutilavit, multiſque demptis, aut additis, corrupit, ut vix digno-

CPoli Synodum Photius celebrat

conc. to. 9. pag. 330.

JESU CHR. AN. 879.

scantur; His adde, quod ejusdem Synodi acta ab Photio mendaciorum, falsitatumque consarcinatore digesta, a Græcis post Photii ætatem, eadem libertate, & impostura jam assuetis iterum, iterumque vitiata fuere, ita ut quid in ea gestum sit, certo dignosci vix possit.

Photianæ Synodi actorum summa.

21. Integra quidem hujusce Synodi acta ex Vaticana, & Columnensi bibliotheca a Metio in Latinum translata præ manibus habuit Baronius, at horum summam tantum Annalibus suis inseruit, eademque exhibent conciliorum editores Labbeus, aliique, ex auctore autem Synodici, vel ex Nilo Rhodi Metropolita breviora adhuc extant, nos vero Baronii summam in compendium dabimus; hæc autem continent: In prima itaque sessione Episcoporum numerus, & nomina recensentur, tercentorum scilicet octoginta circiter, in eaque jactat se Photius, quod Joannes Papa semel, & iterum per suos Legatos eum adierit, nempe primum per Paulum, & Eugenium Episcopum, deinde per Petrum Presbyterum: Post hæc Joannes quidam Heracleæ Thraciæ Episcopus multa effutiit contra Romanam Ecclesiam, quam omnium illorum, quæ acciderant malorum, originem appellavit, ad quæ evertenda, & curanda, illa esset Synodus congregata, multa etiam contra Nicolaum Papam, & ejus successorem Hadrianum oblatrans ingessit, contra vero, ipsum Joannem Romanum Pontificem valde laudavit. Deplorat vero post hæc multa, quæ (ut dicebat) injuste passus sit Photius. Inducit insuper Actio illa Legatos Apostolicæ Sedis munera Photio offerentes, nempe Sacerdotales vestes, & ornamenta Episcopalia, de quibus nihil in Joannis Pontificis litteris, in quibus ejusmodi erant solita scribi. Et sic, post alia quædam frivola, finem accepit Actio prima.

Bar. an. 879.

Sessio prima & 2.

Actio II.

22. Secunda Actio habita legitur decimasexta die Novembris, Indictione XIII., in qua primum lectæ sunt litteræ Joannis Papæ ad Imperatorem, deinde aliæ ejusdem Pontificis ad Photium, quæ superius sunt recitatæ. Quibus lectis Photius interloquutus suas laudes extollit, præcipue suam humanitatem falso ostentat erga Ignatium exhibitam, qua etiam jam defunctum eum prosequuturum vane pollicitus est. Lecta post hæc fuit epistola Michaelis Patriarchæ Alexandrini ad Imperatorem eo tota collimans, ut Octava Synodus Oecumenica destrueretur, in qua Photius condemnatus fue-

fuerat. His lectis introductus est Thomas Metropolita, qui Jesu Chr. an. 879.
usit unus ex Legatis tribus Orientalium Sedium in Octava Oecumenica Synodo, aliis duobus (ut illic dicitur) mortuis. Procuratum est a Photio, ut hic pœnitens recantaret palinodiam de ministerio exhibito in dicta Oecumenica Synodo. Lecta est post hæc epistola Theodosii Patriarchæ Hierosolymorum ad Photium scripta, tota, ut Photius voluit, encomiastica. Postquam autem lecta est epistola Patriarchæ Antiocheni, pariter Theodosii nominati, ejus itidem argumenti, & alia ejusdem generis Abrahamii Metropolitæ Amydorum, continens acrem invectivam contra Octavam legitimam Synodum, actio secunda Synodi Photianæ finem habuit.

23. Tertia vero quæ sequuta est Actio incidit in decimum octavum diem ejusdem mensis Novembris, ac pariter decimætertiæ Indictionis, in qua lecta primum est epistola Joannis Papæ ad Constantinopolitanam Ecclesiam, & Episcopos ipsi subjectos, & ad Patriarchas Orientis, ejusdem argumenti, quo priores superius recitatæ. Quod autem iisdem litteris Pontifex profiteretur pacem se procurare Orientalis Ecclesiæ, hinc magna sequuta est concertatio asserentium, quod jam ante Joannis litteras pace fruerentur, sequentes Photium Patriarcham, arguentes Pontificis litteras, uti superfluas. Et quod de Diœcesi Bulgariæ scripserat, ad Imperatorem rejiciendum esse negotium clamitarunt, cum agatur (ut ajebant) de Imperii terminis, qui sub ejus sunt ditione. Lecta post hæc epistola Theodosii Episcopi Hierosolymorum ad Imperatorem, qua deplorat miserias suas, quas patiebatur a Saracenis, provocans Imperatorem ad eleemosynas largiendas. Lectum post hæc fuit commonitorium a Joanne Pontifice Legatis datum, suo loco superius recitatum: sicque clausa est ejus diei Actio tertia. Actio III.

24. Quarta autem Actio celebrata est mense Decembri, feria quinta in Vigilia Nativitatis Domini, eadem decimatertia Indictione, quæ tamen in alia ejusdem pseudosynodi editione hæc ponitur ordine prima, utpote quod omissis tribus aliis superius recensitis actionibus, hæc prima incipit numerari, & sic deinceps usque ad quartam. In hac igitur Actione primo habetur de Legato recens misso a Patriarcha Antiocheno, afferente litteras etiam a Patriarcha Actio IV.

JESU CHR. AN. 879. Hierosolymitano, qui ingredi jussus litteras dedit. Lectæ sunt ipsæ, multa in laudem Photii, & de communicatione mutua conservata cum ipso continentes, nec non assertionem illam, Legatos, nimirum, Patriarchalium Sedium missos antea ad Octavam Synodum fuisse non Patriarcharum, sed Legatos Saracenorum, istjusmodi inculcantes in destructionem Oecumenicæ Synodi, quæ vere creditæ sunt e Photii officina depromptæ. Post hæc introducti sunt Patricii pœnitentes de his, quæ in Octava Synodo contra Photium egissent, affirmantes se a falsis Legatis fuisse deceptos. Lecta sunt capitula quinque, tamquam a Legatis Romanis proposita; primum de Diœcesi Bulgariæ; secundum de non eligendo amplius laico in Episcopum Constantinopolitanum, tertium ne ab alia sumatur Ecclesia; quartum de Synodo habita contra Photium, ut abrogetur; quintum, ut qui cum Photio non communicarent excommunicati essent. Quæ omnia recepta a Synodo fuerunt, præter illud de Bulgarorum Diœcesi, quod Imperatoris voluntati commissum est. Et sic exitum consecuta est actio quarta, qualem Photius voluit.

Actio V. 25. Quæ autem quinta est Actio celebrata, ponitur anno sequenti die vigesimasexta mensis Januarii eadem Indictione decimatertia, in qua Photius de Septima Synodo sermonem instituit, calumniamque ex ea struxit adversus Romanam Ecclesiam, quod de Septima Synodo recipienda, esetne Oecumenica, dubitasset, cui Legati satisfecerunt. Et firmatum est omnium sententia, ut Oecumenica Septima Synodus diceretur. His successit citatio Metrophanis Metropolitani Smyrnensis Ecclesiæ, cujus summa cum laude est facta mentio in legitima Octava Synodo, qui ut schismaticus habitus est, eo quod ibidem sequutus Ignatii partes, cum Photio noluerit ullo pacto communicare. Inter hæc facta est suggestio (seu potius a Photio ficta) Legatorum Apostolicæ Sedis, ut ex sententia Joannis Pontificis Canon constitueretur, quo juberetur, ut excommunicati, vel depositi a Romano Pontifice, a Photio non susciperentur, sicut e contra qui depositi essent a Photio, vel excommunicati, non restituerentur, nec absolverentur a Romano Pontifice. Sicque confectus de his est primus Canon, quo quis non videat summa Photii calliditate interceptas esse appellationes ad

ad Apoſtolicam Sedem, & recurſum ad eam? Siquidem ablata fuit per Canonem iſtum auctoritas Romani Pontificis, ut judicare non poſſet, quos Photius condemnaſſet. Statutus eſt autem poſt hæc, eodem ſuggerente Photio, Canon ſecundus, ne quis relinquens Epiſcopatum tranſiens ad ſtatum Monaſticum, Epiſcopatum retinendi haberet amplius facultatem, nec ad illum revertendi aditus patefieret. Hic non prætereundum, quod Gratianus male conſultus Canonem hunc, tamquam ex legitima Octava Synodo deſcripſit totidem verbis in libro Decretorum, qui plane odio Photii fuerat omnino exſufflandus. Additus eſt in hac etiam Actione tertius Canon adverſus ſeculares magiſtratus carceri mancipantes, vel verberantes Epiſcopos. Sequuta ſunt hæc ſubſcriptiones omnium, in primo vero Legatorum Apoſtolicæ Sedis, cum deteſtatione omnium Synodorum ſub Hadriano Pontifice contra Photium collectarum. JESU CHR. AN. 879.

26. Convenerunt poſtea iidem die decima menſis Martii, feria tertia, Indictione decimatertia, non in Eccleſia, ut antea, ſed in Palatio, in Aureo triclinio, loco ita dicto, ubi Actionem ſextam habuerunt, cui Imperator interfuit, qui ex ſuggeſtione Photii Fidei definitionem a Synodo poſtulavit. Sicque conſenſu omnium exhibita eſt definitio Fidei comprobata in ſeptem Synodis Oecumenicis, conteſtationibus appoſitis, ne quid ab aliquo adderetur, vel minueretur omnino, recitatumque eſt Nicænum Symbolum, ſive Conſtantinopolitanum dictum. Ita ſugillantes Latinos, quod appoſuiſſent verba illa, FILIOQUE. His approbatis ab omnibus, ſubſcripſit Baſilius Imp., improbans ſua ſubſcriptione cuncta quæ contra Photium acta eſſent in Octava legitima Synodo, cui ipſe ſubſcripſerat una cum filiis, quos & huic pſeudoſynodo pariter ſubſcribere voluit. Sicque ſexta Actio conſummata fuit, poſtquam acclamationes præceſſiſſent. Actio VI.

27. Poſt triduum vero, nempe decimatertia menſis Martii, die Dominico ejuſdem decimætertiæ Indictionis habita eſt ſeptima, atque noviſſima Actio in magna Eccleſia, ubi juſſa eſt legi Fidei definitio in præcedenti Actione probata, additis, & multiplicatis anathematibus, ſi quis, quid ei adderet, vel minueret. Sicque abſoluta eſt Photiana Synodus, Octava dicta, & generalis. Cui non, ſicut in commonitorio juſſi ſunt, præſidere Legati Apoſtolicæ Sedis, ſed Actio VII.

Pho-

JESU CHR. AN. 879. Photius, qui ſemper primo loco ſubſcriptus legitur, aſſiſtentibus Legatis Apoſtolicæ Sedis. Sicque infelix hæc Synodus, ſeu potius ſynagoga, anni ſequentis initio finem habuit, quam non multo poſt, cum ſuo auctore, & cum Legatis Apoſtolicæ Sedis, qui muneri ſuo nequaquam ſatisfecerant, ac Joannis Pontificis juſſa ſpreverant, ipſe Pontifex condemnavit, ut anno ſequenti dicturi ſumus.

Leo Imp. Baſilii filius Santabareni Episcopi inſidiis periclitatur.

28. Baſilius interea Imperator, dum Conſtantinum filiorum primum Imperiique participem e vivis hoc anno ereptum adhuc lugeret, paulo poſt filiorum alterum, eumdemque Imperio ſociatum, Leonem ſcilicet, Theodori Euchaitarum Epiſcopi, cognomine Santabareni, inſidiis appetitum, tamquam patri rebellem, ejuſdemque vitæ inſidiantem, ne morti traderet, carceribus incluſit; hic porro Santaberenus, ut ex Niceta ſupra adnotavimus Photio chariſſimus, ac familiariſſimus fuit, cujus opera, cum Imperatoris amicitiam, benevolentiamque promeruiſſet, ab Leone autem Baſilii filio, non ſemel uti ſeductor argueretur, hanc adverſus eum calumniam ſtruxit, ut narrat Porphyrogeneta: *Erat* pag. 214. num. 99. *incliti Baſilio inter eos, in quos impenſe afficiebatur, ac quibus nimiùm quandam habebat fidem, Monachus quidam, ut videbatur, & Sacerdos, illique amicus, & miniſter ſtrenuus, cui Santabareno nomen. Is etſi ab Imperatore colebabatur, apud alios tamen non bonæ famæ erat, nec reprehenſione carebat. Idque in cauſa erat, cur non raro a ſapientiſſimo Leone, ut preſtigiator, ac ſeductor, quique Imperatorem a recti tramite abduceret, & ad abſurda traheret, convitiis inceſſeretur. Quibus ſæpius auditis impoſtor ille, ac ſceleſtus, ſimulata benevolentia, ac amicitiæ larvâ ad mitiſſimum Leonem, ſic loquitur.* Cur, *inquit*, cum jam robuſtis viribus ad ætatem adoleveris, patrique admodum charus ſis, non occulte pugionem, aut ſicam tecum defers, dum una cum illo ruri in æquo veheris, ut in promptu porrigendum habeas, cum ferienda beſtia fuerit; &, ſi quid adverſus eum latenter ex inſidiis agi contigerit, non ipſe inermis inveniaris, ſed præſto aliquid habeas, *unde paternos hoſtes ulciſcaris &c.* His auditis Leo, nullas ſibi fraudes fieri ſuſpicatus, conſilium probavit, ac cultrum in Ocrea deferendum cenſuit, quod ut perfidus inſidiator cognovit, Baſilio denunciavit, inſidias ei a filio Leone parari: *Quod ſi fidem*

ſi fidem abnuit, inquit, cum venatum, aliave ex cauſa urbe exieris, jube eis ocreas auferri, ac ſi quidem gladium deferre invenietur, ne in tuam necem eum ſibi paraſſe dubitaveris. Indicta igitur ruri Principis venatione, omnis ex more comitatus una exierunt. Cumque in quemdam locum evaſiſſent, ſimulat Imperator ſibi opus gladio eſſe, ejuſque ſibi neceſſariam copiam quærit. Aderat filius, eorumque ignarus, quæ pater animo verſaret, ſimplici admodum, nec malo quicquam animo, quem geſtabat gladium, extractum patri offert. Hinc ſtatim data adverſus Leonem delatio probabilis viſa eſt, illiuſque inanes defenſiones, ac frivolæ. Mox itaque reverſis in Regiam, Imperatoris in filium ira efferveſcit, inque Regiarum ædium una, cui Margaritæ nomen, truſo in carcerem, rubras calceas detrahit. Incitaverat inimicus, & ultor, ut & oculorum faces extingueret. Verum obſiſtere Regiæ Urbis Epiſcopus, ac Senatus omnis: interim tamen tenebatur in carcere &c. Hæc Porphirogeneta, eademque Leo Grammaticus de Santabareni impoſturis, quibus Baſilii Imp. gratiam, Photio curante, promeruerat, deque inſidiis in Leonem Baſilii filium, alioſque ſtructis: quomodo autem poſt annos aliquot e carcere ſolutus fuerit Leo, ſuo loco infra dicturi ſumus, nunc ad ſequentem annum, & ad volumen decimumnonum ſtylus devolvitur.

JESU CHR. AN. 879.

pag. 215.

Leo grammat.

pag. 473.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Numerus primus Paginam, ſecundus Paragraphum indicat.

A

Abderamnis Saracenorum Principis in Catholicos perſecutio. 6. 9. Ejus juſſu Cordubenſe Concilium congregatur. 20. 7. Obitus. 21. 8.

Adalgiſus Beneventanus Dux rebellis contra Lud. Imp. 354. 12.

Ado Vienn. Epiſc. ordinatur. 27. 9. Ejus litteræ ad Nicolaum Pont. 107. 10.

Adventius Meten. Epiſc. cum Nicolao reconciliatur Caroli Calvi interceſſione. 165. 7. Ejus epiſt. excuſatoria pro Lothario. 223. 14. ad Attonem de Lotharii pœnitentia. 251. 12. Ejus obitus, & ſucceſſor. 386. 7.

Aelfredus Ethelredo in Angliæ Regno ſuccedit. 367. 29.

Aldricus Cenomanenſis Epiſc. moritur. 71. 9.

Alfredus Rex Angliæ a Leone IV. ungitur. 43. 23. Danos vincit. 420. 23. Regnum recuperat, litteras, & monaſticam diſciplinam reſtaurare conatur. 440. 31. 32.

Alphonſus Ordonio Patri in Galliciæ, & Legionis Regno ſuccedit. 242. 43. Ejus pietas, & geſta. 442. 32.

Amalarius adverſus. Gotheſcalcum ſcribit. 14. 8.

Amolo Lugdunen. Epiſc. Gotheſcalchi ſcripta confutat. 25. 11. Ejus obitus, & opera de reliquiis incertis, vel non probatis. 26. 12.

Anaſtaſius Antipapa. 51. 5.

Anaſtaſii Bibliothecarii epiſt. ad Adonem Vienn. Epiſc. de Nicolai Papæ obitu. 258. 22. Legatus CPoli miſsus. 311. 21. Variæ ejus auctorum verſiones. 398. 13. Vitam S. Dionyſii in latinum vertit. 399. 14. De geſtis, & ſcriptis ejus. 400. 15.

Anaſtaſius Presb. Card. S. Marcelli, & ejus cauſa. 29. 2. In Synodo Rom. damnatur. 284. 18.

Angilberga Auguſta uxor Ludovici Imp. Monaſterium ingreditur. 382. 2.
Angilbertus Mediolanen. Archiep. præeſt cum Theodemano Patriarcha Aquilejen. Synodo Ticinen. anni 850. 2. 2.
S. Anſcarius Danorum Apoſt. moritur, eique Rambertus ſuccedit, 212. 25. 26.
Anſpertus Mediolan. Archiep. a Joanne Pont. excommunicatus abſolvitur. 447. 10.
Athanaſius Neap. Epiſc. cum Saracenis fœdus iniit. 449. 12.

B

BArdas Cæſar literas CP. reſtituit. 105. 21. Michaelis Imp. juſſu occiditur. 237. 34.
Baſilius a Michaele Imp. Imperio ſociatur. 238. 35. Michaeli in Imperio ſuccedit, Photium relegat, & Ignatium in Sede CP. revocat. 265. 32. Quis eſſet. 268. 35. Legationem Romam mittit. 268. 36. Ad Nicolaum Pont. ſcribit. 37. 38. Arma ſua cum Ludovico Imp. adverſus Saracenos conjungit. 288. 24. Ejus epiſtola ad Hadrianum, & petitio, ut diſpenſationem obtineret. 345. 2. De Barbaris victor. 347. 5. Legationem ad Ludovicum mittit. 356. 14. Et ad Joannem Pont. 450. 13.
Baſsacius Abbas Monaſterii Caſſinatis moritur. 73. 13.
Benedictus III. Pont. ſuccedit Leoni IV., quis eſſet. 49. 2. Ejus electio a Schiſmaticis impugnatur. 3. In carcerem truditur juſſu Anaſtaſii Pſeudo-pont. 51. 5. Ejus electio a legatis Imp. confirmatur. 52. 7. Ad Epiſcopos Galliæ ſcribit in causa Hucberti Clerici. 67. 6. Ejus obitus, & geſta. 78. 1.
Bernarius in Sede Gratianopolitana Ebboni ſuccedit. 325. 38.
Bertarius in Præfectura Monaſterii Caſſinen. Baſſacio ſuccedit. 73. 13.
Bertulphus Merciorum Rex, Croylandiæ Monachis privilegia confirmat, & auget. 15. 9 Ejus obitus. 27. 14.
Boeredus Rex Merciorum Regno ſe abdicat, & ejus obitus. 380. 7.
Bohemorum contra Francos bellum, & victoria. 6. 8.
Boſo Comes, Burgundiæ, & Provinciæ Rex declaratur. 443. 3. Ejus promiſſio ad Epiſcopos facta. 444. 4.
Britanni a Rege Merciorum domiti. 42. 22.
Bulgari Chriſti fidem ſuſcipiunt. 137. 21. Cyrillus, & Methodius fidem eis prædi-

dicant . 215. 4. Adverſus Regem rebellantur . 216. 15. Legatos Romam mittunt . 6. Reſponſa a Nicolao Pont. accipiunt . 7. Legatos ad Ludovicum Imp. mittunt . 9. Rex eorum legationem Romam mittit . 263. 30. Contentio inter Romanam, & CP. Eccleſ. de Bulgarorum Diœceſi . 312. 22. Eorum Eccleſia CP. Sedi ſubjicitur . 339. 16. Eos ad Rom. Eccl. ſubjectionem revocare conatur Joannes Pap. 422. 2.

Burohedus Bertulpho in Regno Merciorum ſuccedit . 27. 14.

C

CArolomannus Caroli filius ad Hadrianum Papam appellat . 332. 7. A Silvanectenſi Syn. damnatur, excæcatur, & moritur . 374. 8.

Carolomannus Bojariæ Rex in Bojariam redit . 414. 14. Italiæ Rex creatur . 416. 18. Ejus obitus . 446. 8.

Caroli Aquitaniæ Regis ſubditi a Ludovico opem implorant . 84. 10. Epiſcopi, & comites ei præſtant juramentum, & ipſe Epiſcopis, & comitibus . 85. 11. Moritur . 234. 31.

Carolus Craſſus in Italiæ Regno Carolomanno ſuccedit . 446. 8. In Concilio Rom. a Joanne Papa confirmatur . 446. 9.

Caroli Imp. electionem Epiſcopi confirmant . 409. 7. In Italiam tranſiit, cui Vercellas Joannes Papa occurrit . 413. 13. Ejus obitus . 414. 14. Ejuſdem geſta Cariſiaci . 414. 15.

Carolus Rabano in Sede Moguntina ſuccedit . 70. 8.

Carolus Rex Galliarum interrogat Lupum Ferrarienſ. Abatem de tribus quæſtionibus . 2. 3. Ejus juſſu Ratramnus Corbejenſis Monac. ſcribit libros de prædeſtinatione . 5. 6. Synodo Sveſſionen. habitæ anno 853. adeſt . 32. 7. Ibique capitula pro Eccleſiarum incolumitate vulgat . 35. 11. Ad Cariſiacam Syn. ſe transfert, ibique quatuor capitula circa prædeſtinationem, gratiam, & liberum arbitrium Hincmari ſuggeſtione edit, & ſua auctoritate confirmat. 36. 13. Sollicitudo ipſius pro litterarum ſtudiis . 105. 20. Quærelæ adverſus Lotharium . 153. 17. 18. Piſtris conventum celebrat . 188. 18. Ad Nicolaum PP. pro Vulfado ſcribit . 227. 18. Lotharii regnum occupat. 318. 28. Privilegium pro Monaſterio Senonenſi . 320. 30. legationem, & munera ad

Hadrianum mittit. 320. 31. Poſt obitum Hermentrudis uxoris alteram ducit. *ibid.* Cum Ludovico Regnum Lotharii dividit. 326. 1. Epiſtola increpatoria ad Hadrianum. 367. 27. Ab Epiſcopis, & Optimatibus juramentum exigit. 372. 4. Cariſiaci conventum celebrat. 373. 5. Nortmannos vincit, & Andegavos ejicit. 377. 10. Cum Ludovico Germaniæ Rege de Imperio contendit, & Imperator dicitur, & coronatur. 382. 3. 4. Juramentum ipſius ad Epiſcopos in Synodo Ticinen. 388. 2. Ejus electionem in Imperatorem Synodus Rom. confirmat. 407. 5.

De Chriſti Sanguinis Redemptione. 2. 3. Quo ſenſu dicatur Chriſtum pro omnibus mortuum. 3. 4.

Conventus apud S. Quintinum, quo Lotharius Franciæ Rex, & Carolus Germaniæ pacem inter ſe confirmarunt. 74. 2. Conventus Baſileæ indicitur. 96. 8. Conventus Tuſſiacus pro pace in Gallia firmanda. 202. 15.

Corſicæ incolæ ad Portum Roman. deducti. 17. 2.

Conſtantinopolis incendio, & terræ motu afflicta. 139. 1.

Croatæ, & aliæ gentes in Imperio, & Eccleſiæ ſinu redeunt. 271. 40.

D

DAlmatæ ab Imperio Orientali deficientes a Saracenis vaſtantur. 271. 39.

Dani. V. Nortmanni.

Dedicatio novæ Urbis Leoninæ. 15. 1.

Dei vindicta in Imperium. 429. 12.

E

EBbonis Gratianopoli Epiſc. obitus, cui Bernarius ſuccedit. 325. 38.

Ebbonis olim Remenſis Epiſc. depoſitio confirmata in Synodo Sveſſionenſi. 34. 10. De ordinationibus ab ipſo poſt depoſitionem peractis in eadem Synodo agitur. 33. 9.

Edmundi Regis Angliæ martyrium. 338. 14.

Encanradus Pariſienſis Epiſc. moritur. 71. 10.

Æneas Pariſien. Epiſc. Encanrado ſuccedit. 71. 10.

Epiſcoporum electiones quo ordine in Gallias fierent. 232. 28. 29. 30. Epiſcoporum legatio ad Boſonem electum in Regem. 444. 4.

Ermengardis Imperatrix uxor Lotharii moritur, ejuſque epitaphium. 15. 6.

Ethelbaldus Patri in Regno ſuccedit, & ejus cum Judithą

ditha inceſtæ nuptiæ. 89. 16.
Ethelbertus Rex Saxonum Occidentalium in Anglia moritur, eique Ethelredus frater ſuccedit. 234. 32.
Ethelredus Ethelberto in Angliæ Regno ſuccedit. 234. 32. Ejus obitus. 367. 29.
Ethelulphus Rex Occidentalium Saxonum in Anglia in Conventu Vinctonienſi decimas jubet ſolvi Eccleſiis Regni ſui. 60. 16. 17. Romam adveniens dona offert. *ibid.* Ejus obitus, & libertas in Rom. Eccleſiam. 88. 15.
Eulogius in perſecutione a Saracenis in Hiſpania contra Catholicos excitata in Carcere recluſus, ibi libros varios ſcribit, deinde dimittitur. 10. 2. Ejuſdem epiſtola ad Valeſindum Pampelonenſem Epiſc. de martyrum certamine, & martyrio. 11. 3. Juſſu Recafredi Epiſc. iterum cum aliis in carcerem truditur. 12. 4. Apologeticum ſcribit. 76. 5. Martyrium ejusdem cum Leoclitia Virgine. 107. 25.

F

Florus Magiſter, & Diaconus Lugdunenſis Eccleſiæ Joannis Scoti ſcripta confutat. 24. 2.
Frotmundus cum fratribus ſuis inſigne pœnitentiæ publicæ præbet exemplum. 71. 11.

G

Gallia a Nortmannis, & Mauris devaſtatur. 5. 7. Ejus luctuoſus ſtatus propter diſſidia inter filios Lotharii. 65. 4.
Germania fame vexata. 6. 8.
Gisla Soror Ludovici II. Imp. Abatiſſa Monaſterii S. Salvatoris, & S. Juliæ Brixiæ filiam ſuam Gislam Deo vovet, & paulo poſt moritur. 138. 23.
Gotheſcalchus in carcere tamquam excommunicatus obiit. 236. 33.
De Gratia Divina quæſtiones. 37. 14. V. de prædeſtinatione, & de lib. arbitrio.
Gregorius Syracuſanus Epiſcopus in Concilio CP. damnatur. 45. 4.

H

Hadrianus II. Pontifex ordinatur. 258. 23. Ejus benignitas, & geſta uſque ad Pontificatum. 23. 24. Ad ejus ordinationem legati Ludovici aſſiſtunt. 260. 25. Ad Lotharium ſcribit. 262. 27. Valdradam ab excommunicatione abſolvit. 263. 28. Nimiæ laxitatis, & au-

& auſteritatis inſimulatur. 263. 29. CPoli geſta confirmat. 273. 1. Contra Photium, ejuſque ſcripta ſententiam pronuntiat. 274. 3. Ad Baſilium ſcribit. 275. 4. Et ad Ignatium CP. Patriarcham. 277. 7. Ad Synodum Tricaſſinam ſcribit. 279. 11. Et ad Ludovicum Germaniæ Regem. 13. Et ad Synodum Sveſſionenſem. 13. Et ad Actardum, cui pallium mittit. 281. 15. Ejus geſta, & litteræ. 283. 16. Ejus uxor, & filia nefarie occiduntur. 283. 17. Ejus ſententia in Anaſtaſium Præsbyt. Cardinalem. 284. 19. Sollicitudo ipſius pro Ludovico Imp., & ejus epiſtolæ. 321. 32. *& ſeq.* Epiſtolæ ad Salomonem Brittanniæ Regem. 324. 37. Ad Carolum ſcribit. 326. 2. Et ad Ludovicum. 328. 3. Ad Hincmarum, & ad Epiſcopos Regni Caroli. 328. 4. Carolomanni causa cum Carolo diſſidet. 331. 6. 7. Quærelæ de Epiſc. Bulgarorum ab Ignatio ordinato. 340. 17. Et epiſt. ad Ignatium. 341. 17. Et ad Baſilium Imp. 346. 3. Romam mitti jubet Hincmarum Laudunenſ. 363. 22. Ad Hincmarum Remenſ. ſcribit, & ad Carolum Regem. 23. 24. Carolo Imperium promittit. 365. 24. Carolum Regem lenire curat. 367. 28. Ejus obitus, cui Joannes VIII. ſuccedit, & ejus geſta cum Ludovico Imp. 368. 1.

Haimonis Halberſtandenſis Epiſcopi obitus, opera, & epitaphium. 42. 21.

Hincmari Laudunenſ. Epiſcopi diſſidia cum Hincmaro Remenſi. 333. 8. Ad Sedem Apoſtolicam appellat, aliaque male geſta. 335. 10. Declinat judicium Synodi Vermeriæ. 11. Crimina ipſi a Carolo objecta. 361. 18. Et ab Hincmaro Remenſi. 19. Ad Sedem Apoſt. appellat. 362. 20. Ad Hincmarum Remen. reſpondit. 366. 26. Ejus reclamatio, & obitus. 437. 27.

Hincmarus Remenſ. Epiſcop. translationem reliquiarum S. Remigii celebrat. 22. 10. Synodum Sveſſionenſ. celebrat. 32. 7. Ejus electio in Epiſcopum Remenſ. examinatur, & confirmatur. 34. 10. Synodi confirmationem petit a Leone IV. PP. 36. 12. Epiſtolam ſcribit ad Carolum Regem Aquitaniæ de damnatione Caroli Martelli. 87. 13. Alterum de prædeſtinatione librum vulgat. 107. 24. Ejus diſſidia cum Rothado Sveſſionenſi Epiſc. 171. 12. Ejus contumacia in Pontificem.

ficem . 173. 15. Epiſtolam, ſeu apologiam Nicolao PP. ſcribit . 195. 7. *& ſeq.* 229. 22. Ejus epiſtola in cauſa Gotheſcalchi . 234. 32. legatos cum apologia ſua Romam mittit. 246. 5. Apologetica ejus epiſt. ad Nicolaum . 249. 9. Litteræ ejus, & Epiſcoporum Regni Caroli ad Hadrianum PP. 329. 5. Ejus diſſidia cum Hincmaro Laudunenſi Epiſc. nepote . 333. 8. Nepoti favet. 334. 9. Ad Epiſcopos ſcribit pro incolumitate Caroli Calvi . 384. 5. Admonitio ejus ad Rachildem Auguſtam . 418. 20.

Hiſtoria Anaſtaſii Bibliothecarii in Nicolao deſinit, quam Gullielmus continuavit . 257. 21.

Hucberti cauſa . 68. 6.

I

IGnatius CP. Patriarcha e throno deponitur . 80. 5. Ut Sedi renunciet vexatur . 83. 8. Ejus cauſa alii Epiſcopi a Photio vexati . 84. 9. A Photio damnatus . 91. 2. In Synodo CP. damnatur. 120. 3. Sub habitu mentito aufugit . 121. 3. *et ſeq.* Ad Pontificem appellat . 122. 5. A Baſilio Imp. in CP. Sede revocatur . 265. 32. Ad Nicolaum ſcribit . Ejus epiſtola ab Hadriano recipitur. 276. 6. Theophilactum Bulgarorum Epiſc. ordinat. 340. 17. Ejus litteræ, & legatio ad Hadrianum PP. 344. 1. Ejus obitus . 425. 5. Apologia . 6. Sepultura . Ejus ſepulcrum Photius violat . 126. 8.

Joannes VIII. Hadriano II. ſuccedit . 368. 1. Ejus cum Ludov. Rege prope Veronam colloquium . 377. 1. Epiſtola ad Ingelbergam Auguſtam, & quærelæ adverſus Raven. Epiſcopum . 368. 2. Ad Annonem Friſingæ Epiſc. ſcribit, & ab ipſo organum poſtulat . 379. 3. Ad Carolum epiſtolam comminatoriam ſcribit. 385. 6. Ejus geſta, & epiſtolæ . 395. 9. Sollicitudo pro Saracenis coercendis . 396. 10. Quærelæ de Duce Neapolit. 397. 10. Ad Carolum Imp. ſcribit contra Saracenos . 397. 11. Concilium Ravennæ celebrat. 398. 12. ſententiam Synodi Duziacenſis in Hincmarum Laudunenſ. confirmat . 401. 16. Adverſus Saracenos opem implorat . 403. 1. 406. 3. Concilium Ravennæ indicit . 410. 9. Ejus epiſtolæ tres ad Joannem Ravenn. Epiſc. 411. 10. Alia ad Venetiarum Ducem . 11. Et ad Petrum, & Leonem Epiſcopum Venetiæ .

tiæ. *ibid.* Ejus geſta, Saracenis cenſum ſolvere cogitur. 420. 22. Ejus ſollicitudo pro CP. Eccleſia. 421. 1. Epiſtola ad Baſilium Imp. *ibid.* Alia ad Epiſcopos, & Clericos Græcos. 423. 3. Ad Ignatium CP. Patriarcham. 4. In Gallias tranſiit. 432. 19. Lambertum, & Formoſum Epiſc., alioſque complices excommunicat. 433. 20. Ejus geſta in Galliis. 21. Epiſtolæ ad diverſos ſcriptæ. 22. Ejus geſta Arelatæ. 435. 23. Ab Ludovico Rege, & Epiſcopis auxilium petit. 438. 29. Ad Carolum Regem epiſtol. pro Boſone comite. 439. 30. Boſoni favet. 445. 5. Carolo Craſſo Italiæ Regnum offert. 495. 6. Ejus epiſt. ad Carolomannum. 445. 7. Carolum Craſſum Italiæ Regem in ConcilioRom.creat. 446. 9. Ejus ſollicitudo pro pace ſervanda. 448. 12. Athanaſium Neap. Epiſc. excommunicat ob fœdus cum Saracenis initum. 449. 13. Legatos Baſilii Imp. honorifice excipit, ac Photii reſtitutionem admittit. 450. 51. 14. 15. 17. Qua ratione excuſari poſſit. 451. 15. Ejus epiſt. ad Baſilium Imp., & Filios. 452. 16. Alia epiſt. ad Photium. 18. Et ad Eugenium, & Paulum Epiſcopos. 456. 19.

Joannes Epiſc. Ravennaten. a Synodo Roman. damnatur. 134. 17. Cum Haganon Bergomenſ. Epiſcopo Schiſmaticis ſociatur. 168. 8.

Joannæ Papiſſæ fabula exploditur. 54. 8. Hetherodoxorum in tuenda fabula vani conatus. 9. Ejus auctor ignotus. 55. 10. Ejus ſtatua in Senenſi Cathedrali olim poſita dejicitur. 56. 11.

Joannes Scotus Erigena adverſus Gotheſcalchum ſcribit. 14. 8. Ejuſque errores a Prudentio Trecenſi Epiſc. oppugnantur. 23. 14. Et a Floro Magiſtro, & Diacono Lugdunenſis Eccleſiæ. 24. 2. An Joannes Ethelingiæ Abbas idem fuerit, ac Joannes Scotus. 441. 32.

S. Joannis in Venere Monaſterium a Traſamundo Comite ædificatum. 371. 2.

Italiæ ſtatus a Saracenis vexatus, multiſque modis turbatus. 447. 11.

L

Lambertus Dux Spoleti Urbem ingreſſus prædatur. 260. 25. Quæ, & quanta patravit in Urbe. 433. 22.

Legati Apoſt. Sedis Orientalium ſententiam rejiciunt, & ab Urbe CP. dimiſſi. In Piratas incurrunt. 313. 22. 23.

23. Legati ad Bulgaros missi in Urbem redeunt. 314. 24.
Leo IV. Pontifex novam Civitatem Leoninam Deo dicat. 15. 1. Corsicæ Incolis Portuensem Civitatem concedit. 17. 2. Muros Hortanæ, & Amerinæ Civitatis restaurat, & alia ejus gesta. 18. 3. Synodum Romæ celebrat. 28. 1. Alfredum Angliæ Regem inungit. 43. 23. Leopolim novam Urbem ædificat. 44. 1. Ejus obitus. 47. 1.
Leo Basilii Imp. Filius Augustus dicitur. 342. 19. Santabareni Episc. insidiis periclitatur. 462. 28.
Locustarum irruptio in varias Regiones. 376. 10. *& seq.*
Lotharii Imp. obitus, & epitaphium. 62. 18.
Lotharius Rex Franciæ abjicit uxorem suam. 76. 4. 146. 9. *& seq.* Ejus epist. ad Nicolaum PP. 224. 15. Falsis promissis Nicolaum decipit. 252. 13. Romam venire Nicolaus prohibet. 253. 14. Ejus epistola ad Hadrianum. 261. 26. Iter Romanum. 315. 25. In Monte Cassino Hadrianum convenit. *ib.* Et sacram comunionem a Pontifice indigne recipit. 316. 26. Post Hadrianum Romam ingreditur, & quæ ibidem gesserit. 317. 26. Placentiæ moritur. 27.
Ludovicus II. creatur Imperator a Leone PP. 1. 1. Saracenos a Beneventano Ducato ejicit, Beneventum, & Salernum occupat. 9. 1. Hostili animo Romam advenit. 47. 1. Ejus in Romanum Pont. obsequia. 79. 4. Romam ingressus Nicolao, & Romanis infestus. 178. 4. Cum Nicolao reconciliatur. 179. 5. Guntharium Episcopatu privat. 180. 6. Ejusdem expeditio in Saracenos in Ducatu Benevent. 220. 10. Bellum cum Saracenis in Italiam gerit. 288. 23. Francorum virtutem a Basilii calumniis vindicat. 289. 25. de Saracenis in Italia victoriæ, & de Barii occupatione. 354. 12. Epist. ad Basilium Imp. 356. 14. De Adalgiso Benevent. Duce quærelæ apud Pontificem. 368. 2. Cum Beneventanis reconciliatur. 369. 2. Casaurienſe Monasterium ædificat. 371. 1. Partem Regni Lotharii obtinet. 372. 3. Ejus obitus. 381. 1.
Ludovicus Germaniæ Rex litteras ab Episcopis Galliæ accipit. 85. 12., *&* 97. 10. 97. 11. Quibus conditionibus absolvendus, quæve pœnitentia imponenda esset. 98. 12. De gestis cum ipso relatio ad Episcopos. 99. 13. Cum Carolo Regnum

Lotharii dividit. 326. 1. Cum Carolo Calvo de Imperio contendit. 382. 3. In Francorum Regno succedit. 414. 16. Conventiones mutuæ cum Episcopis. 415. 17. De recta Regni administratione Hincmarum consulit. 416. 19. a Joanne PP. coronatur. 436. 25. Synodo se offert. 437. 26. Ejus obitus. 442. 1.

Ludovicus III. Patri succedit. 443. 2.

Lupus Ferrariensis. Abbas scribit librum de tribus quæstionibus. 2. 3. Cui alium adjungit inscriptum *Collectaneum de tribus quæstionibus*. 4. 5. De eodem argumento scribit ad Carolum Regem ad Hincmarum, & ad Pardulum Laudunensem. *ibid.* Ad Carolum Regem de recta Regni administratione, & de deprædationibus quærelæ. 77. 5. Ejus epistola ad Benedictum PP. qua codices petit. 69. 7.

M

MAhumetes Abderamnis filius, & in Regno successor Christianorum persecutor. 22. 8. & 43. 24.

S. Martini Basilica a Normannis incenditur. 40. 18. Ejus corpus transfertur ad Monast. Cormaricum, deinde Aurelianos. 40. 18. 19. Miracula ad ejus sepulchrum. 41. 20.

Martyres, in Hispania a Saracenis necati. 8. 11. & 19. 4. & 73. 14.

Mauri, & Nortmanni Gallias devastant. 5. 7.

Merciorum Regnum Regno Saxonum adjungitur. 28. 14.

Michaelis Imp. crudelitas, morumque corruptio. 46. 5. Legationem cum muneribus ad Benedictum PP. mittit. 65. 3. Theodoram Matrem ab aula ejicit, & in Monast. dimittit. 77. 6. Legationem alteram, & munera Romam mittit. 93. 4. Alia ejus facinora. 140. 2. 3. Legatos ad Nicolaum PP. mittit. 170. 11. Et iterum ad Nicolaum, quid ejus epist. contineret, & quid ei Nicolaus responderit. 204. 16. & *seq.* Occiditur. 264. 31.

De Michaele Psello Leonis præceptore. 106. 22.

Michael Rex Bulgarorum fit Monachus. 342. 20.

N

NIcolai Acemetarum Abbatis obitus. 278. 10.

Nicolaus I. Pontifex eligitur, ejus gesta. 78. 2. Pontifex ordinatur. 79. 3. Legatos CPolim mittit pro Ignatii, & Pho-

& Photii cauſa. 95. 6. & 109. 2. Ad Michaelem Imp. ſcribit. 110. 3. Ejus legati CPoli male excepti. 111. 4. Ejus litteræ a Photio falſantur. 125. 7. & *ſeq.* Geſta ejus poſt legatorum redditum. 127. 11. CP. geſta revocat. 132. 15. Geſta, & ſcripta adverſus Photium. 141. 4. & *ſeq.* Encyclicas ad omnes Epiſc. ſcribit. 144. 7. Epiſt. in cauſa Lotharii. 154. 19. & *ſeq.* Et in cauſa Balduini Comitis Flandriæ. 157. 22. 174. 17. Commonitorium ad legatos ſuos in Galliam mittit. 159. 1. Acta Synodi Metenſ. reprobat. 161. 3. Scribit ad Epiſc. Germaniæ. 163. 6. Adventium Meten. Epiſc. abſolvit. 165. 7. Quid Epiſcopi damnati ad ipſum ſcripſerint. 166. 8. Ad Michaelem Imp. de Synodi Rom. geſtis ſcribit. 169. 10. Geſta Hincmari reſcidit. 172. 14. Ejus in pauperes liberalitas. 173. 16. Corbejenſi, & Charilenſi Monaſt. privilegia concedit. 175. 18. Synodum Romæ celebrat. 181. 7. *et ſeq.* Ad Rotlandum Arelatenſ. Epiſc. ſcribit. 187. 16. Geſta in cauſa Rothadi. 189. 1. 194. 5. *et ſeq.* Epiſt. ad Epiſc. Galliæ de auctoritate, & uſu collectionis Iſidori. 192. 4. *et ſeq.* Arſenium Hortæ Epiſc. in Gallias legatum mittit. 197. 9. *et ſeq.* Sollicitudo ipſius pro pace integranda in Regno Galliæ. 201. 13. *et ſeq.* Michaelis Imp. litteras accipit, & ei reſcribit. 204. 16. *et ſeq.* Altera ejus epiſt. ad Michaelem. 210. 23. *et ſeq.* Aliæ ejuſdem epiſt. in cauſa Ignatii CP. miſſæ. 213. 1. Et ad Photium. 214. 2. Legatos CP. mittit. 214. 3. Ejus reſponſa ad quæſtiones Bulgarorum. 217. 7. *et ſeq.* Valdradam excommunicat. 221. 11. *et ſeq.* Ejus epiſt. ad varios. 225. 15. *et ſeq.* Ad Epiſc. Sveſſionenſ. Synodi ſcribit. 230. 24. Et ad Hincmarum. 231. 25. Caroli Regis litteras accipit, & ei reſcribit. 231. 26. Epiſt. ad Aquitanos de incolumitate Eccleſiarum. 231. 27. Ad Hincmarum, & ad Epiſc. in Regno Caroli. 243. 1. *et ſeq.* Cum Hincmaro reconciliatur. 245. 3. Ejus epiſt. ad Theutbergam, & Lotharium. 250. 10. 11. Lotharium Romam venire prohibet. 253. 14. Scribit ad Epiſc. Regni Ludovici. 254. 15. Aliæ ejus epiſt. 16. 17. 18. Obitus, & epitaphium. 256. 19. 20.

Nortmanni, & Mauri Galliæ devaſtant. 5. 7. *et* 12. 5. Nannetes, & Turonum ec-

cupant. 40. 18. Iterum in Galliis irruunt, urbesque devaſtant. 44. 2. Bello civili, mutuiſque cladibus attriti. 45. 3. Iteratæ irruptiones in Gallia, & alia geſta. 63. 19. 73. 12. 74. 3. 88. 14. 106. 23. 118. 11. Pariſios vaſtant. 135. 18. Eorum irruptiones, & geſta contra eos. 188. 17. 213. 27. Northumbriam ſibi ſubjiciunt. 272. 41. E regno Merciorum recedere coguntur. 287. 22. Angliam Orientalem ſibi ſubjiciunt. 337. 14. Monaſteria diruunt. 338. 15. Merciorum regnum occupant. 386. 8.

O

ODo Paſchaſio Ratberto Corbejenſi Abbati ſuccedit, & Senonenſi Synodo adeſt. 13. 7.

Ordonius ſuccedit Patri ſuo Ramiro in Regno Galliciæ. 9. 12. Ejus obitus. 242. 43.

P

PAſchaſii Ratberti Corbejenſis Abbatis ſtudia, & obitus. 13. 7. Pariſiorum deprædationem deplorat. 75. 3.

Perſecutio contra Catholicos excitata a Saracenis in Hiſpania. 6. 9. Aucta anno 851. 10. 2. *et* 19. 4. Chriſtianorum fervor minuitur. 19. 5. Et plures a fide deficiunt. 20. 6.

Peſtis in Urbe graſſatur, & Tiberis inundatio. 64. 2.

Petri Syculi legatio ad Principem Manicheorum. 348. 6.

Photius CPoli Patriarcha ordinatur. Schismatis initia, & cauſa. 80. 5. De ejus genere, & geſtis. 82. 6. *et* 82. 7. Damnatur, ab Epiſcopis, qui Ignatii cauſam tuentur. 90. 1. Ignatium damnat. 91. 2. Legationem ad Nicolaum PP. mittit. 92. 3. *et* 94. 5. Mentitur, & Imp. adulatur. 94. 5. Ipſe, & Bardas omnium ſcelerum auctores. 111. 5. Litteras apoſt. falſat. 125. 7. *et ſeq.* Ejus ſævitia in Ignatium, & alios. 126. 9. Ad Nicolaum Pontificem ſcribit, & ſe excuſat, eo quod ex laico fuerit ordinatus Epiſcopus. 128. 11. Ejus inſidiæ adverſus Ignatium. 145. 8. Bardam occiſum criminatur. 238. 36. Imperatorum adulator. 239. 37. In Synodo CP. Nicolaum PP. condemnat. 239. 38. Ejus geſta in legatos Nicolai. 240. 39. *et ſeq.* Ejus epiſt. encyclica adverſus Nicolaum, & Rom. Eccleſiam. 241. 41. A Baſilio Imp. relegatur, & ejus im-

impoſtura detegitur. 265. 32. 33. Ejus ſcripta adverſus Nicolaum Pontif. 267. 34. Ejus ſcripta Rom. Synodo oblata. 274. 2. Scribit ad Joannem Patricium. 277. 8. *et* 9. De geſtis ejus epiſtolaMetrophanis ad Manuelem. 339. 15. Ejus jactantia, & quærelæ. 341. 18. Epiſt. ad Baſilium Imp. 350. 7. Et ad Bahanem. 351. 9. Et ad omnes Epiſc. 352. 10. Et adverſus Occidentales. 353. 11. Sancti Ignatii ſepulcrum jubet violari. 426. 8. Thronum CP. iterum invadit, ac crudeliter ſe gerit. 427. 9. Inſignis ejus impoſtura. 427. 10. Theodorum legatum ad Joannem PP. mittit. 428. 11. CP. Synodum celebrat. 457. 20. Actorum ſumma. 458. 21.

Pippinus Pippini filius ſit Monachus. 27. 13. Arcta cuſtodia detinetur. 189. 18.

De Prædeſtinatione ſcribit Lupus Ferrarienſis Abbas. 2. 3. De duplici prædeſtinatione Electorum, & reproborum. 3. 5. De prædeſtinatione quoque ſcribit Ratramnus Corbejenſis Monachus. 5. 6. Quæſtiones de prædeſtinatione, de libero arbitrio, de gratia iterum excitantur. 37. 14.

Prudentius Tricaſſinus Epiſcopus a Venilone Senonenſi Archiepiſc. rogatur, ut contra Joannem Scotum Erigenam ſcribat, ejuſque errores oppugnet. 15. 8. Scoti ſcripta confutat. 23. 14. Ejus obitus. 138. 22.

R

RAbani Moguntini Epiſc. pietas in pauperes. 6. 8. Ejus obitus, ſepultura, & epitaphium. 70. 8.

Rambertus Anſchario Danorum Apoſtolo in Epiſc. ſuccedit. 212. 26.

Ramirus Galliciæ Rex moritur, cui Ordonius Filius ſuccedit. 9. 12.

Ratbertus. V. Paſchaſius.

Ratramnus Monachus Corbejenſis ſcribit libros de prædeſtinatione, & Carolo Regi dicat. 5. 6.

S. Remigii reliquiæ ab Hincmaro tranſlatæ. 22. 10.

Remigius Lotharii Imp. ſummus Cappellanus Amoloni in Eccleſia Lugdunenſi ſuccedit. 26. 12. Ejus liber de tribus epiſtolis in cauſa Gotheſcalchi 37. 15.

Rodoaldus Epiſc. Portuenſis, & ejus cauſa. 176. 1. *et ſeq.*

Rothadus Sveſſionen. Epiſc. ejus diſſidia cum Hincmaro. 171. 12. Et cauſa. 182. 10. 189. 1. 194. 5. *et ſeq.*

Rotlan-

Rotlandus Arelatenſis Epiſc. a Nicolao P. P. epiſt. accipit. 187. 16.
Ruſſorum in Oriente incurſiones. 135. 19. In fide ſuſcepta non perſeverant. 136. 20. Chriſti fidem ſuſcipiunt. 422. 17.

S

SAlomon Dux Britanniæ Rex dicitur. 286. 21. Ejus litteræ ad Hadrianum Pon. 324. 36. Et Hadriani ad ipſum 37. occiditur. 380. 6.
De Santabareno Epiſcopo, & Photii Legato. 450. 13.
Saracenorum irruptiones in Italiam. 73. 12. Victoria prope Samoſatam contra Romanos. 89. 17. Victi a Petronace precibus Janni Monachi. 90. 18. Beneventanam Provinciam vaſtant. 355. 13. Incurſiones in agrum Romanum, & in Sabinos. 405. 2. Eccleſias devaſtant. 430. 15.
Schiſma in Eccleſia Romana occaſione electionis Benedicti III. Pont. 49. 3. Schiſmaticorum impii conatus. 50. 4. 51. 5. *& ſeq.* Græcorum ſchiſma unde originem ſumpſit. 45. 4.
Scotus. Vide Joannes Scotus.
Stercorariæ ſedis uſus. 56. 12.
De ſuffocato non comedendo, & de ſanguinis abſtinentia decretum Apoſtolicum in Germania ſæculo IX. vigebat. 6. 8.
Svithuni Vintonienſis Epiſc. obitus. 158. 24.
Synodus Aquiſgranen. in cauſa divortii Lotharii Regis Galliarum. 146. 10. *et ſeq.*
Attiniaca in cauſa Hincmari Laudunen. 336. 12.
Cabillonenſis 374. 6.
Cariſiaca celebrata ann. 853. & ejus quatuor capitula. 36. 13.
Cariſiaca pro reſtituenda tranquillitate. 66. 5.
Colonienſis 337. 13.
Colonienſis. 374. 7.
Confluentium, in qua firmantur acta reconciliationis inter Francorum Reges. 112. 6. 7. *& ſeq.*
Œcumenica CPolitana, & ejus acta. 290. *a* 1. *uſque ad* 20.
Conſtantinop. a ſchiſmaticis celebrata in cauſa Ignatii, & quid in ea geſtum. 118. 1. *et ſeq.* Canones. 127. 10. A Nicolao Pont. revocata. 132. 15.
Conſtantinop. a Photio celebrata vide Photius.
Cordubenſis Abderamnis juſſu congregata. 20. 7.
Duziacena Hincmari cauſam retractat, & ejus acta. 360. 17. *et ſeqq.*
Duziacena. 379. 4.

In Gal-

In Galliis variæ ſynodus celebratæ. ann. 853. 39. 16. 17.
Metenſis in cauſa Lotharii. 160. 2.
Metenſis Lotharii regnum Carolo tribuit. 318. 29.
Moguntina 3. celebrata ann. 852. A Rabano Moguntiæ Archiepiſc. 22. 9.
Moguntina. 74. 1.
Neuſtriæ. 419. 21.
Ovetenſis, & Dedicatio Eccleſiæ S. Jacobi. 375. 9.
Piſtenſis, & ejus acta. 157. 23.
Pontigonensis ordo, & geſta. 389. 3. *et ſeq.*
Ravennatenſis. 398. 12.
Ravennatenſis altera. 412. 12.
Romana a Leone IV. celebrata anno 853. 28. 1. Ejus geſta. 28. 2. Anaſtaſii Presbyteri Card. cauſa agitur. 29. 3. *et ſeq.* Synodi canones. 31. 6.
Romana adverſus Joannem Ravenn. Epiſc. 132. 16.
Romana Joannem Raven. Epiſc. excommunicat. 134. 17.
Romana, & ejus acta. 162. 4. *et ſeq.* Legatos CP. miſſos prævaricatores condemnat. 168. 9.
Romana in cauſa Rodoaldi Portuen. Epiſc., & ejus acta. 176. 1. *et ſeq.*
Romana a Nicolao Pont. celebrata. 180. 7. *et ſeq.*
Romana ab Hadriano II. celebrata. 273. 1.
Romana Caroli Imperatoris electionem confirmat. 407. 5.
Romana Petrum, aliosque Legatos CP. deſignat. 454. 18.
Ad Sablonarias celebrata. 151. 15.
Senonenſis ann. 852. a Venilone ejuſdem Civitatis Epiſc., in qua confirmatur privilegium ab Aldrico olim conceſſum Monaſterio S. Remigii. 22. 9.
Silvanectenſis. 374. 8.
Sveſſionenſis ab Hincmaro celebrata ann. 853. Ejus geſta, & canones. 32. 7. *et ſeqq.*
Sveſſionen. contra Rothadum Epiſc. 171. 13.
Sveſſionen. in cauſa Vulfadi. 227. 19. *et ſeq.*
Ticinenſis celebrata anno 850., & ejus canones. 2. 2.
Ticinen. & ejus decreta pro Eccleſiarum reformatione. 57. 14.
Ticinen. Carolum Imp. recipit, Italiæ Regem creat, & ejus capitula. 387. 12.
Trecenſis, & ejus acta. 436. 24. *et ſeq.*
Tricaſſina, & ejus acta. 246. 4. *et ſeq.*
Tricaſſina, & canones. 438. 28.

Tullen-

Tullenſis apud Saponarias, & quid in ea actum. 99. 14. *et ſeq.*
Tullenſis apud Tuſſiacum, & acta. 115. 6. *et ſeq.*
Valentina. 59. 15.
Vormatienſis, ejuſque canones. 285. 20.
Altera Vermarienſis. 336. 11.
Syracuſis a Saracenis vaſtatur. 429. 13.

T

THeodemanus Aquilejenſis Patriarcha una cum Angilberto Archiep. Mediolanen præeſt Synodo Ticinenſi habitæ anno 850. 2. 2.
Theodora Auguſta ex aula ejicitur. 77. 6. moritur, & inter Sanctas refertur. 214. 3.
Theodoſii Monachi epiſt. de Syracuſarum expugnatione. 429. 3.
Theutberga a Lothario vexata, Nicolai auxilium implorat. 349. 10.
Tyberis inundatio. 63. 1. 108. 1.

V

VAla Adventio Metens. Epiſc. ſuccedit. 386. 7.
Vulfadus, & ejus cauſa, vide Syn. Veſſionen. III.

Z

ZElus Cordubenſium Chriſtianorum ab nonnullis exprobratur. 7. 10. Ab Eulogio autem defenditur. 8. 10.

A.36 . 71673